H

45. B. 29.

Digitized by Google

ROLANDI MARESII EPISTOLARVM PHILOLOGICARVM LIBRI DVO.

CVM ALIQVOT AMICORVM ad eum epiſtolis.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO.EMANUELE

PARISIIS,
Apud EDMVNDVM MARTINVM,
viâ Iacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO POMPONIO BELLEVRÆO SENATVS PARISIENSIS PRINCIPI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVOD *pleriſque aliquod opus edituris vſuuenit, vt diu multúmque intra ſe de aſſumendo patrono diſputent,* PRÆSES ILLVSTRISSIME, *id mihi de Rolandi Mareſij Epiſtolis edendis cogitanti non accidit. Cùm enim id vnum ſpectem, vt debito erga eum officio fungar, qui mihi tum propter ſuum erga me amorem, tum propter affinitatem, quâ cum eo coniunctus fui, (quippe qui ſororis eius filiam vxorem du-*

xerim) maximo ſemper ſtudio, & pietate proſequendus eſt: Eo me nec functurũ meliùs, nec ad voluntatem, nec ad gloriam eius accommodatiùs arbitratus ſum, quàm ſi tibi opus eius conſecrarem, qui, cùm præcipuum noſtri ſæculi ornamentum ſis, & ab Auctore ſummâ ſemper obſeruantiâ cultus es, & his epiſtolis multam commendationem tuo nomine es allaturus. Et verò ſi genus illud omne laudum, quæ in te eximiæ ſunt, animo repetere liceat, quid Rolando Mareſio glorioſius accidere vnquam poteſt, quàm ſi eum ſui operis vindicem habeat, qui maiorum ornamentis clarus, aui vtriuſque Cancellarij virtutem in ſe, integritatémque colligit? quid fortunatius, quàm ſi defenſorem eum nanciſcatur; quem tot populi vitæ ſuæ, fortunarúmque omnium arbitrum agnoſcunt, quíque cùm in auguſtiſſimo totius Europæ Senatu principatum teneat, plus tamen ab eo in dignitatem ſplendoris, quàm in ipſum à dignitate deriuetur? Quòd ſi tuam virtutem, & ſublimitatem mentis,

Digitized by Google

quæ omnium tibi vota cultúmque conciliant, commemorem; quæ res ad Mareſij decus, & exiſtimationem conferre magis poteſt, quàm ſi foueatur ab eo, qui nationibus exteris, apud quas tot legationibus tanto Galliæ honore functus eſt, non ſolùm admirationem mouit, verùm Reges adduxit noſtros, vt præcipuam Imperij ſui partem in diſcutiendis difficillimis negotiis ipſi committerent; & cuius diuinum ingenium, quod in politicis rebus tanta cum prudentia, & in forenſibus tanta cum æquitate verſatur, quidquid etiam in diſciplinis omnibus elegantioris, aut delicatioris ſcientiæ eſt, ſumma perſpicacitate diſpicit? Si denique ſummum illum amorem, quo literatos omnes proſequeris, conſiderem, quid commendabilius de hoc poſtumo fœtu pronunciari poteſt, quàm quòd eum tutorem habeat, qui his temporibus ferè ſolus ſit, qui colit ſtudia, ſtudioſos amat, fouet & prouehit? ita vt de te idem meritò dici poſſit, quod Plinius Junior de Titinnio Capitone dixit,

eorum qui aliqua componunt, portum, ſinum, præmium, omnium exemplum, ipſarum denique literarum fautorem & aſſertorem eſſe. Hæ ſunt, PRÆSES ILLVSTRISSIME, *rationes quæ me impellunt, vt hoc Mareſianum opus tibi offeram, quibus ſi addere fas eſt, id quod meo nomine tibi debeo, propter miram eam benignitatem, quâ Aduocatis iunioribus patrocinaris, & ſummam eam beneuolentiam, quâ ſeniorum obſeruantiam adeptus es; nunquid tantò turpius mihi fuiſſet, gratiam non retuliſſe, quantò mihi honeſtior & maior cauſa referendæ? Felix igitur ſi dum gloriæ Rolandi Mareſij conſulo, tibi (quæ votorum meorum ſumma eſt) meam erga te venerationem teſtari poſſim: & dum amico & affini iuſta perſoluo, id aliquo modo exſoluere queam, quod iure patronatus tibi vendicare potes ex clientela*

Tibi addictiſſimi, & obſeruantiſſimi
IOAN. BAPT. DE PERCY, DE MONCHAMPS, in Senatu Pariſ. Patroni.

Digitized by Google

PETRVS LALEMANT
RECTOR
VNIVERSI STVDII PARISIENSIS
I. BAPTISTÆ DE PERCY
DE MOLLIBVS CAMPIS,
in Senatu Patrono.

S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PErlectis iis literis, quas proximè à te accepi, equidem valde lætatus ſum tali cum ingenio, quale tuum mihi iam perſpectum eſt, talem etiam animum erga me plenum amoris, & officij coniunctum eſſe. quid enim eſt rerum omnium, quod nobis, qui bonas artes ſectamur, bonorum, & doctorum hominum de nobis iudicio videatur optabilius? In quo tamen lætitiæ meæ pudor meus moderatus eſt, quòd de Rolandi Mareſij epiſtolis, quas mittebas, iudicium exquirebas noſtrum. Nam quæ poteſt eſſe vlla in nobis ingenij, ac doctrinæ commendatio, quæ ius tribuere poſſit, non dico iudicandi, ſed exiſtimandi de tanto viro? tibi verò quid opus eſt iſtarum editionem molienti, calculo noſtro ad id confidentiùs perficiendum confirmari, cùm tu oculatiſſimus ipſe ſis in eo genere, & te niti ipſo

Digitized by Google

tutiſſimè poſſis? Obſecutus ſum nihilominùs in eo tibi, quod tam amanter exigis; ab epiſtolæ tuæ lectione ſtatim ad Mareſij epiſtolas me contuli, omnéſque ſumma animi voluptate perlegi. De quo quidem opere, vt tibi verè exponam quod ſentio, ita apud me ſum arbitratus, eorum, qui in eo genere literarum voluerunt excellere, ſanè quàm paucos & noſtrâ & ſuperiorum memoriâ æquè ſapienter & eruditè ſcripſiſſe, atque vxoris tuæ auunculum, elegantiùs certè, ac diſertiùs neminem. Deus bone! quantus ſermonis nitor, atque elegantia! quanta rerum vbertas, & dignitas ſententiarum! ſic profectò in his omnia placent, ſiue ingenium hominis & eruditio, ſiue cultus delectúſque verborum, ſiue illud imprimis honeſtatis publicæ, omníſque virtutis, ac diſciplinæ ſtudium, quod vbique præ ſe fert, vt hæc eadem omnia ſenſim ſine ſenſu in legente ſuccreſcant, & incaleſcant, atque, vt Tullianis verbis vtar, non enim poſſum melioribus, impleatur animus iucundiſſimæ lectionis voluptate. Tria verò ſunt, quæ præcipuam meâ ſententiâ admirationem habent, & pariunt delectationem; contentum ſcilicet & æquabile dicendi genus, facile & perſpicuum, purum denique & ab omni tum fuci tum peregrinitatis labe prorſus alienum Fluit quippe ſine vllis ſalebris Rolandi oratio, nuſquam extra alueum fertur, ſicut inanis illa & inflata verborum volubilitas plena pigmentis & puerili ornamento quam neque dicendi modus retinet, neque regit iudicij clauus. Non ſicut ſciolorum & rabularum inæqualis loquacitas pluuiis aquis & collectitiis intumeſcit; ſed Tullianæ inſtar eloquentiæ, gurgitis in modum ex intimo

Digitized by Google

pectore tanquam ex proprio & viuo fonte exundat. Vis enim pectoris ſola vis eſt, quæ diſertos facit; & quò quis plus haurit ex ſe ſe, plúſque afferr indolis ac ingenij proprij, & coalitæ, vt ita dicam, eruditionis ad ſcribendum, eò plùs eloquentiâ valet, & eximiam illam nobis orationis æquabilitatem repræſentat magiſtræ, & ſe ipſam regentis eloquentiæ certam notam & indicem. Et quemadmodum vultus æqualis, & conſtans in homine, bene affectæ mentis, & probi animi argumentum eſt: ſic huius iſta eximia in dicendo conſtantia, & modus, quæ virtus ſeſe eius in epiſtolis primam offert, nos cogit in eo bonam animi valetudinem agnoſcere, robuſtas vires, ſolidámque, & ſublimem mentis eruditionem; quam aſſiduo meditandi labore, & primigenio veluti calore ingeſtam concoxerat; concoctam digeſſerat, digeſtam in ſe penitus transmutarat. Quid mirum igitur, ſi non vtatur niſi verbis perſpicuis, propriis, ſignificantibus, tum tantâ facilitate profluentibus, vt videantur nata in labris, aut è calamo ſponte fuſa, procul amoto omni non modò lenocinio, ſed etiam artificio; quod tamen ita fit, vt, cum naturali pulchritudine eius oratio exurgat, eas tamen vincat & obſcuret, quæ ſummâ curâ atque arte limatæ ac perpolitæ ſunt. Scio equidem nihil operoſius eſſe, nihil magis in lubrico, quàm eius rei arbitrum fieri, quâ vnâ maximus quiſque vir cenſetur; audacter tamen ſtatuo, hanc oratori cuique præcipuam ſemper in ſcribendo ideam proponi debere, vt à ſtilo obſcuro, & operoſo, ſupra omnia orationis vitia abhorreat. Ego quidem mallem propriè communia dicere, & vulgaria facilè, & perſpicuè, modò non vulgariter,

Digitized by Google

quàm rara anxiè & exquiſita affectatè & iuueniliter effundere. Quis enim Senecam ferre poſſit, qui, ſuperiorum fortaſſe aſſequendorum deſperatione, argutam illam, & vexatam eloquentiam ſæculo ſuo ingeſſit? medium quoddam potiùs dicendi genus cum Tullio multò meliore iſtorum iudice tenendum eſt; id eſt orationi mundicia adhibenda, non inſolens, neque exquiſita nimis, perinde ac corpori & veſtitui; & danda opera, vt ſemper intra modum dicamus. Nam vt animi magnitudo remotâ comitate feritas eſt quædam & immanitas; ſic eloquentia, ſi deſit ei facilitas, & liber, quocumque vadat, inceſſus, clauda eſt, iniucunda, & illiberalis; offuſa verò vniuerſæ orationi caligo, affectatus verborum tumor, aut imitatio inepta obſoletæ vetuſtatis, illicò creat aut malè affecti, aut caligantis, aut tardi ingenij ſuſpicionem. In quo quidem, ſi Rolandi Mareſij ſermonis facilitatem & puritatem ſatis exoſculari non poſſum, nequeo non mirari, ac etiam non ſubiracundè inter nos reprehendere quorundam noſtrorum hominum peruerſam conſuetudinem, qui non tarditate ingenij, non errore iudicij; ſed merâ quâdam elocutionis incuriâ, ac falſo obtentu ſcholaſticæ ſubtilitatis in contrarium huic virtuti vitium incurrunt. Atque hæc in aliis negligentia ferenda eſſet, quia ſiue bene ſiue malè loquantur non magni Reipublicæ intereſt; ſed in noſtris, quorum oratio pertinet ad exemplum, & quibus iuuentus ad bonas artes informanda traditur, omnino certè eſt intoleranda. Quanquam id diſſimulare non debeo, quod cum Academiæ laude verè prædicare poſſumus, redire iam ingeniis apud nos bonæ guſtum, vsúmque La-

Digitized by Google

tinitatis. Pauciſſimi iam ſunt inter Academicos, qui malint rudere cum Aſino Apulei, quàm bene loqui cum Oratore Ciceronis. Multos hodie Theologos videmus, multos Iuris peritos & Medicinæ, multóſque optimarum artium præſtantiſſimos ſanè profeſſores, nihil peregrinum, pædagogicum nihil ſapientes, adeóque & ingenio, & moribus, & ſermone politos, vt delicatiores poſſint aures tenere, ipſáque aulica ingenia faſtidioſa quamlibet ad abſtruſiorum ſcientiarum amorem inflammare. Infelix abiit illud ſæculum, quo plurimos ſe vidiſſe Pariſiis Philoſophos Eraſmus aſſerebat, latiniſſimum verò neminem, eóque minùs oratorem: quoque nobiliſſima, puriſſimáque veterum Philoſophorum decreta deformato inquinatóque ſtilo explicare, ita hîc ſolemne erat, vt, ſi quidem Ioanni Pico Mirandulæ fidem adiungimus, barbarè loqui, lingua Pariſienſis & Academica vocaretur; dum illi ſcilicet, graues Philoſophi, & Artiſtæ, atque ex profundiorum Doctorum natione putabantur, qui tanquam clariſſima mundi cymbala barbarum neſcio quid, abſonum & inconditum in ſcholarum angulis reſonarent. Tulit verò hæc ætas noſtra non paucos, in quibus poſſis imaginem aut certè veſtigia antiqui ſermonis Latini agnoſcere. Numerantur apud nos Gagnæi & Richerij, Quintini & Minois, Fernelij & Siluij, Mureti & Paſſeratij, Galandij & Borbonij, aliorúmque talium virorum legitimi dignique ſucceſſores: hos quotidie ante oculos habemus, horum viua vox quotidie aures noſtras perſonat, horum quotidie monumenta tractamus; & quò magis eminent, eò minùs indicari neceſſe eſt, idcircóque ſuperſedeo appellare

nominatim; ac prætereà, vt ait Velleius, pæne ſtulta eſt inhærentium oculis ingeniorum enumeratio. Quòd ſi quis tamen adhuc eſſet, quem aut iudicij imbecillitas, aut deprauatus animi guſtus, aut falſus ſplendor adulterinæ dictionis à recta & genuina loquendi ratione abducerent, huic profectò auctor eſſem, vt, quemadmodum ad Terentium Tullius, quem ille vicinum ſuum appellare conſueuerat, ad Rolandum Mareſium quaſi cum teſta, ignis petendi gratiâ, ſæpiùs adiret. Nihil enim in hoc, vt in illo, non meraciſſimè Latinum, nihil, quod optimi ſæculi colorem nobis non repræſentet, quódque hominibus huius ætatis proponi ad imitandum non debeat. Plura certè nec inuito animo, quia mirâ ſum ad diſertiſſimum hominem laudandum alacritate; nec magno conatu, quia fœcundiſſima eſt illius laudum materia; nec ineleganti fortaſſe ſtilo, quia recens ſum ab eius lectione, congererem. Sed vereor, ne dum epiſtolam ſcribo, ea creſcere in orationem legitimam videatur. Ad te redeo, vir clariſſime, ac tibi impensè gratulor, quòd non ſiuiſti occidere cum auctore clariſſimum illud decus Latinitatis, ſed curâ tuâ perfeciſti, vt, quod modeſtia ipſius magnâ ex parte domi ac in puluere continuerat, publicum fieret ac æternum; quo ſuppreſſo ſanè ac extincto monimento iterum lingua Latina interire mihi, ac mori videretur, adeò in eo reuocata mihi ab orco & ad vitam excitata videtur. Quâ in re præter beneficij publici partem, quam in me ſuſcipio, eo etiam nomine tibi priuatim debere me confiteor, quod, quam familiam & officio, & iudicio obſeruo maximè, meæ erga eam voluntatis oſtendendæ

Digitized by Google

argumentum ſuppeditaſti, propoſitâ occaſione laudandi apud te hominis ex ea optimi & clariſſimi, & mihi iamdudum commendatione famæ cariſſimi. Itaque de publico ago tibi gratias, aut potiùs, quas habent tibi ipſæ muſæ Pariſienſes, interpretor: & de priuato item ago; ac vltra id quod debeo tibi ex cauſa familiæ, cui te adiunxiſti, polliceor etiam id tibi ipſi, quod à me egregiæ dotes tuæ humanitáſque poſtulant, quod non magnum eſſe non poteſt: petóque viciſſim, quod exiſtimatio de te mea beneuolentiáque efflagitant, quod exiguum eſſe non poteſt. Vale. Pridie Kalendas Septembres M. DC. LV.

Digitized by Google

ROLANDI MARESII
ELOGIVM.

ROLANDVS MARESIVS Lutetiæ Pariſiorum honeſtiſſimo loco natus in ſæculum incidit, literis quidem beatum ac florens, ſed quod ab aureâ illâ ingeniorum ætate, quam Franciſcus & Henricus eius filius Francorum Reges benignè ac diligenter fouerant, iam inclinari cœperat. Ille,cùm pro natalium & ampliſſimæ ciuitatis conditione liberaliter educatus fuiſſet: & iis artibus, quas cauſarum publicè agendarum ratio, & illa tempora poſtulabant, abundè ſatis inſtructus videretur, ex quadam parium & vrbis conſuetudine potiùs, quàm ex vllo certo conſilio ad forenſem militiam ſe contulit: & ei operam aliquam dedit. At cùm illius tumultus & ſimulatæ altercationes quietam ac ſeueram hominis indolem offendiſſent, ad actuoſum priuati ſtudij otium ſe recepit: & à cupiditate gloriæ, reíque ſtudioſiùs augendæ deſiderio prorſus alienus, ſuæ animi conſcientiæ teſtimonio ac domeſticis copiis contentus, ſe modeſtè exhibere, quàm operoſis fortunæ famæque bonis auidè captandis imminere maluit. In hoc vitæ genere cum doctiſſimis viris, quorum multos ipſius epiſtolæ indicant, ſtudia communicauit: & amicitiam cum iis, præſertim verò cum Nicolao Borbonio Poëta laureato, & in omni ſæcularium literarum genere cultiſſimo; cum Henrico & Hadria-

no Valeſiis, non ſanguine tantùm, ſed etiam pari eruditione & vitæ gloriâ coniunctiſſimis fratribus; Iacobo Sirmondo, Dionyſio Petauio, Ioanne Launoio, variè pereruditis Theologis; Petro & Iacobo Puteanis, egregiis ſtudiorum ornamentis ac Promicondis; quin-etiam cum Daniele Heinſio, & Claudio Salmaſio, & aliis non minoris notæ viris cùm ciuibus tum exteris, quà vitæ conſuetudine, quà ſcriptorum commercio ſuauiter coluit: & apud omnes tantum exiſtimationis in operibus aliorum examinandis ſibi quæſiuerat, vt eundem Borbonium, ſe ſibi magis ab vno Mareſio, quàm à ceteris omnibus cenſoribus timere, ſæpe affirmantem audiuerim. Ingenio quippe verè Catoniano fuit: & eam morum ſeueritatem, ac gerendæ cenſuræ libertatem præ-ſe-tulit, vt nunquam ſuis, nunquam alienis aut in vitâ, aut in oratione vitiis pepercerit. Eadem de cauſa, ſubtili ac deducto ſcribendi genere delectatus eſt: nec ad illud ſublime, & eloquentiæ pompâ ornatum aſſurgere voluit: quòd minùs caſtum, vt dictitabat, ipſi videretur. In epiſtolis vtroque ſtilo ad amicos, Ægidio Menagio, æquiſſimo ingeniorum æſtimatore, cuius conſuetudine & eruditâ ſodalitate maximè vtebatur, ſuadente, conſcribendis acquieuit: in quibus varia rerum vtilium argumenta pertractat, ac ſæpe viuendi aut ſtudendi prauam rationem carpit. Emiſit aliquas, velut in famæ tentamentum: &, eâ ſuffragante, multò plures exarauit, quibus Auctoris interitus lucem præripuit. Sparſas & vbique iacentes Launoius & Valeſij fratres collegerunt, & in ordinem digeſtis breuiaria, ſingulis propria, pro ſua in eum amicitia & ruditione præfixerunt. Cœlibem vitam amplexus

Digitized by Google

eſt: & cum ſuis commodè vixit: ac per otium Mariam Pratæam, ſororis filiam, quæ in tenerâ ætate domeſtici vim ingenij & acumen haud obſcurè exprimebat, Latinis Græcíſque literis non infelici ſucceſſu informauit. Inſigni vitæ probitate & egregiâ in ſuum fratrem Ioannem Mareſium, Gallicæ Poëſeos ſtudiis, ingenio, & operum cultiſſimorum multitudine clariſſimum, pietate commendabilis extitit. Nec bonâ nec malâ valetudine vſus eſt: at, dum vigilias areſcente per ætatem corpore ſubeuntes, iugi ſtudio adiuuat, languore ſenſim irrepente contabuit, & ſub finem Decembris anno 1653. Pariſiis in Muſarum ſinu fermè ſexagenarius deceſſit.

Petrvs Hallævs I. V. D.
& Pariſiis Regius Anteceſſor.

Digitized by Google

LATIÆ, *Mareſi, cultor impiger linguæ,*
Idémque Graij fons leporis exundans:
Quem non Palæmon vicit aut Ariſtarchus:
Cuius ſeuerum ſcriptor omnis examen
Criticámque timuit lecta charta cenſuram:
Tuus ille tandem fetus exit in lucem,
Heu non videndus, non legendus à patre;
Verùm legendus & probandus à doctis,
Tuúmque terris nomen vſque ſparſurus,
Aliquis manebit dum bonis honor libris.
Laudum quidem ſecurus, ac Deo plenus
Felicitatis nunc potiris æternæ,
Probæque dignum præmium capis vitæ.
At nos, amice, te dolemus exſtinctum
Primo virentis limine in ſenectutis;
Et litterarum fata pæne ſuprema
Tecúmque raptas querimur anxij Muſas.

ROLANDO MARESIO extremum hoc officium pro meritis reddebat
HADRIANVS VALESIVS
amico optimo atque cariſſimo.

IN OBITVM
DOCTISSIMI ET OPTIMI VIRI
ROLANDI MARESII
ELEGIA.

NI dolor incluſus premat imo corde querelas,
Et vetet in triſtes ora ſonare modos;
Exiguos flores Mareſî iactare ſepulcro,
Parua pio cineri munera ferre iuuat.
An querar eloquij puros areſcere fontes
Romulei, & priſci pura fluenta ſalis?
Fraternis nil degeneres ſiluiſſe Camœnas
An querar, & dulcem conticuiſſe lyram?
Magna fuere quidem hæc, magnóq; erepta dolore;
Iacturámque grauem ſentiet orbis inops.
Sed maiora queror: ſancto meliora tegebas
Pectore, quæ grauiùs iam cecidiſſe dolet.
Incorrupta fides tibi me, & ſapientia mitis,
Et candor placidus iunxit amore pio.
Hæc quamuis docto bona non vulgaria ſæclo;
Hoc probitas rara eſt tempore, rara fides.
Et Muſis animus ſollers promptúſque colendis;
Et verique auidus, iuſtitiaque tenax.
Dudum pulſa loco virtus, moréſque vetuſti
Ceſſere; & leges, ſanctáque iura iacent.

Digitized by Google

At tu cum paucis retinebas pectore mores,
Cum paucis artes, dulcis amice, bonas.
Officij conſtans cultor, iucundus amicis,
Fidúſque, & comi ſimplicitate grauis.
Haud mollis vitiis cenſor, vindéxque profani
Ingenij ac priſcæ relligionis amans.
Nec famæ ſtrepitu gaudens & inanibus auris,
Sed ſolida virtute otia tuta fouens.
Dum res Muſarum, dum publica ſedulus vrges
Commoda, & attentâ quà potes arte iuuas:
Dulcibus immoreris ſtudiis, pulcríque laboris
Mole fatiſcens, cum luce relinquis opus.
Heù magnis ætas nimiùm funeſta ruinis!
Atra nimis doctis tempora funeribus!
En etiam Mareſi, tot iam poſt funera ſtragémque
Heroum, leto fers noua damna tuo.
Te quoque iam Pindi laurus, te flumina lugent,
Phœbus & ipſe pater Pieridéſque gemunt.
Mox & flebilibus magni, pia turba, ſodales
Soluent iuſta modis inferiáſque ferent.
Flos te Doctorum & clariſsima lumina lugent,
Téque ſuis mæſti cladibus adnumerant.
Ornamentum ingens Patriæ, decus vtile ſæcli,
Illachrymant ſacro deſſe repente gregi.
Germani ſplendore micans, magis ipſe coruſcas
Luce tuâ: & duplex ſplendet vtrimque decus.
Illi Muſa vigens diuino animoſior igne,
Auia Caſtalidum dat peragrare iuga.

Digitized by Google

Inſuetas calcare vias, ſolóſque receſſus,
Et veſtigia per libera ferre pedem.
Ingenij ſtupuit quoties miracula & artis
Gallia? & ingenti prole ſuperba fuit.
Nec tibi docta tuos inuidit Græcia vates,
Inuidit vates nec tibi Roma tuos.
Te quoque præcipiti fato quem flemus ademptum,
Haud minùs egregium nobilitauit opus.
Seu tenues elegi ſinceri pignus amoris
Manibus eximiis triſtia dona ferunt,
Seu quondam aſſurgens maiori ardore Camœna
Poſt feſtos plauſus, ingenuóſve ſales,
In ſcelera armatáſque ad mutua vulnera dextras
Intorſit validis fulmina carminibus.
Seu bene ſcribendi præcepta exempláque monſtrat
Multa laborato litera ducta ſtilo.
Palladiæque ſinus arcanáque funditùs artis
Explicat, & nitido lumine picta nouat.
Diuitias Latij veteris cultúſque modeſtos
Fundit inexhauſto pagina tota penu.
Vndique muneribus Muſarum exuberat amplis:
Vndique Apollineo nectare plena fluit.
Inſtabas operi, aſsiduóque labore iuuabat
In commune nouas addere ſemper opes.
Inuidere decus Parcæ; ſed protinus omnis
Pòſt ventura ætas præmia digna feret.
Non aureis inciſa notis tibi marmora vates
Auguror, aut titulos æra locuta tuos.

Digitized by Google

Ardua non moles annis ruitura ſepulcri
Inſanâ cineres ambitione premet.
Ingenij meliùs monumenta æterna vigebunt,
Poſteritáſque memor pignora ſacra colet.
Dum Latij in terris maieſtas pura leporis
Viuet & vrbanæ ſimplicitatis honos.
Gloria dum Muſis, Phœbo dum regna manebunt,
Augebítque artes debita fama bonas.
Viuent Mareſij laudes, noménque ſuperſtes,
Scriptorúmque recens gratia ſemper erit.

AD PRÆSTANTISSIMAM INGENIO ET DOCTRINA VIRGINEM MARIAM PRATENSEM

De morte auunculi doctiſſimi viri ROLANDI MARESII

ODE.

MITTE *deformes ſtupidóſque luctus,*
Docta Muſarum, Charitúmque conſors
Pulcra: Quem luges, ſuperâ beatus
Regnat in aulâ.
Ille ſublimis ſuper aſtra ſplendens,
Luce fulgentes oculos potenti
Sordido fletu vetat, & ſerenos
Lædere vultus.

Omnibus fati oppoſitam reliquit
Fluctibus vitam, facilémque ſolui:
Quam graues ſemper feriunt procellæ,
Iráque cæli.
Quam per infeſtas inimica ſyrtes
Vſque ſors verſat, varióque diræ
Corporis peſtes animíque morbi
Turbine vexant.
Nunc tenet littus, placidíque portûs
Otio felix, pelagi furentis
Naufragas cautes, tumidóſque tutus
Deſpicit æſtus.
Nunc bibit vitæ latices perennis
Fonte inexhauſto, liquidíque in æuum
Gaudij puris ſitibunda lymphis
Proluit ora.
Inde ſecurus miſeros tumultus
Ridet, & curas ſtrepitúſque inanes,
Ima queis tellus populíque & vrbes
Vndique feruent.
Nec minùs fato Mareſî ſuperſtes
Fama per laudes memoréſque faſtos
Viuet, æternúmque vigebit omnes
Sparſa per oras.
Sacra nec Mentis monumenta magna
Temporum lapſus variæque ſortis
Subruent caſus, penitúſve condent
Nocte ſilentî.

Túque Muſarum ſacra cui Magiſter,
Arduos cui Pindi aditus recluſit:
Cuius inſuetos ad honeſta prudens
Impulit auſus.
Gloriæ in partem venies futuræ,
Mutuum tanto decus ex magiſtro
Ducis ac reddis; geminatâ vterque
Luce refulget.
Ille ſublimes teneræ puellæ
Spiritus rexit, facilis benignam
Ingenî venam nitidæque mentis
Lumina iuuit.
Ille præceptis ſtudiiſque magnam
Indolem firmans, vtriuſque linguæ
Limpidos fontes & opes repoſtas
Arte retexit.
Tu pio miros properans labori,
Virgo ſucceſſus, propriâ docentem
Gloriâ illuſtras, operæque digna
Præmia reddis.
Sic ſuper formæ ingeniique dotes
Te quibus largè Superi bearunt,
Fama doctrinæ inſolitos modeſtæ
Addet honores.
Sic ſequens ætas Mareſî æqua laudes
Dum canet, plauſu & merito ſacrabit,
Maximum has inter decus vſque Neptis
Docta feretur.

IOANNES VERIVSIVS.

Digitized by Google

INDEX EPISTOLARVM cum ſuis argumentis.

LIBER PRIMVS.

EPIST. I. ***Ad Ioannem Capellanum.*** Ait, cùm tria ſint genera epiſtolarum, ſe tertium ſibi genus elegiſſe, nimirum ſerium & graue, vt exemplo Plinij Iunioris de ſtudiis literarum ſcriberet. *pag.* 1

Epiſt. II. ***Ad Ægidium Menagium.*** Agit de ratione ſcribendi veterum atque noſtrorum. 5

Epiſt. III. ***Ad eundem.*** Suæ in cenſendis ac plerumque improbandis recentiorum operibus ſeueritatis cauſas reddit. 9

Epiſt. IV. ***Ad eundem.*** Menagium hortatur, vt Critice omiſſa ad Poëticam ſe conferat. 12

Epiſt. V. ***Ad Henricum Valeſium.*** Veteres ac bonos libros legendos eſſe docet, malos nouos ac inutiles minimè attingendos, quorum maximam molem ars Typographica nobis inuexerit. 14

Epiſt. VI. ***Ad Hadrianum Valeſium.*** Eum ad res Francorum perſequendas hortatur. 17

Epiſt. VII. ***Ad eundem.*** De ſtili vitiis atque virtutibus agit. 19

Epiſt. VIII. ***Ad Petrum Leſcurium.*** Tacitum & Lucanum ob graues crebráſque ſententias laudat. 22

Epiſt. IX. ***Ad Ioannem fratrem.*** Doctos etiam paucorum librorum lectione, atque attenta meditatione rerum fieri. 25

Epiſt. X. ***Ad Guidonem Patinum.*** Publicas bibliothecas parum prodeſſe ſtudioſis, quibus libri non commodentur. 29

Epiſt. XI. ***Ad Oliuarium Patru.*** Cauſas reddit, cur apud nos pauci ſint diſerti ac eloquentes. 32

Epiſt. XII. ***Ad Iacobum Gaudinum.*** Quî & quâ ætate Dialectica diſcenda ſit. 36

Epiſt. XIII. ***Ad Ioannem fratrem.*** Sua de claris & illuſtribus Francis compoſita diſticha ad fratrem mittit. 42

Epiſt. XIV. ***Ad Ludouicum***

Nublaum. Aduerſus multarum artium ſcientiarúmque auidos, & deſultoria lectione quælibet variorum auctorum volumina delibantes. 48
Epiſt. X V. *Ad Petrum Hallaum.* Cur Luteciæ pauci nunc ſint docti artium profeſſores. 51
Epiſt. X V I. *Ad eundem.* Qua ratione linguam Latinam diſci oporteat. 54
Epiſt. X V I I. *Ad Hadrianum Valeſium.* Quî & quando, & quibus inſtructo artibus Critica ſit exercenda. 59
Epiſt. X V I I I. *Ad eundem.* De malis ſcholiaſtis & interpretibus ſcriptorum veterum. 63
Epiſt. X I X. *Ad Henricum Valeſium.* Cur epiſtolæ imprimis noſtrorum, ab epiſtolis veterum tantopere differant degeneréntque. 68
Epiſt. XX. *Ad Ioannem fratrem.* De amatoriis fabulis agit. 71
Epiſt. XXI. *Ad eundem.* Elegiam ſuam de morte Richelij Cardinalis ad fratrem mittit. 75
Epiſt. X X I I. *Ad Ioannem Capellanum.* Michaëlis Montani laudes cõtinet. 79
Epiſt. XXIII. *Ad Ægidium Menagium.* Verſus ſuos de obitu Nicolai Borbonij, & de Maria Iarſia Gornacenſi ad eum mittit. 82
Epiſt. X X I V. *Ad Petrum Leſcurium.* Plutarchum, eiúſque interpretem Amiotum laudibus extollit. 86
Epiſt. X X V. *Ad eundem.* Exſecrationem ſingularium certaminum Petro Leſcurio Secretario Regio mittit. 90
Epiſt. X X V I. *Ad Petrum Hallaum.* Adoleſcentibus ſcholâ egreſſis non Apuleium aut Barclaium, ſed Ciceronem maximè ſequendum. 95
Epiſt. XXVII. *Ad Ioannem Franc. Saracenum.* Eum hortatur, vt à verſibus ſe ad proſam orationẽ transferat. 99
Epiſt. XXVIII. *Ad Henricum & Hadrianum Valeſios fatres.* Ad eos ſuum pro pace votum mittit. 102
Epiſt. X X I X. *Ad Ægidium Menagium.* De conuertendis linguâ Latinâ Græcis Poëtis agit; & quî id fieri debeat. 106
Epiſt. X X X. *Ad Ioannem Franc. Saracenum.* Patrio ſermone etiam cum laude ac vtiliter ſcribi à doctis poſſe. 109
Epiſt. X X X I. *Ad eundem.* Suum Ludouicæ Gonzagæ R. Propempticon ad Ioan-

Digitized by Google

nem Franciſc. Saracenum mittit. 112

Epiſt. XXXII. *Ad Ioannem fratrem*. De Comœdiis priſcis ac noſtris. 116

Epiſt. XXXIII. *Ad Pet. Gaſſendum*. Ἐγκυκλοπαιδείαν cuique, vt eruditus habeatur, neceſſariam eſſe; & de Gaſſendi doctrina. 120

Epiſt. XXXIV. *Ad Guidonem Patinum*. De priuatis bibliothecis, & de habendo librorum delectu. 123

Epiſt. XXXV. *Ad Petrum & Iacobum Puteanos fratres*. De conuentibus prudentium ac doctorum virorum in bibliothecis, ac de eorum vtilitate. 128

Epiſt. XXXVI. *Ad eoſdem*. Licèt plurimi libri perierint, tamen ſatis multos & bonos nobis ſupereſſe. 131

Epiſt. XXXVII. *Ad Claudium Sarrauium*. Eum laudat, quòd non ſolùm iuri dicundo, ſed etiam literis humanioribus vacet. 134

Epiſt. XXXVIII. *Ad eundem*. Vetera aliena nos compilare, noſtra ac domeſtica in ſcribendo negligere. 137

Epiſt. XXXIX. *Ad Ioannem fratrem*. Suam de morte Brezæi elegiam mittit. 141

Epiſt. XL. *Ad Petrum Theodoricum*. De ratione legendi interpretes Iuris. 145

Epiſt. XLI. *Ad Franciſcum Guietum*. Vti de ſcriptoribus iudicium ferri conueniat. 150

Epiſt. XLII. *Ad Ægidium Menagium* Suum de Dunkerka capta Epinicion ad eum mittit. 154

Epiſt. XLIII. *Ad Nicolaum Heinſium*. Belgis ac Germanis ſtudioſis vtiliſſimas eſſe peregrinationes. 160

Epiſt. XLIV. *Ad Claudium Salmaſium*. De laudibus eiuſdem. 163

Epiſt. XLV. *Ad N. F. Baldum Buiſſonium*. Eius notitiam Geographiæ, & viarum militarium laudat. 166

Epiſt. XLVI. *Ad Franciſc. Vaierium*. Non omnia antiqua, ſed tantùm neceſſaria ac vtilia examinanda eſſe, & ediſcenda. 169

Epiſt. XLVII. *Ad Robertum Salmonetum*. Eum laudat, quòd hiſtoriam belli Britannici noſtrâ linguâ ſcripſerit. 174

Epiſt. XLVIII. *Ad Ægidium Menagium*. Ei de Etymologico eius ſcribit. 177

Epiſt. XLIX. *Ad Nicolaum Heinſium*. De Antiquariis, & de Ciceronis, Athenæi, Lipſiique dialogis. 180

Epiſt. L. *Ad Hadrianum Valeſium*. Nos opera noſtra cenſuræ amici docti ante editionem committere oportet. 187

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

EPIST. I. *Ad Ægidium Menagium.* Rationem ei reddit, cur epiſtolas pergat ſcribere: deinde de epiſtolarum ſcriptoribus cùm antiquis, tum nouis agit. 191

Epiſt. II. *Ad Nicolaum Heinſium.* Petit vt libellum ſuum Suecorum Reginæ tradat: deinde vt quid ipſe, quid alij de eo ſentiant, liberè reſcribat. 198

Epiſt. III. *Ad Franciſcum Barberinum.* Eo nomine illum laudat, quòd non tantùm ſit literatus, ſed etiam literatis faueat. 203

Epiſt. IV. *Ad Antonium Hallaum.* De Ciceronianis agit: ſimul datâ occaſione de coactis in poëſi argumentis: quæ inprobat. 207

Epiſt. V. *Ad Ioannem Franc. Saracenum.* De vitarum ſcriptoribus agit, quales eſſe debeant: ad quod ſcribendi genus eum hortatur. 213

Epiſt. VI. *Ad Claudium Sarrauium.* Longa inſtituitur comparatio inter Plautum, & Terentium, cui palma adiudicatur: tum breuiter Propertius, & Tibullus inter ſe comparantur. 217

Epiſt. VII. *Ad Fredericum Gronouium.* De duobus Critices generibus agit, nempe reſtituendorum auctorum, & ſtudiorum methodi tradendæ: In quorum priore Gronouium egregiè verſatum eſſe: poſterius verò ſe tractare ait. 225

Epiſt. VIII. *Ad Nicolaum Troium.* De linguæ Græcæ cognitione, quam literato omnino neceſſariam affirmat, & de ſcribendo Græcè agit. 229

Epiſt. IX. *Ad Henricum Valeſium.* Hac ætate plurimos ſcriptores doctos inueniri, paucos elegantes: cuius rei cauſas aſſignat. 235

Epiſt. X. *Ad Hadrianum Valeſium.* Vnam artem eſſe colendam vt in ea excellas: item vni literarum generi incumbendum. 238

Epiſt. XI. *Ad Carolum Feramuſium.* Optimè illum facere, quòd forenſem laborem Poëticâ exemplo veterum releuet. 243

Digitized by Google

Epiſt. XII. *Ad Cæſarem Eſtræum.* Quibus ſcientiis ornatum eſſe conueniat Theologum oſtendit: iis omnibus illuſtriſſ. Abbatem excellere. 246

Epiſt. XIII. *Ad Iacobum Sirmondum.* Ei gratulatur, quòd corpore, & animo validus, cùm tamen ſit admodum ſenex, etiamnum literis vacet Eccleſiaſticæque hiſtoriæ: in eo ſtudium & notitiam commendat 250

Epiſt. XIV. *Ad Dionyſium Petauium.* Dicit raró nunc contingere, vt aliquis ſimul ſit in Philoſophia, & Philologia egregius. quod tamen apud antiquos fuiſſe vulgare, & in Petauio reperiri. 254

Epiſt. XV. *Ad Ioannem fratrem.* Eius dotes tractat, vt ad Chlodoueum illius poëma epicum veniat: vbi de Poëtis epicis loquitur. 259

Epiſt. XVI. *Ad Petrum Marcam.* Fructum præcipuum doctrinæ, vtilitatem publicam eſſe ait: ac proinde illuſtriſſ. Epiſcopum commendat, quòd non ſibi ſolùm ſit doctus, ſed etiam aliis doctrina ſua proſit: deinde eius varia munera recenſet. 265

Epiſt. XVII. *Ad Iacobum Gaudinum.* Gratulatur de noua Philoſophiæ Regiâ profeſſione, ſuadétque vt nouam ineat eam docendi rationem. 270

Epiſt. XVIII. *Ad Claudium Hardium.* De litium multitudine, quæ vbique, ſed præcipuè in Gallia viget, queritur; quam magna ex parte Iuri Romano acceptam refert. 274

Epiſt. XIX. *Ad Hieronymum Bignonium.* Regij fiſci Patroni munus commendat, & in quo ſitum ſit demonſtrat: tum in Bignonij laudes exſpatiatur. 282

Epiſt. XX. *Ad Oliuarium Patru.* De malis hodiernis ſcriptoribus agit, qui cogitationes ſuas nec bene diſponere, nec illuſtrare norunt, nec delectare lectorem: deinde alia etiam eorundem vitia notat. 285

Epiſt. XXI. *Ad Ioannem Triſtanum Sanctamantiũ.* De monumentis antiquitatis agit, & præcipuè de nummis: tum Triſtanum laudat ob editam Imperatorum ad Iouianum vſque cum Gallicis commentariis ſeriem. 290

Epiſt. XXII. *Ad Lud. Cantercllum Fabrum.* Illum eo nomine laudat, & ſapientem iudicat, quòd negotiis dimiſſis literas colat,

Digitized by Google

& libros ſcribat: actuoſorum verò hominum miſeriam ridet. 294

Epiſt. XXIII. *Ad Ludouicum Nublæum.* Vt plures nunc quàm antiquitùs, ita peiores libros componi: cui morbo per leges etiam occurrendum eſſe. 298

Epiſt. XXIV. *Ad Nic. Perrotum Ablancurtium.* De tranſlationibus agit, quales eſſe debent, vt placeant. Deinde eum monet, vt poſt tot verſiones editas aliquid ex ſe componat. 303

Epiſt. XXV. *Ad Mich. Marolium.* Agit de tranſlationibus, & maximè Poëtarum, ac varias Abbatis nobiliſſimi verſiones connumerat. Poſtremò probat, quòd opus de viris doctrinâ claris ſuſceperit. 307

Epiſt. XXVI. *Ad Hadrianum Valeſium.* De πολυγράφοις, & centonum conſarcinatoribus agit, quos damnat: & ait attendendũ, non quàm multùm quis, ſed quàm rectè ſcribat. 311

Epiſt. XXVII. *Ad Nicolaum Heinſium.* Ei gratias agit, quòd libellum ſuum Suecorum Reginæ tradiderit: deinde petit, vt ſuam epiſtolam eidem reddat; poſtremò exquirit, qui nunc ſint in Batauia, & omni tractu Septentrionali viri docti. 316

Epiſt. XXVIII. *Ad Chriſtinam Sereniſſ. Suecorum Reginam.* Ei pro euoluto ſuo libello gratias agit. Inde captatâ occaſione breui quaſi panegyrico in eius laudes excurrit. 320

Epiſt. XXIX. *Ad Petrum Hallæum.* Hæc epiſtola vniuerſam puerorum in literis inſtitutionem continet. 328

Epiſt. XXX. *Ad Petrum Leſcurium.* Quærit cauſas, cur tanta ſit inter veteres & recentiores ſcriptores differentia, quantum ad vigorem ſententiarum attinet: idque contingere ait, eo quòd recentiores in ſtudendo iudicium non ſatis exercent. 341

Epiſt. XXXI. *Ad Gabrielem Naudæum.* De librorum præſtantia agit, & de bibliothecis, ac de bibliothecæ præfecti officio: cui maximè idoneum eſſe Naudæum affirmat. 345

Epiſt. XXXII. *Ad Iacobum Mentelium.* De mirabili Typographiæ inuento agit, eiúſque vtilitates recenſet. 349

Epiſt. XXXIII. *Ad Franciſcum Vaierium.* De puerorum regiorum in literis

Digitized by Google

inſtitutione agit; & Sereniſſ. Duci gratulatur, quòd illi talis præceptor obtigerit; Vaierio, quòd talis diſcipulus. 354

Epiſt. XXXIV. *Ad Petrum & Iacobum Puteanos fratres.* Sarrauij mortem deflet apud Puteanos, iiſdémque illius carmen ſepulcrale mittit. 358

Epiſt. XXXV. *Ad Guill. Lamoinonium.* Literarum legitimum eſſe vſum, cùm ad publicam vtilitatem conferuntur: ideo virum ampliſſ. commendat, quòd cùm ſit doctus, ad publica munia acceſſerit. 361

Epiſt. XXXVI. *Ad Petrum Coſtardum.* Liberalium artium laudes tractat: quas tamen non ſufficere ait, vt quis abſolutè ſit doctus, ſed adiungendas grauiores ſcientias. 364

Epiſt. XXXVII. *Ad Ægidium Menagium.* Quorumuis monumentorum inſcriptiones linguâ patriâ fieri debere. 368

Epiſt. XXXVIII. *Ad Antonium Godellum.* Poëticæ laudes breuiter tangit, & ſacram poëſim non dedecere Epiſcopum exemplo veterum docet. 371

Epiſt. XXXIX. *Ad Petrum Leſcurium.* Antiquos Hiſtoricos cum nouis comparat: & recentiorum quædam vitia notat. 374

Epiſt. XL. *Ad Nicolaum Rigaltium.* Plinij naturalem hiſtoriam effert laudibus: ſub finem ad integram eius emendationem ipſum hortatur. 378

Epiſt. XLI. *Ad Iacobum Gaudinum.* Liberales diſciplinas etiam Theologis neceſſarias eſſe confirmat, nec ſolùm rerum curam habendam eſſe, ſed etiam ſermonis, & elegantiæ: & eo nomine Gaudinum laudat, quòd humanitatis ſtudiis excultus ſit. 384

Epiſt. XLII. *Ad Ioannem fratrem.* Fabri Pibracij laudat tetraſticha: ſimul de gnomologis Græcis, & Latinis agit. 388

Epiſt. XLIII. *Ad Ioannem Capellanum.* Academiarum propriè dictarum morem commendat: quarum exempla apud veteres extare ait: & Capellanum laudat, quòd huius inſtituti Cardinali Richeliō inprimis auctor fuerit. 392

Epiſt. XLIV. *Ad Guidonem Patinum.* Hæc epiſtola ſuperiori eſt attexenda, quæ eſt de puerorum in literis inſtitutione, nam methodum continet, quâ adultiores in ſtudiis vtantur, 395

Epiſt. XLV. *Ad Guill. Colletetum*. De vitarum ſcriptoribus agit, quorum quædam notat vitia. 405

Epiſt. XLVI. *Ad Ioannem Launoium*. De ſcholaſtica Theologia agit, quam quæſtionibus nimium ſubtilibus, & curioſis oneratam eſſe ait: Deinde Launoium laudat, quòd hac relicta ad Eccleſiaſticam hiſtoriam ſe applicarit, eámque ſcriptis illuſtrârit. 408

Epiſt. XLVII. *Ad Franciſcum Ogerium*. Quærit cauſas, cur nunc minimus ſit eloquentiæ locus, quæ nunc ferè locum non habet, niſi in panegyricis: exinde de ſacris Ogerij panegyricis agit. 412

Epiſt. XLVIII. *Ad Iſmaëlem Bullialdum*. De Mathematicarum ſcientiarum præſtantia agit, & inter nouos Mathematicos eum laudat. 416

Epiſt. XLIX. *Ad Nicolaum Heinſium*. Huc vſque ſatis operæ in bonis auctoribus corrigendis inſumptum, alia nunc eruditis tractanda: Heinſium verò monet, vt ex ſe aliquid componat. 419

Epiſt. L. *Ad Iacobum Lambinum*. Munus Patroni apud nos honeſtum, & vtile docet eſſe, apud Romanos tamen maiore in pretio fuiſſe. 422

Epiſt. LI. *Ad Ioan. Bapt. Perſium Moncampium*. Ingenio magis, & exercitatione, quàm Rhetorices præceptis eloquentiam comparari ait. 426

Epiſt. LII. *Ad Mariam Pratenſem*. Feminas ad literarum ſtudia aptas, idoneáſque eſſe, & doctrinâ meliores fieri, exemplis, rationibúſque probat. 430

Epiſt. LIII. *Ad Petrum Coſtardum*. Eum ceteróſque doctos hortatur, vt exemplo ſuo epiſtolas Criticas ſcribant, & à quibus in eo ſcribendi genere adiutus ſit, aperit. 438

Epiſt. LIV. *Ad eundem*. Monet, quos auctores ediſcendos putet. 442

Epiſt. LV. *Ad Ioannem fratrem*. Præfationem epico carmini addi non oportere, exemplis veterum Poëtarum docet; ſed ab argumento operis, & inuocatione numinis incipiendum eſſe. 446

Epiſt. LVI. *Ad eundem*. Fratrem ſuum monet, vt quos libros intra duos menſes ſcripſit obſeſſus, per otium retractet, nec carminis ſui editionem feſtinet. 448

Epiſt. LVII. *Ad Nicolaum*

Digitized by Google

Dolebellum. Plurimos reperiri alienorum operum interpretes, ac enarratores; qui inuentis ſuis nitantur, ac per ſe noui aliquid audeant, pauciſſimos. 451

Epiſt. LVIII. *Ad Ioannem Veriuſium.* Theologis Græci, Latiníque ſermonis, & liberalium artium notitiam conuenire. 455

Rolandi Mareſij in Gabrielem Naudæum Epicedion. 458

Amicorum ad Rol. Mareſium epiſtola. 461

Sequitur eiuſdem Mareſij Præfatio, primi libri harum epiſtolarum priori editioni præfixa.

Digitized by Google

AD

I. BAPT. AMATOREM RICHELIVM Maioris monaſterij & ſancti Audoëni Abbatem illuſtriſſimum

PRÆFATIO.

CVM mei *conſilij rationem in ſcribendis hiſce epiſtolis*, ABBAS NOBILISSIME, *primâ epiſtolâ abundè aperuerim: qua ſcilicet re potiſſimùm adductus de literarum ſtudiis hîc agere, quàm de quauis alia materia malui: hæc præfatio non in aliud mihi inſtituta eſt, quàm vt apud nonnullos me purgem, forſan improbaturos, quòd ego exigui inter literatos nominis, in quibuſdam arguendis Ariſtarchi partes mihi ſumpſiſſe videar: quódque maximus temporis acti laudator virtutem annis æſtimem, & apud veteres in literis omnia ferè optima fuiſſe, apud recentiores verò pleraque eſſe mediocria, in epiſtolis meis ſæpe conquerar. Iamprimùm, ſi omnium offenſionem effugere voluiſſem, non quidem ingenij, vt ait Cicero, mihi fama abiicienda, quod in me ſentio quàm ſit exiguum, ſed omnino non ſcribendum erat: quod fortaſſe melius fuiſſet. Deinde nunquam tam bene cum rebus humanis agetur, vt non in iis plura culpanda ſint, quàm laudanda. Optandum verò erat, quantùm ad noſtros ſcriptores attinet, vt hæc querela vana eſſet, haberemúſque aliquid, quod Græcis, & Latinis opponeremus. Sed id nimis verum eſſe etiam nolentes ſummo cum noſtro dedecore fateri cogimur. Illi enim verè, quod dicitur, Aquilæ in nubibus, longè recentioribus præcelluerunt, quod ex eorum mo-*

numentis intelligitur, & in literis omnia meliùs viderunt. Quod tamen neſcio quo modo contingit. Neque enim in hominibus ingenium decreuit, nec nos tarditatis natura damnauit: niſi id partim vitio puerilis inſtitutionis, quæ nunc eſt minùs commoda, fieri dicamus: partim eo quòd primùm in ſcholis, deinde per omnem vitam literarum ſtudia ſegniter capeſſimus, nec parem, ac veteres, diligentiam in illis, atque induſtriam adhibemus. qui etiam in eo meliore, quàm nos, erant conditione, quòd Latinam linguam, quam tot annis vix diſcimus, illi vt vernaculam nullo negotio addiſcebant: Græcæ verò notitiam in ipſa Græcia peregrinando, vel Græci alicuius præceptoris commercio, ac conſuetudine, minimo labore conſequebantur. Sed vt in viam redeam: quod mihi Cenſoris munus vſurpaſſe videor, id longè ſecus eſt. nec enim mihi has partes arrogo. at in gratiam tironum tantùm, quorum commodis conſultum eſſe omni ratione cupiebam, quædam attigi: quæ mihi de ſtudiorum ratione cogitanti ſuccurrerunt. neque enim hæc, quæ fere ſunt de humanioribus literis, doctis ſcripſi, homo vt parui ingenij, ita non multa doctrinæ, vtpote illâ parte animi, quam idem Cicero reliquarum ingenij partium cuſtodem vocat, valdè debilis. Fungar igitur vice cotis, & minùs prouectis, fortaſſe alicui in ſtudiis vſui eſſe potero, tanquam cæcus iter monſtrare velit. mirabile eſt enim, vt ille ipſe Tullius inquit, cùm plurimum in faciendo interſit inter doctum, & rudem, quàm non multum differat in iudicando. Itaque adoleſcentes non omnem operam his legendis luſuros arbitror: quæ ſi minùs venuſtatis, atque elegantiæ, at aliqua ſaltem vtilitatis, vt dixi, ratio commendare poterit. Eos ego cùm ignaros viæ, quam in literis inſiſterent, ſemper miſeratus eſſem, ſæpe in votis habui, vt aliquis doctrinâ, iudicióque pollens, id

munus ſuſciperet: & quoties inter legendum aliquid offendi, quod huc pertineret, libentiſsimè legi. Illi enim poſtquam è ſcholis egreſsi ſunt, vbi prima diſciplinarum elementa hauſerunt, & qualemcunque vtriuſque linguæ notitiam adepti ſunt, tum maximè monitore indigent, qui, quo pede in reliquo ſtudiorum curriculo pergendum ſit, viam commonſtrent. Interea, vt eos quoquomodo adiuuarem, mearum epiſtolarum id argumentum eſſe volui. Sed temeritatis fortaſſe damnabor ipſe, quòd in quibuſdam damnandis iudicium meum fortaſſe liberiùs proferam. primùm neminem è viuis nomino, nec deſigno. Statui enim

Parcere perſonis, dicere de vitiis.

Quod qui non feret, næ ille potiori iure moroſus, & μεμψίμοιρος, quàm ego, habendus erit. Deinde in regno literario licuit, ſempérque licebit liberam ferre ſententiam, quæ neminem alliget, & ſi παραδοξότερα fuerit, auctoris tantùm periculo in medium afferatur: qui, ſi alicubi in iudicando errauerit, ſuam ſolummodò ſtultitiam traducat. nec enim ob eiuſmodi temeritatem vlli vnquam dica ſcribitur. ſanè non video, quare, vt ait Horatius, ſit ius, liceátque perire Poëtis, aliis verò ſcriptoribus non idem concedatur. Ceterùm meam ſententiam ita profero, vt eam refelli non moleſtè feram: nec fremam, aut iraſcar, ſi qui contrà ſentiant. Nec obtrectandi animo nonnulla reprehendo, aut vt aliis ſolertiâ, & iudicij perſpicacitate me præſtare oſtendam: longè enim mihi alia mens eſt: ſed hæc omnia in medium attuli, & fortaſſe alia ſimilis argumenti, ſi Deus dederit, afferam, vt pro virili parte communia ſtudia iuuem, & quæ in iis minùs commodè inualuiſſe animaduertero, num in melius mutari poſſint, tentem: ſimùlque vt eruditorum induſtriam acuam, & ab iis in ea

materia aliquid eliciam, quam longè meliùs tractare poſſe non dubito. Porrò hæc eiuſmodi eſſe cuperem, ABBAS ILLVSTRISSIME, *vt tibi in literarum ſtudiis aliquantùm prodeſſe poſſent. in quibus cùm iam progreſſus magnos feceris, deinceps optimos ſcriptores aſſiduè euoluendi tempus erit. quam ad rem ſi aliquid contulero, ſatis vberem mearum vigiliarum fructum videbor eſſe conſecutus. quas in tuo nomine apparere volui, vt tenui, & ex ſe parum commendabili operi aliquid claritatis ex Richeliano nomine mutuarer: quod propter magni auunculi tui glorioſam memoriam, quamdiu Gallicum ſtabit imperium, maximè ſplendidum, & illuſtre erit: ſimul vt teſtarer, quantùm excelſiſſimæ domui tuæ me etiam propter ea beneficia obſtrictum ſentiam, quæ frater meus à ſummo illo viro, à quo adeo dilectus fuit, accepit. quem poſtquam fatorum iniquitas Galliæ, ſibique eripuiſſet, nouam experiri fortunam, nouúmque adſciſcere patronum non ſuſtinuit, ſed tibi, fratrique clariſſimo, tum pueris altæ indolis, & ſpei ingentis, quam nunc omni ex parte præclarè adimpletis, illius hæredibus operam ſuam addixit: quam, modò ſemper accepta ſit, vobis eius nomine perpetuam ſpondeo. Quantùm verò ad me attinet, ſatis ſupérque fortunatus mihi viderer, ſi mea opera tibi alicui vſui eſſe poſſet. quod quando per virium imbecillitatem mihi polliceri non audeo, hunc ſaltem animum, precor, boni conſulas, obſeruantiámque meam, quam per hoc munuſculum tibi exhibeo, gratam habeas. Vale.*

Lutetiæ Pariſ. anno 1650. ineunte.

ROLAN-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROLANDI MARESII EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

ROL. MAR. IOAN. CAPELLANO S. P. D.

EPISTOLA I.

Ait, cùm tria ſint genera epiſtolarum, ſe tertium ſibi genus elegiſſe, nimirum ſerium & graue, vt exemplo Plinij Iunioris de ſtudiis literarum ſcriberet.

QVòd nugas meas putas eſſe aliquid, & epiſtolas quas aliquando otij fallendi, ſimul & ſtili exercendi cauſa ad Menagium do, colligis, & exſcribis, id me ad hocce ſcribendi genus inuitat.

Digitized by Google

Quod me, fateor, aliquantùm Suffenum
poſſet reddere, niſi id ab humanitate potiùs
quàm à iudicio proficiſci putarem: cùm ſci-
licet cogito hominem acri iudicio, hæc
tanquam alicuius pretij eo dignari honore,
vt exſcribenda, & aſſeruanda putet. Sed
quam potiſſimùm materiam mearum epi-
ſtolarum eligam? Cicero in quadam ad Cu-
rionem epiſtola tria epiſtolarum genera
connumerat. Vnum, cuius cauſa res ipſa in-
uenta eſt, vt certiores faceremus abſentes,
ſi quid eſſet, quod ſcire aut noſtra, aut ipſo-
rum intereſſet, nimirum quo priuata nego-
tia tractantur: alterum familiare, & ioco-
ſum: tertium ſerium, & graue. De rebus
domeſticis literas ſcribere, eáſque poſtea
in lucem edere, id mihi ineptum, & puti-
dum videtur: quales ἀφελῶς ſcribi oporte-
re Marcus Imperator in ſuis libris ex Ru-
ſtico ſe didiciſſe commemorat: quis enim,
ait Seneca, accuratas literas ſcribit, niſi
qui vult putidè loqui? Iocari, vt materia
ſuppetat, non ſemper libet. Tertium ge-
nus, quod eſt ſerium, vel ad Rempubli-
cam, vel ad ſtudia literarum pertinet. De
Republica ij ſoli, qui ad eius clauum
ſedent, loqui poſſunt: ſi tamen omnino
talia ſcriptis mandare expedit. Reſtant

Digitized by Google

ergo ſtudia, de quibus inter amicos per epiſtolas colloqui licet: ex quibus ea quæ ad humaniores, & politiores literas ſpectant, magis quàm reliqua epiſtolæ conuenire mihi videntur. Nam de Philoſophia ad amicos ſcribere; quod Seneca ad Lucilium luculenter fecit, id mea ſententia minùs eſt amœnum, nec ſatis feſtiuum; quales eſſe debent epiſtolæ. In hoc genere Plinius Iunior in-primis excelluit, qui ſuarum epiſtolarum, quæ iudicio meo argutæ ſunt, & elegantes, argumenta ex amœnioribus ſtudiis plerumque deſumpſit. Sunt etiam de moribus, in quibus plurima amicos ſuos commonebat, & ſub exemplo docebat. Ceteræ ſunt de rebus publicis: nimirum ſi quid actum eſſet in Senatu cognitu dignum; ſi quod iudicium perſona, aut crimine notabile; denique ſi mors alicuius illuſtris viri accidiſſet, de his rebus ad amicum quempiam ingenij exercendi cauſa ſcribebat. Quæ ſunt de ſtudiis, eæ de ratione ſtudendi, ſcribendi, ſua ſcripta emendandi, recitandi, & de aliis huc pertinentibus tractant. Illas verò literas accuratiùs ſcripſiſſe in hoc videtur, vt ederet, cùm eſſet maximus ſui oſtentator, quíque omnia ad gloriam, & vt ſibi blandiebatur, immortalitatem refer-

Digitized by Google

ret: in qua ſententia ab auunculi ſui moribus longiſſimè aberat. Miror equidem breues omnino literas, quas de rebus domeſticis ad familiares ſcripſerat, ab eo ſeruatas, deinde editas. Hunc auctorem ſequor, ſed longè, eius veſtigia adorans, & vtcunque imitari conor: non de rebus publicis ſcribendo vt qui nullam reip. partem attingo, quíque id moribus noſtris non eſſe receptũ video, vt liberè de quouis loqui, & quod ſentias, in publicum promere liceat: ſed de ſtudiis tantùm, de quorum ratione ſententiam meam ſine fuco, vt ſoleo aperire mihi deſtinatum eſt: nempe quid in ſtudendo, quid in ſcribendo ſequendum putem, quod iudicium de ſcriptoribus cùm antiquioribus, tum recentioribus, ſed vita functis feram: denique quæ mihi de literis cogitanti aliquando in mentem veniunt, amicis exponere, eóſque de his conſulere ſtatui. Quæ ſi tibi, mi Capellane, tuíque ſimilibus, vt hactenus præ te tuliſti, non diſplicere cognouero, mihi ad pergendum in eo inſtituto non leue calcar additum eſſe ſentiam. Vale.

Rol. Mar. Ægidio Menagio ſuo. S.

Epistola II.

Agit de ratione ſcribendi veterum atque noſtrorum.

Ferre non poſſum, vt liberè dicam quod ſentio, illam quæ hoc tempore apud quoſdam inualuit, ſcribendi conſuetudinem, vt argumento, de quo ſcribere in animo habent, non introrſus perſpecto, ſed obiter tantùm conſiderato, nec priùs omni materia ad id pertractandum comparatâ, ſtatim ad opus ſe accingant, nec quid, aut quo loco ſcribant, quidquam penſi habeant: ſed quidquid in mentem venerit, vix vllo adhibito iudicio chartæ illinant. Etenim iſta ſcribendi ratio mirum quantum ab antiquorum norma diſcrepat. Illi ſiquidem, niſi priùs aliquantùm temporis de materia, quam ſibi propoſuerant, attentè, & diligenter meditati, opus non aggrediebantur: nec hinc inde quod infercirent, aut congererent, corrogabant, ſed quaſi ex ſuo penu omnia proferebant, non aliter quàm apes, poſtquam per campos volitarint, & variis floribus inſederint, mel ex eorum quidem ſuc-

co, ſed per ipſas concocto, & immutato conficiunt. Certè Cicero, (nam quem potiùs in exemplum aſſumam ?) cùm de officiis ſcribere deſtinaſſet, quæ eſſent ea de re à Philoſophis, præſertim à Panætio tradita, attentè ſe legiſſe, & collegiſſe, tum demum operi ſe accinxiſſe ad Atticum ſcribit. Quòd autem ad eos attinet, qui libros quoſdam, quos theſauros appellant, ſi tamen hoc nomine digni ſunt, compilant, feſtiuè à quodam ex noſtris dictum eſt, ex locis iſtis communibus non fieri niſi valde triuiales libros, & communes. Quorum quoties ingentia volumina ex variis auctorum locis conſuta video, Plinij Maioris ſummum in ſcribendo iudicium mirari ſubit, (nam hîc nec doctrinam illius planè admirabilem, nec ſtilum breuem, & ſignificantem, quique ſupra proſam aſſurgit, nec reliquas dotes attingo) qui de vniuerſa rerum natura ſcribere aggreſſus, rem omnem, quæ propè infinita videbatur, paucis libris, & ordine præclaro complexus eſt; cùm ex recentibus quidam minimas eiuſdem hiſtoriæ naturalis partes tot ſint voluminibus perſecuti. Nimirum ille auctorum, quos ſequitur, verba nonniſi raro, idque breuiter, cùm opus eſt, adducit: ſed ab illis deſumptæ

materiæ ſtilum tantùm ſuum accommodat, & opus quaſi ſuo marte, non hians, neque interruptum conficit: Longè aliter iſti: quamplurimos ſiquidem, & prolixos locos in libros ſuos conferre ſtudent: plerumque etiam grauibus rebus, quæ minutias omnes reſpuunt, ſpinoſas, & importunas Criticæ diſquiſitiones, & Grammaticas, ſi Deo placet, quiſquilias inſpergunt: à quibus ſplendida materies refugit, & non aliter contaminatur,

Ac Arretinæ violant cryſtallina teſtæ.

Non diſſimilibus quoque vitiis plerique ex iis, qui hiſtoriam hoc tempore ſcribunt, mihi laborare videntur: poſthabita enim ferè eloquentiæ cura, quæ hiſtoriam quàm maximè decet, ſolummodò rerum rationem habent; quas tamen ſine magno delectu congerunt, & ne quid prætermiſiſſe videantur, minutiſſima quæque, & hiſtoria indigna referunt: Et ſicut Iuriſconſulti ſine alicuius legis auctoritate quid aſſeuerare verentur, ita nihil niſi laudatis auctoribus, & ipſis plerumque illorum verbis adducunt, tanquam aliter hiſtorico fides habenda non ſit. Ad quam normam ſi veteribus ſcribere libuiſſet, Deus bone! quàm elegantes hiſtorias nobis reliquiſſent! diligen-

Digitized by Google

tiæ forſitan, at eloquentiæ palmam apud poſteros relaturos non fuiſſe certò ſcio. Etenim illi auctorum verba, ex quibus res deſumunt, non afferunt; quòd his velut ſalebris perpetuus orationis curſus interrumpi videatur: nec illorum diſſenſum vnquam ponunt niſi in re magni momenti, quæque propter grauitatem, variorum locorum collatione, quæ ſemper iniucunda eſt, non prorſus indigna ſit. Aliquoties etiam iſti, quò maior ſit moles, integras tabulas, & diplomata in calce operis apponunt, libros ex mole iudicari opinantes: cùm contrà apud antiquos percrebruerit verbum iſtud, *μέγα βιβλίον, μέγα κακόν*. Hæc autem ſtulta perſuaſio bibliopolis fortaſſe compendium, ſcriptoribus verò gloriam, certè apud cordatos neutiquam conciliat. Superiores tamen, quas ex auctoritate veterum ſuprà poſui, regulæ in illis, quæ ſunt de populorum origine hiſtoriis locum fortaſſe non habeant; in quibus res ob vetuſtatem obſcuriſſimas niſi adductis teſtimoniis, & variorum auctorum collatione, quod facit initio antiquitatum ſuarum Dionyſius, vix ſatis accuratè explicari poſſe non diffiteor: quanquam Romanæ hiſtoriæ princeps, illius populi origines leuiter executus eſt, & tempus

omne ab Ænea ad Romulum, quod eſt aliquot ſæculorum, paucis verbis complexus eſt. Porrò hæc ad te, erudite Menagi, quem de literis conſulere ſoleo, verboſiùs ſcribere volui, vt iudicium tuum de his rebus exquirerem, & an mecum faceres, experirer. Vale.

ROL. MAR. EIDEM. S.

Epist. III.

Suæ in cenſendis ac plerumque improbandis recentiorum operibus ſeueritatis cauſas reddit.

QVONIAM apud quoſdam in cenſendis quæ quotidie in manus hominum exeunt ſcriptis, paulò ſeuerior audio: conſilij mei rationem in examinandis eiuſmodi ſcriptis tibi hacce epiſtola aperire ſtatui. Iam primùm quod aiunt ex illis mihi nihil quicquam probari, id inficior: ſunt enim in manibus complura, quæ proba iudico, & apud nos hodie ſunt, qui eleganter Latinè ſcribunt (nam de Latinis ſcriptis potiſſimùm eſt ſermo) verſúſque optimos, & ad veterum exemplar componunt. Quòd in iudicando ſim aliquantò rigidior, id non vſquequaque diffiteor, mihi non ſemper

valde probari, quæ à quibuſdam magni æ-ſtimari video, ingenuè agnoſco. Nec verò in hoc iactantior tibi videri debeo. Nam dum exemplo boni illius, & prudentis viri ab Horatio deſcripti ea quæ prodeunt, ad viuum reſeco, alicubi etiam iudicio labi me poſſe ſcio: Nec id ago, quaſi Ariſtarchi alicuius partes mihi ſumam, qui iure imperij agat, & credi ſibi poſtulet: ſed inter amicos, magis inquirendi, & diſcendi, quàm cenſendi ſtudio. Ceterùm quemadmodum ſi quid edo, perpendi, & ſi quid peccarim, moneri non moleſtè fero, imò gaudeo; ſic aliorum ſcripta abſque liuore, & malignitate, quæ procul à meis moribus abeſſe tu ipſe optimus es teſtis, penſitare ſoleo. Nec id quiſquam, quantumuis ſibi Suffenus videatur, grauatè ferre, aut dolere debet: cùm opus quod in lucem prodiit, publici iuris ſit factum, de quo cuique quid ſentiat, dicere licet; & duobus etiam in vtraque lingua Poëtarum principibus non defuerint cenſores. Certè meâ ſententiâ ille nunquam opus victurum emittet, qui ſi amicum non habeat, qui illius ſcripta caſtiget, ſaltem aliquem liberi pectoris hominem non nactus erit, qui manu non parcente illa corrigat: quemadmodum Cynicus

ille dicebat, vt quis ſaluus eſſet, amico, aut inimico ei opus eſſe. Ceterùm hoc tempore non adeò magna eſt eorum copia, qui linguam Latinam exactè calleant, & emendatè ſcribere illo ſermone norint: in quo quidem, quoniam Romani nati non ſumus, facilis eſt lapſus: nam pleraque opera, quamuis Latina videantur, tamen ſi propiùs inſpicias, idiotiſmis ſcatent; qui error eſt communiſſimus. Muretus etiam alicubi conqueſtus eſt, maiorem fuiſſe ſuâ ætate illius linguæ ignorationem, quàm vulgò crederetur. Deinde fere opera noſtra properandi ſtudio, & laboris tædio inemendata, & vt ita dicam, cruda & muſtea emittimus, nec donec deferbuerint, expectamus. Quod antiquis non factitatum comperiet, qui cogitarit Virgilium morientem Æneidem ſuam, vt incorrectam aboleri iuſſiſſe, ad quam emendandam paulò antè in Græciam ſecedere cogitarat: & in mente habuerit quæ Plinius Secundus de ratione ſua opera emendandi in epiſtolis prodidit: de quibus, vt ille de tabula, manum tollere vix ſuſtinebat. Porrò me aliquantùm faſtidioſum, & delicatum reddit frequens auctorum antiquorum lectio; à quibus noſtri homines mirum quantum ſe abeſſe, ſiue iudicium ſi-

ue doctrinam, ſed maximè ſi elocutionem ſpectes, ne ipſi quidem diffitebuntur. Sunt verò qui, dum coram aliis ſibi probari fingunt, quæ apud ſe minimè probant, vrbanitatis famam, cum iudicij ſui diſpendio captant: id verò non fert natura mea aperta ſemper, & ſimplex: ſed de ſcriptis quibuſlibet, modò ſint mei iuris, liberè, at ſine obtrectatione, & fidos inter amicos ſententiam fero: & librum, ſi malus eſt, nequeo laudare, aut poſcere:

—— nec dico, cur ego amicum
Offendam in nugis? nam hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel, exceptúmque ſiniſtrè.

Te verò amiciſſime Menagi rogo, vt hæc in ore habeas, ſi quando coram te, tanquam nimis tetricum, & importunum Criticum me traduci videas: nam apud te, qui me intus, & in cute noſti, nullâ defenſione meum propoſitum indigere confido. Vale.

ROL. MAR. EIDEM. S.

EPISTOLA IV.

Menagium hortatur, vt Critice omiſſa ad Poëticam ſe conferat.

COMMODA *quis neſcit Critices vrbane*
Menagi?
Præſertim quum barbaries tot ſæcla per orbem

Regnaſſet, veterúmque ſacrata volumina fœdis
Turpaſſet mendis: Feritas nam dira Gothorum
Non ſolùm res Romanas immanibus armis
Euertit; ſtudiis etiam melioribus atram
Inuexit peſtem, quæ nunc quoque cuncta teneret,
Ægris ni Critice libris medicata fuiſſet.
Eſt tamen, vt verum fatear, moroſa, labore
Nec conſtat modico, minimè cui gloria compar
Reſpondet, nec quam ſat præmia digna ſequuntur.
Idcirco ſapis, hæc aliis ſtudia aſpera linquens,
Nec ſatis apta tibi: quanquã ſcripta optima, verũ
Heu! nimiùm lacera, & truncis deformia mẽbris
Aggreſſus fueras, quæ vix Epidaurius ipſe,
Vt quondam Hippolytũ, medicâ componeret arte.
O librum egregiũ! Princeps quo maximus armis,
Atque togâ, ſtudiíſque illuſtris prodidit alta
Senſa ſuæ mentis, ſapientúmque aurea dicta
Collegit, quæ vitæ eſſent ſibi norma regendæ.
Huic porrò licèt eximio non ceſſerit alter,
Quo vitas ſcripſit, priſcorum & ſcita Sophorum
Diogenes, pro Dÿ! quàm multa volumine paruo!
Nempe quod in ſtudiis præclarum Græcia docta
Vnquam habuit, denſè congeſtũ hîc cernere fas eſt.
Cum ratione fuit ſumma delectus vterque,
Quo temerè vtilior reperiri, aut pulchrior alter
Vix poterat, tua cui inſudaret cura, labórque.
Verùm hos tranſcribas aliis, qui lumina perdant,
Deſcriptos calamo libros, cariéque legendo

Digitized by Google

Exeſos, blattíſque: in queis dum ſingula pendunt,
Sæpè caput ſcabere, & digitos arrodere cernas.
Fac potiùs verſus, quod iam facis, exere amœni
Vim genij, ſcribens animo iucunda, placere
Quæ cunctis etiam poſſint: paritura labore
Exiguo haud minimam laudem, modicúmque fauorem,
Cùm manibus populi volitabunt trita per vrbem.

ROL. MAR. HENRICO VALESIO SVO S.

EPISTOLA V.

Veteres ac bonos libros legendos eſſe docet, malos nouos ac inutiles minimè attingendos, quorum maximam molem ars Typographica nobis inuexerit.

EGo te eo nomine maximè beatum prædico, quòd à prima ſtatim adoleſcentia in optimos quoſque auctores Græcos, & Latinos incideris, neque, vt fere fit, in tot vernaculis ſcriptis malis, & inſulſis tempus, & operam perdideris. Quotus enim quiſque non continuò vbi è ſcholis exceſſit, amatoriis fabulis, ridiculis narrationibus, aliiſque ineptis, & inconditis libris legendis, quorum noſtra ætas, & lingua admodùm eſt ferax, otium omne impendit? cùm iam

imbutis, ſi minùs Græcæ, ſaltem Latinæ linguæ aliqua cognitione animis, & hauſtis Philoſophiæ elementis veteres ſcriptores in manus ſumere, & ad eorum imitationem in ſcribendo ſe componere oporteret. Longè verò alia erat apud antiquos ſtudiorum inſtitutio: ſiquidem qua ætate nunc adoleſcentes magiſtros exuunt, ea illi grauiores alios ſibi adſciſcebant, nimirum Rhetores, qui ſermonem excolerent, & Philoſophos qui animum varia rerum cognitione implerent. Præcipuæ igitur felicitati tribuere debet, ſi quis in tanta corruptela ſtatim optimum iter ingreditur, & abiectis nouitiis ſcriptis, antiqua, & præſtantiora complectitur. Plinij Maioris illam vocem aliquando miratus ſum, nullum eſſe tam malum librum, vt non ex aliqua parte prodeſſet: quam ob id protuliſſe videtur, quòd de vniuerſa rerum natura ſcribere aggreſſus, ad tam vaſtum, & pæne infinitum opus quibuſcunque libris opus haberet, etiam malis: mihi tum demum ad malos deueniendum eſſe videtur, cùm bonos omnes diligenter euoluerimus: quod quando vitæ etiam longiſſimæ curriculo vix contingere poteſt, inſulſos illos nequaquam attingendos eſſe cenſeo. Sed vnde tanta

librorum turba orbem inuaſit? Ars Typographica aliàs incomparabilis vtilitatis, id ſecum non leue incommodum inuexit: illius quidem beneficio multos libros veterum, qui alioqui funditus interituri erant, ſeruatos habemus: illius beneficio optimus liber minimo labore, & tempore in infinita exemplaria transfunditur, & minimo impendio emitur: quo fit, vt longè meliore conditione in ſtudiis, ac libris comparandis ſimus, quàm antiqui, qua tamen ad noſtrum commodum per ignauiam vti non nouimus: ſed eâdem etiam operâ mali libri minimo negotio, & leui impenſa in manus hominum exeunt, qui vt non ferant ætatem, tamen intereà inconſulta iuuentus, & vulgus indoctum argumenti facilitate illectum, in hos omnem operam, quam in melioribus ponere debebat, inſumit. Quamobrem te non, vt antè dixi, beatum ſed ſumma potiùs prudentia fuiſſe iudico, qui Sirenios iſtos ſcopulos, in quos pæne omnis iuuentus incurrit, ſaluus effugeris, ſtatimque ad optimos ſcriptores nullis aliorum illecebris retardatus te contuleris: quibus cùm per omnem vitam ſedulò incubueris, nihil mirum, ſi talis, qualem te eſſe cernimus, euaſeris. Vale.

ROL.

ROL. MARES. HADRIANO VALESIO SVO S.

Epistola VI.

Hadrianum Valeſium ad res Francorum perſequendas hortatur.

NEminem eſſe arbitror ex iis, qui tuos rerum Francicarum libros attigerunt, præſertim Gallum, quin tacitis votis exoptet, vt in inſtituto opere pergere, & in reliqua Francorum hiſtoria pertexenda operam inſumere velis: adeò diligenter, & Latinè ſunt ſcripti. Cùm enim loca abrupta, & difficilia, id eſt noſtras origines tam expeditè euaſeris; quàm reliqua, vt magis nota, ornatiora futura ſint, & iucundiora, vnicuique facilè coniicere licet. Vt Criticis obſeruationibus, & plurimis variorum auctorum locis ſtilus tuus quodammodo interrumperetur, hactenus fortaſſe neceſſe fuit: alioqui res tam profunda vetuſtatis caligine opertas ſatis ad plenum explicari, & euolui vix potuiſſe agnoſco. Cùm verò noſtrorum Regum res magis iam apertas, & cognitas, quæque ex locupletioribus auctoribus depromentur, attigeris, præcipuè cùm ad Caroli Magni, qui mihi Alexan-

Digitized by Google

dro, aut Cæſare rerum geſtarum gloriâ nequaquam inferior eſſe videtur, imperium perueneris, omnino iucundum erit, videre ſermonem tuum, qui priùs aliquantum coactus videbatur, liberè iam exſpatiantem, & facta tam illuſtria quodammodo exæquantem. Hactenus ſterilitas rerum ob penuriam hiſtoricorum fortaſſe fecit, vt ex Romanorum, & barbararum nationum hiſtoria multa admiſceres: quæ tamen propoſito tuo omninò cohærent, nec ſunt inutilia: quinetiam, eò quòd magis enucleatè, & eleganter, quàm antehac, tractata ſunt, mirum in modum placent. Poſthac res noſtræ adeo ſunt vberes, vt nihil externum arceſſere neceſſe ſit, ſed diligenti, ac diſerto hiſtorico ad oſtentandas ingenij ſui vires abunde ſufficiant. Perge igitur Principum noſtrorum geſta ſtilo exornare, quæ ſatis ampla, & magnifica fuêre, ſed bonorum inopiâ ſcriptorum non ex merito celebrata. ex quo non elegantis tantùm hiſtorici, ſed boni etiam ciuis famam te conſecuturum non vanè augurari potes. Vale.

Digitized by Google

ROL. MARES. EIDEM. S.

EPISTOLA VII.

De ſtili vitiis atque virtutibus agit.

SÆPENVMERO mirari ſoleo, cùm lingua Latina inpræſens nullius gentis ſit propria, ſed ex antiquorum lectione tantùm addiſcatur, pleroſque homines non optimos quoſque ſibi in ſcribendo imitandos proponere, nec ex Quintiliani præcepto Ciceronem, & vt quiſque erit Ciceroni ſimillimus, in exemplum aſſumere, ſed ſtilum, & characterem ex maximè diſſimilibus auctoribus varium, & inæqualem ſibi comparare. Certè fere accidit, vt ea phraſi homines in ſcriptis vtantur, qua in ſermone quotidiano: ſic poſt Ciceronis illud æuum, Plinij, Quintilianus, & alij, quamuis in deterius mutatum eſſe ſermonem viderent, tamen in ſcribendo non alium fere ab eo, quo quotidie vtebantur, vſurparunt: ſic etiam inferioribus temporibus, cùm Romanæ linguæ maieſtas ſimul cum imperio multùm eſſet imminuta, Symmachus; poſtea cùm pæne tota corruiſſet, Caſſiodorus, non abſoluti illius ſermonis for-

mam, ſed tum temporis vſitati ſunt ſecuti: At in lingua non natiua, ſed quæ diſcitur, quæ, malum, ſiniſteritas, aut ſtultitia eſt non optimum quodque exemplar ſibi proponere, &, ſi Latinè ſcribere velis, in Cicerone, Liuio, Curtio, & ſimilibus exprimendis, non, quoad eius fieri poteſt, laborare? Non deſunt etiam quamplurimi, qui verbis, ſi Deo placet, priſcis, & obſoletis, ex Plauto, Varrone, Feſto quoque, & Nonio collectis vti, quàm notis, & vſitatis ſatius ducunt, & duodecim tabulas, vt ait Seneca, loquuntur: nec id quod à Cæſare excellentis ingenij, & prudentiæ viro ſcriptum eſt, in memoria habent, tanquam ſcopulum, ſic inauditum, atque inſolens verbum eſſe fugiendum: quaſi neminem velint ea quæ dicunt intelligere: quo morbo laborantem quemdam adoleſcentem à Fauorino feſtiuè reprehenſum refert Agellius, qui tamen ipſe prudenti illius admonitioni non admodum obtemperauit, nimis antiquis, & à longo tempore deſitis verbis aliquando vſus. Sunt etiam qui magnum quid ſe facere putant, quòd, vt ait Horatius,

—— verbis Græca Latinis
Miſcent, quòd ſermo lingua concinnus vtraque

Dulcior, vt Chio nota ſi commiſta falerni eſt.
Verùm id ſummo cum ſtudio cauerunt antiqui, Cicero præcipuè: qui, ſi, quando verbum aliquod Græcum in locum Latini, quod deficit, aut non æquè valet, afferre cogitur, veniam petit: nec vnquam in orationibus, ſed ne in libris quidem Rhetoricis, aut Philoſophicis, niſi rarò extraneo ſermone vtitur: In epiſtolis ſolis, iiſque maximè, quas ad valde familiares, qualis erat Atticus, ſcripſit, hanc licentiam, quam epiſtolaris familiaritas admittere videtur, vſurpauit: quod fecit etiam aliquoties Plinius. Contrà iſti ſine iudicio, ſine vlla neceſſitate Græcas voces vbique inſpergunt, & orationem quaſi teſſellato opere contexunt. Noſtra ætate I. Lipſius magnus ſanè in literis vir, multíſque librorum monumentis clarus, præcipuè verò de antiquitate Romana, quam tot ſcriptis illuſtrauit, optimè meritus nouam latinitatem affectauit, & cùm argutias vndique captaret, & aculeos relinquere in lectorum animis concupiſceret, conciſum & abruptum ſcribendi genus, quàm Ciceronianam vbertatem, & facilitatem ſequi maluit: qua in re ob auctoritatem, quam in literis aliàs meritò adeptus erat, imitatores ex ſua gente aliquot habuit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Nuper cùm illius epiſtolas ſanè elegantes, & argutas attentiùs conſiderarem, ſermo mihi propè Poëticus viſus eſt, & omninò Statium referre, quem ipſe pro ſummo Poëta habuit; cuius ſcriptio valde eſt adſtricta, & crebra parentheſi interrupta, vt itidem Lipſij. quod ſit verò tuum, mi Valeti, de his iudicium ex libris liquidò apparet, in quibus non inæquale, perplexúmque, aut priſcis verbis inſperſum, ſed Ciceronianum, vel Ciceroniano proximum ſcribendi genus mihi conſectari videris. Vale:

ROL. MARES. PETRO LESCVRIO SVO, REGIO SECRETARIO.

EPISTOLA VIII.

Tacitum & Lucanum ob graues crebráſque ſententias laudat.

ALEXANDRVM ferunt Homeri ſcripta tanto in pretio habuiſſe, vt ea perpetuò ſecum ferret, quibus etiam ſeruandis pretioſiſſimum ex Darij præda ſcriniolum ſelegerit: Plato quoque Sophronis mimos ceruicali ſubditos ſemper habuit. Conſimiliter tu ex omnibus libris, quos propter negotia iamdiu depoſuiſti, pæne vnicum

Digitized by Google

elegiſti Tacitum, quo otium, quando datur, oblectare, vel morbi nimium moleſti, & peruicaciter recurrentis tædium, cùm tandem ſe remiſit, lenire poſſes. quæ optio mihi à te ſummo cum iudicio facta videtur: nam ſcriptor eſt verè magnus; quem ſi quis attentè conſiderarit, & legerit, modò ſit eâ mentis perſpicacitate, & eo iudicio, quo tu es, præditus, procul dubio ſummam ex eius lectione vtilitatem capere poterit. nam magnis mentibus maximè conuenit, & præcipuè iis, qui ad Reip. clauum ſedent: ſingulis ſiquidem pæne lineis monitum aliquod politicum continetur, quod eruere non cuiuſuis eſt; & quod de Thucydide dixit Cicero, ei omnino conuenit, ita crebrum eſſe rerum frequentia, vt verborum propè numerum ſententiarum numero conſequatur: in iudicando verò de iis rebus quas narrat, adeo ſagax eſt, vt ad prudentiam comparandam vnus omnium inſtar auctorum eſſe poſſit, quique non obiter ſit legendus ſed pæne ad verbum addiſcendus. Cui quòd Lucanum aliquando adiungis, id optimo quoque conſilio facere videris. Poëta eſt enim, ſi modò eſt, in quo quamuis quædam reprehendantur, longè tamen plura laudanda ſunt:

Digitized by Google

tumidum, & affectatum ſcribendi genus, declamatoria rerum etiam minimarum ad oſtentationem amplificatio, & frequentes à propoſito excurſiones, vt omniſcius eſſe videatur, fortaſſe in illo culpentur: at de rebus acres, & ſanas habet opiniones, de virtute verò, non fere aliter ac Zeno loquitur, grauéſque de ea ſententias vbique inculcat, quæ eò altiùs hominum mentibus inſident, quòd non ſine aliquo acumine inſiguntur. Porrò hîc reputare ſubit, quàm apto ad ἐγκυκλίους diſciplinas ingenio te natura finxiſſet, quantóſque in iis progreſſus iam feciſſes, cùm cura rei familiaris, & grauiora negotia te à ſtudiis retraxere. Docilitas enim mentis, & ἀγχίνοια ſummo cum iudicio coniuncta, necnon memoria, quæ ſcientiæ eſt ταμεῖον, cùm in te maximè eluceſcerent, linguarum Græcæ & Latinæ, ſine quibus nihil ad plenum poſſe ſciri fatendum eſt, notitiam ſatis exactam iam tibi comparaueras, optimóſque ſcriptores ſedulò contriueras, etiam principes Philoſophorum Platonem, & Ariſtotelem attigeras: ſed hanc philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem eſſe iudicaſti, rebus agendis incumbere, controuerſias componere, quæque Philoſophi doceant, quod

Euphrates philoſophus Plinio Iuniori dicebat, in vſu habere. Quod cùm aſſiduè magna cum laude facias, ex negotiis quæ geris, longè honeſtiorem, & vberiorem fructum refers, quàm ex ſtudiis, totâ ætate illis diligenter incumbendo, capere potuiſſes. Vale.

ROL. MARES. IOANNI FRATRI. S.

EPISTOLA IX.

Doctos etiam paucorum librorum lectione, atque attenta meditatione rerum fieri.

QVOTIES in aliquam inſtructiſſimam bibliothecam ingredior, & libros innumeros in forulis collocatos conſpicio, animus primo tot voluminum aſpectu pæne, vt ita dicam, occæcatur. Cùm enim tam infirmâ ſim memoriâ, vt quod ei ſcriptum infigere velim, decies repetendum, ac relegendum ſit, exemplo Martialis paucis, ſed vt eligam, libellis contentus, tot librorum mole premi, & fere obrui videor: certus alioqui, quàm paucis opus ſit libris, non ſolùm vt bene, beatéque viuas, (quando Diogenes licèt indoctus, eximiè tamen philoſophatus eſt) ſed etiam vt doctus eua-

das. onerat enim diſcentem turba, non inſtruit: ideóque ad amicum ſcribit Seneca, cùm legere non poſſit quantum habuerit librorum, ſat eſſe habere quantum legat. Quod mihi in ingreſſu bibliothecarum vſuuenire ſolet, quin itidem tibi accidat, non dubito. Cùm enim nunquam tibi à cura rei familiaris, & ab aliis occupationibus multum otij fuerit, multorum lectioni librorum vacare non conceſſum eſt: ſed, quæ longè eſt optima ſtudendi ratio, meditationi, & tacitæ rerum apud te conſiderationi præcipuè incubuiſti; ex qua fortaſſe, necnon ex vſu haud minorem vtilitatem cepiſti, quàm ex aſſidua librorum peruolutatione capere potuiſſes. Quòd ſi tibi per negotia licuiſſet plus operæ, & temporis in ſtudia impendere, non poſtremo fortè loco inter noſtrates ſcriptores recenſerere. Ingenio enim adeo felici, & fœcundo præditus es, vt ex illo quaſi ex inexhauſto fonte, ea, quæ profers, haurire videaris: quod in iis ludicris ſpectaculis, quæ in theatris totâ plaudente aulâ exhiberi curaſti, abunde patuit, & maximè in poëmatis, in quibus, quæ præcipua poëſeos pars eſt, mira elucet inuentio: eloquentiâ verò tantùm vales, nullis pæne ta-

men Rhetoricæ præceptis imbutus, vt tuo exemplo manifeſtum fieri poſſit, quod plerique veterum affirmarunt, vim dicendi non tam arte, quàm natura, & exercitatione conſtare: quod iis quoque libris oſtendiſti, quibus fabuloſas narrationes proſecutus es. Ad doctrinam quidem comparandam quin lectione opus ſit, nemini dubium eſt; ſed & attenta meditatio, & accurata naturæ, & rerum quæ ob oculos verſantur, quotidianorúmque euentuum conſideratio non minoris fortè eſt vtilitatis, modò prima diſciplinarum elementa hauſeris, & optimos ſcriptores ſaltem deguſtaris. qua in re tamen multùm peccari video. non ſatis enim apud nos meditamur: quod nihilominus facilè, & vbiuis exercere licet: ſed omne noſtrum ſtudium in libris legendis impendimus, memoriámque variâ rerum ſupellectile ornamus, iudicij nulla fere cura: & ſolùm quid quis dixerit, retinemus, non quare dixerit, iudicamus. Homerus omnium artium inuentionem longo tempore præceſſit, doctiſſimus tamen fuit, & illarum parens quodammodo habitus eſt: quod abſque dubio vi ingenij ſummâ, & aſſiduâ rerum meditatione conſecutus eſt. Intuere illos vulgò ſa-

pientes dictos, quorum incertus eſt numerus: hi non auxilio librorum, qui tum nulli, aut certè perpauci erant, ſed ſublimi ingenio, & indefeſſo labore plurimas artes inuenerunt, & tam multa egregia, hominúmque ſocietati vtilia prodiderunt. Porrò hæc omnia eò à me allata ſunt, vt affirmem, nos non lectioni tantùm librorum, vt docti euadamus, incumbere, ſed etiam ingenium, iudiciúmque exercere, & rerum quæ aut à natura fiunt, aut ab hominibus aguntur, contemplationi vacare debere:

—— alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Quorum vtinam alterum tibi abundantiùs contigiſſet, & per ſatis implexas occupationes tibi ſeriò, & toto pectore libris incumbere licuiſſet: quamuis enim multa, eáque ſatis egregia ſcripſeris, plura tamen, & abſolutiora dubio procul edere potuiſſes. Vale.

Digitized by Google

ROL. MARES. GVIDONI PATINO DOCTORI MEDICO.

Epistola X.

Publicas bibliothecas parum prodeſſe ſtudioſis, quibus libri non commodentur.

PVBLICARVM bibliothecarum, officioſiſſime Patine, vſum antiquiſſimum eſſe conſtat: nam primus Athenis Piſiſtratus liberalium diſciplinarum libros publicè ad legendum præbuiſſe memoratur. Ingens poſtea voluminum numerus à Ptolemæis regibus conquiſitus eſt. Romæ Auguſtus bibliothecam Græcam, Latinámque in Palatio publicauit: quod exemplum alij etiam ex Cæſaribus imitati ſunt. quâ in re omnes liberalitatem ſuam cum literarum amore coniunctam teſtati ſunt. Hac ætate quoque plerïſque in locis, etiam apud nos ſumptuoſiſſimæ bibliothecæ omnium vſibus patent. ex quibus tamen, ſi verum dicere licet, minùs vtilitatis, quàm primâ ſpecie apparet, ad eos qui illuc commeant, redire ſolet. Nam quis illic, quæſo, ſtudiorum profectus eſſe poteſt, vbi certis tantùm diebus, & horis ſtudetur, & ple-

rumque in tumultu, ac turba; vnde librum aſportare, quem per otium domi euoluas, nefas eſt? cùm ſecretum, & liberum arbitris locum, & quàm altiſſimum ſilentium ſtudentibus maximè conuenire nemo dubitet. Quo fit, vt illic curioſitati potiùs, quàm vtilitati plerumque inſeruiatur, dum tituli librorum tantùm leguntur, & ipſi exteriùs inſpiciuntur, aut certè leuiter perſtringuntur. ſi locus dumtaxat ſingularis ex illis requiratur, aut ſcriptura antiqua ex manuſcriptis codicibus petenda ſit, quin id in bibliotheca fieri poſſit, non ambigitur: verùm ſi liber euoluendus eſt, quo temporis ſpatio id contingere poteſt? Quod non eò dico, quòd publicarum bibliothecarum vſum damnem, aut improbem; non enim adeo deſipio, etiamſi inde nihil aliud commodi emergeret, niſi quòd docti homines illuc conueniunt, vbi de literis inter ſe colloquia habent: verùm hæc mea ſententia eſt, ſi libri aliquando commodato darentur, quibus per otium vti liceret, longè maiorem vtilitatem fore. Verùm, inquient, libri ſi aſportarentur, bibliotheca citò dilaberetur, ac dilapidaretur, cùm quamplurimi reperiantur, qui libros alienos retinendo, furtum ſe non arbitrentur

admittere: probatis tantùm, & ſpectatis viris id concedi vellem, ídque ſub chirographo: alioqui res omnis mihi oſtentationis magis, quàm magni alicuius emolumenti eſſe videtur. Sed quorſum, inquies, iſta? nempe vt tibi declararem, te non minùs ſapienter, quàm humaniter facere mihi videri, quòd præter præcipuum illum fructum, quem ex libris tuis, ſedulò quantum per occupationes licet, iis incumbendo, percipis, alium etiam illos communicando colligis: multùm in hoc à quibuſdam cani Æſopico ſimilibus abhorrens, qui cùm libros ſuos raró attingant, tamen illorum facere copiam, & aliis meliùs vſuris commodare recuſant. Ex inſtructiſſima ſiquidem, quam poſſides bibliotheca, volumina leuiter etiam notis, nedum amicis vtenda liberaliter præbes: ex quorum numero cùm is ſim, qui his frequentiùs vtar; quamuis ſæpe aliàs, quantum eo nomine me tibi obſtrictum eſſe ſentiam, coram teſtatus ſim, tamen hac etiam epiſtolâ ſignificare volui. Vale.

Digitized by Google

ROL. MARES. OLIVARIO PATRV IN SENATV PATRONO.

EPISTOLA XI.

Cauſas reddit, cur apud nos pauci ſint diſerti ac eloquentes.

CVM ſuperiore ſæculo liberales artes, quæ tamdiu exſulauerant, quaſi poſtliminio reductæ fuerint, mirum profectò videri debet, Rhetoricam ſolam neglectam fuiſſe, & tam paucos apud nos exſtitiſſe, qui etiam diſertorum nomen obtinere potuerint. habuimus ſiquidem Philoſophos tolerabiles, habuimus Poëtas probabiles, Oratores non habuimus. Quod procul dubio eloquentiæ excellentiam, cùm præſtantiſſima quæque ſint valde rara, liquidò demonſtrat. Cuius defectus hæc poteſt aſſignari cauſa, quòd non multus eſt apud nos, vt quondam erat apud Athenienſes, & Romanos, Oratorum vſus: nempe quia ſub Principe viuimus, ex cuius arbitrio cuncta pendent: Atqui Cicero ſcribit in regum dominatione deuinctis naſci cupiditatem dicendi non ſolere. In his autem vrbibus, in quibus ſummum imperium penes popu-

lum erat, eloquentiâ tanquam fræno oratores ad illum regendum, & quo modo libuiſſet, moderandum vtebantur. Nam è ſuggeſtu ſacro conciones magis ſermonis ſimplicitas cum vitæ dignitate, & probitate coniuncta, quàm oratoria facultas commendat, & ad perſuadendum efficaces reddit: nec meo iudicio quidquam putidius eſſe poteſt, quàm de rebus ſacris declamatorio more diſſerere. In Principis verò conſiſtorio vix accidit, vt cùm ſententiæ de pace, vel bello, vel re quapiam alia graui dicuntur, fusè perorare, & in dicendo excurrere concedatur: quamquam noſtram etiam ſecordiam in hoc quadantenus accuſare licet. Nam in foro etiamnum aliquis patet eloquentiæ campus: & quamuis moribus noſtris receptum non ſit, vt oratorum voce rei aut accuſentur, aut defendantur, in quibus iudiciis Romæ oratores omnia eloquentiæ vela pandere ſolebant: tamen in reliquis cauſis, quales erant Centumuirales, mos Areopagiticus non ita ſtrictè ſeruatur, quin aliquibus prooemiis, & epilogis vti permittatur. In omni certè cauſa res demonſtranda, & controuerſia conſtituenda eſt; tum id, quod intendimus, confirmandum; pòſt quæ con-

trà dicuntur refellenda. Nam ſermo cùm purus ſemper, & terſus eſſe debeat, tum præſertim nitidior multò, & ornatior eſſe debet, cùm in publico verba fiunt. quicquid verò hac in re peccatum eſt, à peruerſa in ſcholis inſtitutione magna ex parte manare certum eſt. Pauca enim quædam Rhetoricæ præcepta ſine vllo vſu, aut exercitatione traduntur à magiſtris plerumque infantibus, & qui ne per ſomnium quidem, quid eſſet Rhetorica, viderunt. Ad extremum Dialectica nunc tota ad ſophiſticas nugas, & argutas concertationes, quæ acumen irritum exercent, conuerſa, ſine vllo fructu, aut operæ pretio tractatur: ex qua quomodo argumenta ad vnamquamque rem probandam apta deſumenda eſſent, iuuentus ediſcere deberet, ſi verus, & legitimus eius vſus doceretur. Romani verò poſt primas apud Grammaticum exercitationes, iam grandiores totos ſe Rhetori dabant, apud quem frequenter declamando, & ſtilo operam dando ſe exercebant, & ad dicendum ſe comparabant. Non mirum igitur, ſi tam pauci hoc tempore exiſtunt, qui ſaltem diſertorum nomen tueri poſſint. Quotus enim quiſque eſt, ſi verum fateri volumus, ex

Digitized by Google

magno Aduocatorum numero, qui in id ſtudium operam inſumere, & in aliqua eloquentiæ mediocritate acquirenda inſudare velit. plerique enim non ſatis attendunt, quod Craſſum Scæuolæ fratri ſolitum eſſe perſæpe dicere refert Cicero, illum in Iure Ciuili ſatis illi arti facere non poſſe, niſi dicendi copiam aſſumpſiſſet: nec facundi oratores videri curant, ſolo bonorum patronorum nomine contenti. Tu verò vir diſerte, quamuis illa laus minimè vulgaris ſit, nec aſpernanda, tamen hîc non ſubſtitiſti: ſed cùm ea artium præſidia, quæ ſunt oratori maximè neceſſaria conſecutus eſſes, ſermonis curam, quæ prima eſſe debet, præcipuam habuiſti, illúmque ſcriptitando, & vertendo magnopere excoluiſti; cùm Cæſaris verbum, quod idem Cicero refert in Bruto, in mente haberes, verborum delectum originem eſſe eloquentiæ. Poſtea in eloquentiæ ſtudio te non perfunctoriè exercuiſti, nec vnquam in cauſis grauibus, niſi paratus ad dicendum acceſſiſti: quam optimam eſſe comparandæ eloquentiæ rationem ſæpius nominatus Cicero iudicat, cùm illud verè dici refert, peruersè dicere homines, peruersè dicendo facillimè conſequi. Quæ

Digitized by Google

laus quò rarior eſt hac tempeſtate, eò etiam tibi glorioſior eſſe debet: quam in dies auctarum, cùm de illo ſummo ſtudio nihil remittas, facilè confido. Vale.

ROL. MARES. IACOBO GAVDINO DOCTORI THEOLOGO.

EPISTOLA XII.

Qui & quâ ætate Dialectica diſcenda ſit.

ANTIQVI Dialectici, mi Gaudine, omnium cauillis aſſiduè perſtricti ſunt: ob eam nempe cauſam, quòd plerumque in ſuperuacuis tempus tererent, & circa multa leuia, & nugatoria verſarentur, quibus quædam vtilia eſſent admiſta. quapropter ſubtiles iſtos diſputatores Ariſton cancros edentibus ſimiles eſſe dicebat, qui propter exiguum cibum circa plurima oſſa occupantur. Dialectica quidem quin apprimè vtilis ſit, nemini dubium eſſe poteſt, vtpote, teſte Cicerone, omnium artium maxima, quæ doceat rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primùm videre, deinde diſtinguere, poſtremò habere regulam, quâ vera, & falſa iudicentur, & quæ qui-

bus poſitis ſint, quæque non ſint conſequentia. Verùm quæ in ea ſunt inutilia Seneca ſcribit proſpicienda, ſed proſpicienda tantùm, & à limine ſalutanda, ſubtiliúſque eſſe inuolutas quæſtiones contempſiſſe, quàm ſoluere, quas acutam delirationem vocat. Quid verò veteres dicturos putas, ſi vidiſſent quâ anxietate modò hæc ars tractetur, quámque ad ineptas cauillationes deſcenſum ſit? quibus tantum abeſt, vt ingenia vegetiora, & acriora fiant, vt his comminui, & concidi credat Fabius. Dialectica enim non in aliud diſci videtur, quàm vt de eâ ipsâ in ſcholis digladiemur ἀπείριτα δηριάοντες, vt aiebat Timon Sillographus, & vociferemur, contentionis ſcilicet cupidiores, quàm veritatis: quibus occini poteſt ille Homeri verſus, quo Theocritus quemdam Dialecticum ipſi acriter, & contentiosè reſpondentem repercuſſit,

Ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο.

Cuius profectò rei gratiâ Logica non eſt inuenta, ſed vt aliis ſcientiis addiſcendis tanquam ὄργανον ſubſeruiat. Cui etiam, ſi Deo placet, multa extranea admiſcent, nempe ex Metaphyſicis, credo, vt rem per ſe ſatis difficilem, & intricatam, difficiliorem, &

intricatiorem reddant: quò rudibus, & indoctis maiori ſint admirationi: quos idcirco Arceſilaus præſtigiatoribus comparabat, qui acetabulis ſuis; & calculis ſpectantium oculos quaſi faſcinare videntur. ſed vt ait Seneca, nihil acutius ariſta: quædam inutilia, & inefficacia ipſa ſubtilitas facit, & acumen nimis tenue retunditur, & in ſe reclinatur. Ceterùm cùm hæc ars duabus partibus conſtet: quarum vna in inueniendis in vnâquaque re probabilibus argumentis verſatur, altera in illis examinandis, & explorandis, ſintne proba, an fallacia: primam partem pæne omittunt, ſaltem leuiter attingunt: in alterâ, vt minùs neceſſariâ, ita quæ longè minùs habet negotij, toti ſunt. Quamquam cum ratione mihi facere videntur, quòd circa locos argumentorum non multùm deſudant homines plerumque ἄμουσοι, qui bonos ſcriptores, vt ſibi incognitos fere exoſos habent, & in alium orbem ſibi delati videntur, ſi quis eos ab eiuſmodi tricis ad ſtudia paulò humaniora traducat. Cùm enim multa auctorum lectione non ſint triti, nec amplam ad diſſerendum de omni re materiem, vt ita dicam, in animum comportarint, in Topicorum cognitione acquirenda ſe tor-

quere non multùm neceſſe habent. Inde eſt, quòd pueri Dialecticam mihi non videntur docendi, quod tamen nunc vbique in vſu eſt, ſicut nec Rhetoricam (quando Dialecticorum, & Oratorum vnam eſſe vim ſcribit Cicero, & Rhetoricam Dialecticæ ἀντίστροφον vocat Ariſtoteles). requirunt enim ambæ animum multâ lectione imbutum, & variâ rerum notitiâ inſtructum. Certè idem Cicero refert in Bruto, ſe, paulò antequam primam cauſam publicam diceret, tum planè adultum, cùm dies ac noctes in omni doctrinarum meditatione verſaretur, Stoico Diodoto dediſſe operam, à quo cùm aliis in rebus, tum ſtudioſiſſimè in Dialectica exercitum fuiſſe; quæ quaſi contracta, & adſtricta eloquentia putanda eſt, ſine qua illam iuſtam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam eſſe putant, acquiri non poſſe ſcribit. Et Xenocrates ei, qui neque Muſicâ, neque Geometriâ, neque Aſtronomiâ inſtructus, ludum ipſius frequentare cupiebat, Abi, inquit: anſis enim, & adminiculis Philoſophiæ cares: quidam dixiſſe ferunt, apud me lana non carminatur. Puerilis enim ætas, vt id obiter dicam, in Mathematicis diſciplinis, quæ memoriâ maximè con-

ſtant, priùs occupanda eſſet, quàm ad Philoſophiam accederet. Notum eſt enim illud Platonis, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Itaque vt Logica puriùs addiſcatur, cenſeam ipſum eius auctorem legendum: ſed quoniam adſtrictus valde eſt, & obſcurus, nec omnes eâ ſunt vi mentis, & acumine, quo Auguſtinus, qui Categorias per ſe intellexit, habemus illam Gallicam organi Ariſtotelici paraphraſim amplam, & luculentam, ab ornatiſſimo, & doctiſſimo viro Philippo Canaio compoſitam, quæ omnia enucleatè exponit, nihilque inexcuſſum relinquit. Quòd ſi ea quibuſdam difficilior, & prolixior videtur, qui his pleno ore ſe ingurgitare nolint, breuis quidem, ſed explanata, addo etiam, pura, & elegans, quantùm certè materiæ obſcuritas paſſa eſt, Molinei Logica mihi commoda videtur. Quòd ad Topica attinet, quæ pars eſt longè nobiliſſima, & maximè neceſſaria, illi certè malè feriati homines fuerunt, qui egregios, quamquam mutilos Rodolfi Agricolæ de inuentione Dialectica libros, quem virum Eraſmus non alio, quàm diuini nomine appellat, è manibus iuuentutis excuſſerunt; pro quibus, & aliis vſu receptis nouitios ſuo marte confectos, ne

nihil ex ſe afferre videantur, Deus bone! quales ſubiiciunt, & obtrudunt. Sed antequam epiſtolæ licèt ſatis longæ finem imponam, illud addam me mirari, quî fiat, vt homines qui prima ſe ratiocinationis elementa tradere profitentur, ipſi tam abſurdè ſæpe diſſerant, & qui quidquid velint, ſe probaturos eſſe glorientur, in pleriſque hæreant, nec ad perſuadendum valeant: ſed quod mirum magis eſt, cùm ſint magiſtri ſermonis, ipſi infantiſſimi deprehendantur: niſi fortè id ex eo oritur, quòd eius quam profitentur, artis vſum non peruiderint, etiam qui tota vita nihil aliud egerunt, nec ex illius præſcripto diſſerunt, aut ſcribunt: cuius beneficio eius auctor, ſaltem perfector Ariſtoteles omnes ſcientias optimè animo complexus eſt, & prorſus admirabiliter pertractauit: ſimiliter Galenus, qui fuit Ἀριστοτελικώτατος, eiuſdem præſidio Medicinam antea confuſam facili methodo, & ordine perſpicuo in artem redegit. Néſcio etiam quomodo accidit, vt qui in iſtis argutiis penitus defixi ſunt, rebus agendis minùs idonei reperiantur: quod vidit ſapientiſſimus ille Socrates, cùm Euclidi, à quo ſunt Philoſophi, qui primò Megarici, deinde ἐριστικοὶ, poſtremò

Digitized by Google

Dialectici ſunt cognominati, circa ἐριστικοὺς λόγους nimis occupato dixit, Sophiſtis poteris vti Euclide, hominibus nequaquam. De his autem pleniùs apud te agere volui, Gaudine doctiſſime, quoniam tu inuictus quidem es Dialecticus, talis tamen, vt iudicij tui acrimonia vſum legitimum Dialecticæ probè perſpexeris, quem, quoties habes orationes, vel ſcribis, pulcrè exeris. Nimirum aliud quàm ſophiſticen noſti, literiſque humanioribus, quæ philoſophis tanto ſunt ornamento, apprimè excultus es: quas qui neglexerit, is certè magnum ex Logica fructum colligere nullo modo poterit. Vale.

ROL. MARES. IOANNI FRATRI. S.

EPISTOLA XIII.

Sua de claris & illuſtribus Francis compoſita diſticha fratri mittit.

CVM nuper quemdam epigrammata varij generis in viros illuſtres Gallos, quorum icones in porticu Richelianarum ædium conſpiciuntur, compoſuiſſe viderem, mihi quoque inceſſit cupido in ſimili argumento verſibus ludendi. eà maximè

Digitized by Google

de cauſâ, quòd eximios viros, qui rebus domi, foriſque geſtis, ſed præcipuè bello claruiſſent, laudibus proſequi, eóſque elogiis exornare boni ciuis eſſe iudicarem: quod etiam feciſſe Atticum, in eius vita auctor eſt Cornelius Nepos. verſibus enim, qui ceteris populi Romani, honore, rerum geſtarum amplitudine præſtiterant, ita expoſuerat, vt ſub ſingulorum imaginibus facta, magiſtratúſque eorum non ampliùs quaternis quiniſve verſibus perſcripſiſſet. Verùm mihi viſum eſt potiùs diſtichis rem agere; quæ, quoniam nullum carminis genus breuius eſt, tabularum ἐπιγραφαῖς maximè conuenire mihi videbantur. Diſticha igitur quaſi breuis elegij loco, ſingulis iconibus inſcribenda compoſui: in quibus magnopere adniſus ſum, quantùm epigrammatis breuitas paſſa eſt, vnumquemque re maximè notabili, aut aliquo facinore valde memorabili deſignare, & notum facere, ita vt abſque tabella fere cognoſci poſſet. an operæ pretium fecerim, tu videbis. Quòd ſi ea Diſticha non planè indigna iudicaueris aures oculóſque viri eminentiſſimi morari, qui hîc, vt in ceteris rebus, eſt emunctæ naris, & iudicij ſubtilis, ſeruabis præcepta, quibus Horatius

Vinnium Atellam, ipſius libros Auguſto oblaturum inſtruit, ſi vacuus, ſi lætus erit, tenes cetera. Hoc verò tempore commodiſſimè id facere poteris, cùm ruri degat, vbi infrequentior ei ſolet eſſe comitatus. Vale.

ELOGIA
ILLVSTRIVM GALLORVM,
Quorum imagines in tabellis depictæ cernuntur in porticu Richelianarum ædium.

HENRICVS MAGNVS R.

HESPERIÆ *terror, dum vixit, amórque ſuorum:*
Gallia cuius adhuc triſtia fata dolet.

MARIA MEDICÆA AVGVSTA.

Cernis, quanta graui maieſtas ſplendet in ore?
Hæc vna HENRICO *coniuge digna fuit.*

LVDOVICVS IVSTVS R.

Protegit auxilio ſocios, qui fortibus armis
Antè ſua aſſeruit, læſáque iura Dei.

ANNA AVSTRIACA REG.

Principibus tot auis, nec coniuge rege ſuperbit:
O rarùm in tantâ nobilitate decus!

Digitized by Google

GASTO LVDOVICI R. FRATER.

Altera ſpes patriæ, regali ſanguine cretus:
Ambo per magni facta parentis eunt.

ARMANDVS RICHELIVS Cardin. & Dux.

Grandia qui tot facta vides, tollatur imago,
Dices, hæc non ſunt vnius acta viri.

SVGERIVS ABBAS SANCTI DIONYSII.

Antiquum eſt proceres tractare negotia ſacros:
Huic rerum vtiliter credita cura fuit.

SIMON COMES MONTISFORTIS.

Relligio tanto iactat ſe vindice, maior
Armis quo nemo, vel pietate fuit.

BERTRANDVS GVESCLINIVS Comes Stab.

Debetur pulſis tibi laus æterna Britannis.
Prô Dij! per te hoſtis nunc quoque regnat Iber.

OLIVARIVS CLISSO COMES STAB.

Illuſtrem peperit tibi fuſus Belga triumphum:
Sed ſub rege alio viuere dignus eras.

Digitized by Google

IOANNES BVCICALDVS MARESC.

Hunc bene barbarico numen defendit ab enſe,
Qui patriæ validam poſtea ferret opem.

IOANNES AVRELIANENS. NOTHVS.

Ad laudem quid obeſt ſpurio de ſemine naſci?
Legitimis longè præſtitit iſte nothus.

IOANNA AVRELIANENSIS VIRGO.

Fama ſui ſexus, armis inſignis Amazon:
Nulli plus debet Gallia ſalua viro.

GEORGIVS AMBACIVS CARDIN.

Conſuluit populis Lodoicus, magnáque geſſit,
Nixus conſiliis, Ambaciíque fide.

GASTO FVXIVS.

Morte tuâ egregium corrumpis Gaſto triumphũ:
Gallia ſic victrix ſe ſuperaſſe dolet.

PETRVS BAIARDVS.

Pectore dum firmo pugnam ſuſtentat, in hoſtem
Conuerſo voluit ſaucius ore mori.

LVDOVICVS DE TREMOLIA.

Virtutis memor antiquæ, iam grandior annis
Regi intercepto non ſupereſſe tulit.

Digitized by Google

ANNAS MOMORANTIVS
Comes Stab.

Felix, qui pugnans cecidit ſub mœnibus vrbis,
Pro patriâ, & priſcâ religione, ſenex.

CAROLVS LOTHARINGVS CARDIN.

Iſte decus procerum quos veſtit purpura, regni
Fulciit inuicta mente labantis opes.

FRANCISCVS LOTHAR.
Guiſius frater.

Tam validè Metim propugnat, Cæſar vt inde
Diffiſus fatis ceſſerit imperio.

CAROLVS COSSÆVS
Briſſacus Mareſc.

Alpinos populos Marte, Inſubréſque ſubegit,
Dux promptus dextrâ, conſilióque potens.

BLASIVS MONLVCIVS MARESC.

Ductor erat bello ſpectatus, & impiger, alter
Cæſar; res etenim condidit ipſe ſuas.

ARMANDVS GONTALDVS
Bironius Mareſc.

Militiâ egregius, mortem qui fortis in armis
Oppetiit, felix, ni genuiſſet, erat.

Digitized by Google

FRANCISCVS BONNENSIS
Leſdiguerius Comes Stab.

Contigit huic tandem merces præclara laborum,
Militiæ à grato principe ſummus honos.

Hæc Diſticha iuſſu D. Cardinalis tabulis tum inſcripta, etiamnum ibidem viſuntur.

ROL. MARES. LVDOVICO NVBLÆO IN SENATV PATRONO.

EPISTOLA XIV.

Aduerſus multarum artium ſcientiarúmque auidos, & deſultoria lectione qualibet variorum auctorum volumina delibantes.

POSTQVAM adoleſcentes qualemcunque vtriuſque linguæ, ſed Latinæ præſertim, vſum, Ariſtotelicæque Philoſophiæ mediocrem notitiam, quod tamen non minimum eſt, in ſcholis conſecuti ſunt, nihil illis optabilius meo iudicio contingere poteſt, quàm doctus, & prudens monitor, qui tirones, quo deinceps pede in literarum ſtudiis ſit pergendum, edoceat. Maxima enim pars ignari quam viam inſiſtant, quos auctores in manus ſumant, quóve

quóve ordine, aut methodo progrediantur, cæcorum more huc illuc feruntur: plerumque verò libris inſulſis, & inutilibus; vtpote intellectu facilioribus, quíque iuuentutem magis alliciant, ſe applicant: cúmque tum maximè omnium artium leuem ſaltem cognitionem adipiſci deberent, vt poſtea alicui ex his totos ſe dederent, de ſu ltoria, quam vocat Seneca, lectione, nullo certo conſilio per ſcriptores vagantur, leuitérque tantùm, quidquid arripuere, delibant, & nihil penitus, atque ad plenum curant perdiſcere. Poſtquam verò ſcientiæ, quam colant præcipuè, facta eſt electio, etiamtum quidam propoſiti ſui obliti, quiduis aliud ſcire affectant. videas quoſdam, qui Medicinæ arti tam nobili, quæque totum hominem ſibi vindicat, ſe addixerunt, tanquam nimis anguſtis finibus claudantur, etiam Mathematicos fieri; quaſi parùm gloriæ ſit, vnam artem callere, & in ea excellere, quámque ſpartam nactus ſis, vt eſt in prouerbio, illam ornare; aut quaſi omnibus paſſim, & promiſcuè contingat, plures ſcientias animo complecti, & illarum perfectam notitiam acquirere: quod paucis quidem, quos æquus amauit Iupiter, conceſſum eſt, ſumma vi

Digitized by Google

ingenij, & memoriæ, aliiſque mentis dotibus præditis. Nec enim quotidie naſcuntur homines Platoni, aut Ariſtoteli ſimiles, qui indefeſſum laborem admirabili illi, quam à naturâ habebant, animi ſolertiæ adiungentes, id conſecuti ſunt, vt cùm nihil ignorare viderentur, de omnibus ferè ſcientiis poſſent ſcribere. Quæ cùm ita ſe habeant, miror in tot eruditis viris, qui noſtro, & ſuperiori æuo libros ſat multos ediderunt, tam paucos extitiſſe, qui communia ſtudia iuuandi animo, de ratione illorum inſtituendorum plenè ſcribere in animum induxerint. Quidam ſanè ſtrictim alicubi hoc argumentum attigerunt: quod vellem vel Lipſius, vel alius ſimilis doctrinæ, & iudicij tractandum ſuſcepiſſet: certè cuicunque eius rei in mentem veniſſet, nullo is alio munere ſtudioſam iuuentutem magis demereri poterat. Te verò, doctiſſime Nublæe, verè cerebri felicem, non, vt ſcribit Horatius ironicè de Bolano, dicere poſſum, quòd optimam ſtudendi viam ingreſſus, poſtquam variarum artium ſcientiâ imbutus eſſes, linguiſque, & amœnioribus literis excultus, in iure demum ciuili pedem fixiſti: in quo diſcendo non leuiter, & perfunctoriè ver-

Digitized by Google

ſatus es: ſed illud cum Pontificio coniunctum cùm exactè didiciſſes, ita te comparaſti, vt de iure conſulentibus prudenter reſpondere, & litigantibus conſilij copiam ſumma cum ſolertia præbere poſſes. Id verò in te maximè comprobo, quòd in toto ſtudiorum curſu id ſedulò tenuiſti, vt nullam materiem deſultoriè attingeres, ſed cuicunque rei operam dares, eam ad plenum addiſceres. Quæ vnica eſt ſtudiorum rectè inſtituendorum methodus: quam qui ſeruare neglexerit, is certè fructus eiuſmodi, quales ex his retuliſti, ſe collecturum nequaquam ſperare debet. Vale.

ROL. MARES. PETRO HALÆO POETÆ ET INTERPRETI REGIO S.

EPISTOLA XV.

Cur Luteciæ pauci nunc ſint docti artium profeſſores.

CVM præſentem Pariſienſis Academiæ ſtatum conſidero, nequeo mirari ſatis, aut me continere, quin exclamem hei mihi! qualis eſt, quantùm mutata ab illâ, ad quam velut ad celeberrimum bonarum literarum emporium vndique concurrēba-

Digitized by Google

tur. Sed antiquiora tempora omitto, quibus in ſumma etiam barbarie viguit: illius ſolùm ætatis memoriam repetam, quâ Rex Franciſcus tanquam aliquis Hercules μουσαγέτης inſtituto Profeſſorum collegio linguarum cognitionem, & liberalium artium commodiorem tractationem reduxit. Tum enim fuit quaſi iuuentæ flos, ac robuſta Academiæ maturitas, & Muſarum opus maximè feruere viſum eſt: nimirum cùm ad audiendos Siluios, Turnebos, Lambinos, alióſque in ſuâ quemque arte conſummatos viros huc vndique adoleſcentes confluebant. Nunc verò planè conſenuit. quot enim, quæſo, ſunt eruditi profeſſores, qui illius quondam florentis, famam, & dignitatem tueri poſſint? quod non vtique mirandum eſt,

—— quando artibus illis
Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborũ.

verè enim dictum eſt, honos alit artes, ferimúrque ad ſtudia gloriâ. Cuius mutationis hæc in-primis videtur eſſe cauſa; quòd, vt ait Comicus, omnium rerum eſt viciſſitudo, ardórque ille literas colendi, qui ſuperiore ſæculo paſſim animis inceſſerat, multùm refrixit, & alia nunc vigent apud homines ſtudia: qui ſibi ſatis eſſe ducunt,

Digitized by Google

ſi modò leui literarum notitia imbuantur, quas plerique non in id ediſcunt, vt doctiores, aut meliores euadant, ſed vt harum beneficio ad artes quaſdam quæſtuoſas aditum habeant. Antea paſſim viros doctos cerneres, in emendandis, & explicandis veteribus ſcriptoribus occupatos, linguíſque, & ſcientiis excolendis intentos: nunc illa omnia pæne iacent: philoſophicis tantùm altercationibus ſcholæ perſtrepunt. Sed & pauci inueniuntur, qui Grammaticorum, & Rhetorum munere defungi, vt decet, literáſque, & qualemcunque eloquentiam in ſcholis docere poſſint: Quòd niſi tu Halæe, exiſteres, aliique non multi, qui magnâ cum laude, & concurſu profitemini, Academia noſtra nunc planè concidiſſet. Alia etiam illius vaſtitatis cauſa aſſignari poteſt: nimirum tanta per Gallias ſcholarum nouarum multitudo, quæ tanquam riui, Academiam Pariſienſem, vnde ductæ erant, exhauſerunt, & quaſi inanem alueum reliquerunt. Quod certè nullo modo ferendum erat. Lutecia enim ſemper habita fuit tanquam alteræ Athenæ, ad quam ex omni pæne Europa adoleſcentes ſcientiarum cupidi confluebant: Nunc in omnibus oppidis, & ſub ipſis fere

Digitized by Google

oculis vrbis gymnaſia inſtituta ſunt: in quibus non elementa ſolùm literarum, ſed etiam Rhetorica, & aliæ, ſi Deo placet, artes docentur: quàm bene, alij viderint. Certè ij, per quos id effectum eſt, more Cæſaris, qui iam Remp. nihil eſſe dicebat, appellationem modò, ſine ſpecie, ac corpore, gloriari poſſunt. Per illos enim Academia nunc verè nihil aliud eſt, quàm magni nominis vmbra. Verùm tu Halæe, & reliqui tui ſimiles collabentem ſuſtinete, & in inſtituenda iuuentute ſedulò, quod facitis, laborate; quorum munus nequaquam leue, nec parui in Rep. momenti exiſtimandum eſt; cùm pueros aliquando magiſtratus, principaliúmque onerum adiutores, & regni moderatores futuros literas edoceatis, ſine quibus animis hominum virtus vix inſtillari poteſt. Vale.

ROL. MAR. EIDEM. S.

EPISTOLA XVI.

Qua ratione linguam Latinam diſci oporteat.

MAGNA vis eſt profectò conſuetudinis, quæ facit, vt ritus quoquomodo inducti, manifeſtum licèt vitium, &

Digitized by Google

incommodum habeant, antiquitate tamen defendantur. Quod mihi in mentem venit, dum meo iudicio non ſatis expeditam, quæ ab aliquot ſæculis vbique viget, linguam Latinam docendi rationem apud me reputo. Grammatica enim, vt nihil de illius obſcuritate, & prolixitate dicam, non vniuſcuiuſque nationis vernaculo ſermone, ſed ipſo Latino conſcripta, nunc eſt in vſu: quaſi iam pueri id ſciant quod diſcere in animo habent. Quæ methodus licèt experientiâ teſte vſus valde incommodi, imò, ſi verum dicere licet, planè inepta ſit, mordicus tamen retinetur. Paucos quidem ante annos quædam Grammatica idiomate Gallico edita eſt, quæ mihi cùm hoc nomine, tum quòd vulgari breuior multò eſt, & facilior, mirum in modum probatur: quam memini, cùm ante aliquot menſes apud me domi eſſes, tibi oſtendiſſe, & aliqua in eam rem tecum diſſeruiſſe, quorum vt tibi memoriam refricem, viſum eſt hæc ad te perſcribere, vt pro auctoritate, quâ in Academiâ polles, quamprimùm huic malo mederi coneris, & ſi minùs in-præſens, ſaltem cùm eius ſupremum magiſtratum, qui tibi aliquando ex merito continget, conſecutus fueris, veterem conſue-

Digitized by Google

tudinem aboleas, hacce nouâ ſubſtitutâ, quam eſſe commodiſſimam, rem modò attentiùs conſideres, haud dubiè fateberis. Grammatica enim quæ nunc omnibus in ſcholis docetur, ab homine quidem docto conſcripta, nimiùm tamen eſt prolixa, quam videlicet pueri vix quatuor annis addiſcant: pleriſque verò in locis obſcura, & intricata: cuius auctor cùm nihil omiſſum vellet, multa non neceſſaria intulit, cùm tamen pleraque vſui relinquenda eſſent. Veriſſimè enim à Ramo proditum eſt, Grammaticæ pauca præcepta, vſum verò in auctoribus legendis multum eſſe debere: ſed maius incommodum in eo eſt, quòd Latino ſermone ſcripta eſt. Ille quidem Grammaticus, vt ſuas præceptiones cum omnibus gentibus communicaret, non aliâ linguâ ſcribere debuit. ſed mirum mihi profectò videri ſolet, nemini in mentem veniſſe, vt eas in ſuam transfunderet, quò à popularibus nullo negotio intelligerentur: donec tandem vnus apud nos extitit, (ſi modò vnus, nam plures audio operam contuliſſe) qui id noſtris hominibus præſtaret; mihi quidem ignotus, ſuum enim nomen ſuppreſſit, ſiue quòd eſſet ab omni oſtentatione alienus, & minimè ambitioſus, ſiue

Digitized by Google

quòd ex huiuſmodi ſcripto tanquam humili laudem capere aſpernaretur, vir, vt quidem videtur, maiorum capax. quæ modeſtia vulgus ſcriptorum ambitionis condemnat, qui ferè in id ſolum ſcribere videntur, vt nomen ſuum poſteritati commendent, & ſæpiſſimè etiam in muſtaceo laureolam quærunt. Quàm verò longum ſit iter hactenus tritum, quàm pueris inamœnum manifeſtò videmus: quorum pleríque viâ tam difficili à ſtudiis abſterrentur, cùm tenera ætas potiùs omnibus illecebris ad literas allicienda eſſet. Verùm ſicut Grammatica Græca Latino idiomate concepta in vſu eſt, nimirum iis vſui futura, qui in Latinâ linguâ profectum fecerunt, & eius iam vſum aliquem habent. Similiter Latina noto ſermone ſcribi deberet. Quod ſi fiat, non minimum temporis ſit compendium, cuius magna fit iactura in diſcendis verſibus Latinis obſcuris magnopere, & perplexis. Sed præter id lucrum, quod vt rei pretioſiſſimæ magni faciendum eſt, alia etiam vtilitas hinc emergeret, linguæ ſcilicet noſtræ exactior notitia, quam eâdam viâ conſequeremur: cuius nobis turpior eſt ignorantia, quàm Latinæ, licèt ob ſolœciſmum in illâ admiſſum non

Digitized by Google

perinde, vt in hac, pueri ferulis obiurgentur. Quamuis enim noſtram linguam omnes planè noſſe videamur, tamen quid peculiare, nec cum aliis commune, quid elegans habeat, plerique ignoramus. Romani verò etiam ſuam in ſcholis diſcebant, nec ſolùm Μῆνιν ἄειδε θεά, ſed etiã Arma virûmque cano illis prælegebatur. Ceterùm cùm pueros in gymnaſiis tot annos detineri conſidero, in quæ tanquam in aliquod piſtrinum detruduntur, & compinguntur, & ex quibus etiam pro illo ſtudio, & amoris ardore, ſine quo in vitâ nihil quidquam egregium neminem vnquam aſſecuturum Cicero ait, literarum odium plerumque domum referunt; facere non poſſum, quin illius temporis diſpendium conquerar, quo illi memoria tum maximè tenaci, ſimul Græcam linguam tam neceſſariam, & alia quæ mox adultis ediſcenda ſunt, etiam tum edoceri poſſent. Sed de his hactenus. Nec verò me fugit, quòd hæc epiſtola ſit de rebus etiamſi neceſſariis, vt ait Quintilianus, procul tamen ab oſtentatione poſitis, vt operum faſtigia ſpectentur, latent fundamenta. ſed quæ primo aſpectu vilia, & abiecta erunt, ea diligentiùs inſpicienti maximè vtilia eſſe videbuntur. Vale.

Digitized by Google

ROL. MARES. HADRIANO VALESIO SVO S.

EPISTOLA XVII.

Qui, & quando, & quibus inſtructo artibus Critica ſit exercenda.

HIc ferè mos eſt hodie adoleſcentium eruditulorum, vt, antequam penum aliquem doctrinæ ſibi compararint, & aliquandiu in ſcribendo ſe exercuerint, ἐν τῷ πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνοντες ſtatim animaduerſionum, & emendationum aduerſaria emittant. nam ab his ferè auſpicantur, quæ nihil aliud ſunt, quàm Sibyllæ folia, verbulis aliquot examinatis, aut correctiunculis leuibus aſperſa. Quod ſtudiorum genus equidem non damno. quid enim vtilius iſtiuſmodi ſcriptis eſſe poteſt? modò auctores ex attentâ variorum librorum lectione tantam ſint eruditionem conſecuti, vt in eo genere iam ordines docere poſſint: quales fuêre Politianus in Miſcellaneis, Turnebus in vberrimo illo aduerſariorum cornucopiæ, Lipſius in operibus criticis, & alij innumerabiles. verùm indignor, quòd plerumque iuuenculi illotas manus

ad libros admouent, quos idcircò tantùm legere videntur, vt in iis mendas offendant. quod perinde eſt, ac ſi quis eâ ſolùm gratiâ iter ingrediatur, vt ſcrupis, aut lapidibus incurrat, moleſtè ferens planâ, nec impeditâ viâ incedere. Vellem igitur, vt antequam quis opus aliquod publici iuris faceret, diu tacitus ſe in ſcribendo exercuiſſet, ne imparatus, ac pæne infans ad id accederet: deinde vt in omni ferme ſcriptorum genere verſatus eſſet, antequam Grammatici partes ſuſciperet, cui omnes pæne artes ſaltem leuiter ſunt attingendæ. quæ quidem partes in enodandis, aut corrigendis auctoribus conſiſtunt. quod poſtremum corrigendi munus qui aggreditur, ad illud præter variam, ac multiplicem doctrinam, iudicium, & acumen mentis haud vulgare afferre debet: quas dotes in adoleſcentibus non paſſim reperire eſt. Sed in adultis quoque, & perfectis Criticis quis tot notas, tot obſeruationes ferat? quouſque tot variis, ac ſæpe vanis lectionibus omnes librorum margines implebuntur? in his enim parergis magna fit temporis iactura, quibus dum vacat iuuentus, & circa voces hæret, res plerumque, quod præcipuum eſt, non ſatis attendit, & aliquan-

do è manibus excutiuntur ſcriptores ipſi, antequam plenè ſint perpenſi, & perlecti. certè citiùs totum Ciceronem euoluero, quàm decimam partem notarum, & commentariorum in eum ſcriptorum. Quid? ſi tot Critici dum medicas manus adhibent, libros, quos ſanatos volunt, peius perdunt? quibus ſi vocem mittere daretur, vt Imperator ille de Medicorum, ſic de Criticorum turba verè conqueri poſſent. eorum enim temeritate libri ex inquinatis ſæpe inquinatiores fiunt, & omnino

Exceſſit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt,
Quà morbi duxere, manus:

itaut quod de moribus ſui temporis dixit Tacitus, vt antea flagitiis, ſic etiam legibus Romanos laborare, huc etiam accommodari poſſit, & rectè olim Timon de libris Homeri Arato reſpondiſſe videatur, veteres illos quò minùs correcti ſunt, plerumque eo minùs correctionis egere. Quod tamen non eò dico, quòd Criticen minimè neceſſariam eſſe iudicem: abſque illâ enim plerique libri, qui nunc manibus omnium teruntur, vt minimè intellecti etiamnum in tenebris iacerent: tot annos profunda barbaries illos in puluere, & ſitu detinuerat. Sed poſt redditam literis lucem,

Digitized by Google

cùm plerique ſcriptores (de iamdiu editis , iiſque emendatis loquor) ſatis commodè legantur , & intelligantur, lectio non ſemper fluctuare , & incerta eſſe debet : niſi fortè fortunâ quis nanciſcatur alicunde melioris notæ codices , aut tantùm coniectura valeat , & adeò felici ſit ingenio , vt eius emendationes vno omnium conſenſu recipi mereantur. Sed cum bonâ Criticorum veniâ illud addam, maiorem , ſi fieri poſſit, diligentiam adhibendam eſſe videri in emendandis iis auctoribus, qui de artibus ſcripſerunt, quàm hiſtoricis puta, aut oratoribus, & periculoſiorem eſſe lapſum in Hippocrate , Ariſtotele, Plinio, quàm in Demoſthene vel Liuio: nec enim multùm refert in hiſtoriâ Romanâ aliquis Publius, an Marcus nominandus , res aliqua hoc vel illo modo geſta ſit:

Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat an docilis plus.

At verò in iis, quæ ad aliquem vitæ vſum referri poſſunt, intelligendis non ſine damno peccatur. Sed vereor , vt hanc meam ſuper his ſententiam tibi approbem. tuam enim in noſtrâ priſcâ hiſtoriâ diligentiam noui , quem rerum Gallicarum auctorem religioſiſſimum meritò nominare poſſum, vt Cicero Romanarum Atticum. verùm

Digitized by Google

de eâ non loquor, quæ ad nos, ſed de Græca, & Romana, quæ iam ad neminem pertinet. Vale.

ROL. MAR. EIDEM S.

EPISTOLA XVIII.

De malis ſcholiaſtis & interpretibus ſcriptorum veterum.

ALIAS alia me in literarum ſtudiis culpauiſſe, & apud teipſum, mi Valeſi, de quibuſdam quæ praue in iis inoleuerunt, conqueſtum eſſe memini. In præſens de malis ſcholiaſtis, & enarratoribus, qui poſt renatas literas vndique agmine facto Poëtas, Hiſtoricos, & alios claſſicos ſcriptores inuaſerunt, & etiamnum inuadunt, apud te expoſtulare conſtitui. Nam quoniam

—— tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit;

cui etiam ob exſcribendi facilitatem, & celeritatem, ars Typographica plurimùm ancillatur, fitque per noſtram ignauiam, vt aliena interpretari, quàm propria cudere malimus: inde tot, támque vaſti, & prodigioſi exſtiterunt commentarij, vt iam ex-

Digitized by Google

clamare neceſſe ſit, ohe iam ſatis eſt. Quorum ſcriptores ſi iudicio pollerent, quos ſequantur habent. complures enim Græcorum, & Latinorum auctorum interpretes nobis fortuna ſeruauit. habemus ſiquidem, ne Græcos attingam, qui multi ſunt, Aſconium Pedianum, habemus Seruium doctiſſimum Grammaticum, habemus Donatum, & alios, qui nobis ad bene interpretandum præire poſſunt. In his videre eſt, quàm nihil ſuperfluum, nihil longè petitum afferant: ſed vt mentem auctoris, & verba, ſi quæ difficiliora occurrant, quod verum eſt boni interpretis officium, explicare contenti, nihil ἀπροσδιόνυσον, quò librorum helluones videantur, hinc inde corrogent. Quod noſtrorum compluribus accidere videmus, qui etiam planè geminis locis, conſimilibúſque ſententiis vndecunque petitis totas paginas implent, & quidquid priores dixêre, quidquid ipſi didicêre, etiam alieno loco in commentarios ſuos congerunt: quos poſtquam legeris, ſenſum auctoris, quod ſolum petebas, plerumque non es aſſecutus, animum verò plurimarum rerum fere indigeſtarum congerie impeditum potiùs, quàm inſtructum refers. Cúmque talis ſcriptio maximè

Digitized by Google

ximè ſimplex, & plana eſſe debeat, in quâ

Ornari res ipſa negat, contenta doceri,

arguruli in ſcriptis videri volunt, & vndique captant acumina, vt planè fiat illud Græcorum prouerbium τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον, eueniátque aliorum interpretes ipſos plerumque interprete egere, præſertim apud tirones, quibus tamen potiſſimùm ſcribuntur commentarij. Sed ſaltem, inquient, amplæ enarrationes in literis minùs prouectos iuuabunt: id quidem non abnuo: verùm de his quemadmodum antiqui ſtatuerunt, ita nobis ſtatuendum eſſe iudico. Commentarij apud illos ferè vniuſmodi ſunt, quos mediocriter doctis ſcripſiſſe videntur, non verò tironum vtilitatis rationem habuiſſe. Viderunt enim gradibus ad doctrinam perueniri oportere: ſic candidiſſimum quemque ſcriptorem, & maximè expoſitum initio legendum, & Liuium ante Salluſtium attingendum eſſe ſcripſit Quintilianus, nec

Si quis adhuc vno partam colit aſſe Mineruam;

eum Tacito, aut Perſio ſtatim manus admouere volo, nec pueros à Terentio linguam Latinam auſpicari probo, quod praùè nunc in ſcholis vſurpari video. quamuis enim ſummè purus, & elegans ſit, ta-

men aliquantùm eſt archaïcus, & Cicerone difficilior, quem illis in manibus ſemper habendum eſſe iudico: quoniam, vt ait idem Fabius, iucundus incipientibus, & apertus eſt ſatis: vt itidem ex Poëtis Naſonem, quem, antequam ad Virgilium accedant, legendo contriuiſſe debent. Quo ordine pueri ſi progrediantur in ſtudiis, eiuſmodi prolixis commentariis non admodum indigebunt. Sed quando interpretes nunc mihi ſumpſi inceſſere, illud etiam vitium notandum eſt, quod in probis quoque reperitur: quòd nimirum ſi quid in aliquo ſcriptore à nullo fortaſſe animaduerſum notauerint, id alieno loco inſulciunt: maximè verò, ſi quam, vt ipſis videtur, palmariam emendationem excogitarint, eam inuitam obtorto collo, ſcilicet ne iis pereat, in ſcripta pertrahunt, quæ ferè lectoribus perit: quandoquidem, vt ait Horatius, non erat his locus. Sed antequam finem facio, non poſſum me continere, quin id quod initio attigi, exaggerem: ſcilicet nos ingenium non ſatis exercere, & nimis raro quid proprio marte excudere: ſi quos verò libros ſcribere volumus, non verè noſtros, ſed potiùs alienos ſcribere, & in aliorum opere ingenio-

ſos eſſe : cuiuſmodi nunquam auctores, ſemper interpretes, ſub alienâ vmbrâ latentes, nihil habere generoſi eleganter ait Seneca, nunquam auſos facere, quod dicerunt. Quorum quibuſdam, ſi fas dicere, non ingratis accidiſſe reor, vt libri ferè omnes per temporum iniuriam adeò corrupti ſint, & paſſim medicina egeant; qui ſi ſani eſſent, nihil iſti quod ſcriberent haberent. Quæ omnia non ſic accipi volo, quaſi omne recentiorum commentatorum genus improbem. quamplurimos enim habemus nouitios interpretes, qui minimùm antiquis concedunt. ſed de ineptis, & immodicis mihi tantùm eſt ſermo, quos tanquam ad veterum normam minimè compoſitos reprehendo. quamquam non inficias eo antiquis illis noſtros ampliores eſſe debere : quoniam multa nobis nunc ſunt obſcura, quæ tum cuiuis erant notiſſima. & præcipua mihi querela eſt, quòd ſcribimus indocti doctíque paſſim commentarios, quorum iam nullus eſt modus. Sed vt ad exitum aliquando veniam, & ad te ſcribens, mi Valeſi, de te aliquid dicam, non dubito quin poſſes abſolutiſſimos, paréſque antiquis commentarios componere, ſi ei ſcribendi generi incumbere vel-

Digitized by Google

les. ſed quandoquidem

—— te maioribus ire per altum
Auſpiciis manifeſta fides, ——

altioráque, & vberiorem tibi gloriam allatura aggreſſus es, macte animo, perge priſcorum Galliæ regum geſta immortali gloriæ ſcriptis tuis commendare. Vale.

ROL. MARES. HENRICO VALESIO SVO S.

EPISTOLA XIX.

Cur epiſtolæ in-primis noſtrorum ab epiſtolis veterum tantopere differant degenerént que.

CICERONEM, cuius ſcripta frequenter in manibus habere ſoleo, cùm in omnibus operibus, tum maximè in epiſtolis admiror: non ideò quòd purè, & Latinè ſint ſcriptæ: hoc enim illi perpetuum eſt, & cum ſuæ etiam ætatis hominibus commune: ſed quòd, cùm pleræque ex tempore, vt fit, ad amicos ſint ſcriptæ, eâ tamen ſunt elegantiâ, vt in eas aliquantum temporis impendiſſe videatur, ſententiámque ſuam in iis, quæ præcipua ſcripti laus eſt, apertiſſimè oſtendit, nihílque omittit, quò minùs id quod vult, planum

Digitized by Google

ſiat. Sed, vt morem meum comparandi vetera cum noſtris ſeruem, quantùm in epiſtolis (non de omnibus loquor) ab antiquorum laude abſumus! noſtræ enim plerumque incompoſitæ ſunt, & ſenſum noſtrum non ſatis explanatè præferunt: quarum ſi fiat ἀνάλυσις, vt Dialecticorum verbo vtar, ad quam velut ad amuſſim omnia ſcripta ſunt examinanda, ſermo inconditus, & omnia inter ſe non valde congruere videantur: tantum abeſt, vt illam elegantiam, quæ non in Cicerone ſolùm ſpectatur, ſed etiam in illis, quorum epiſtolæ Ciceronianis ſunt admixtæ, aliquo modo imitemur: quæ præter iudicium, quod in iis maximè elucet, ſemper aliquid venuſtum, argutum, aut eruditum habent. Cuius diſſimilitudinis cauſam, mi Valeſi, dum apud me conſidero, hanc ferme comperio, quòd nos ſcholis egreſſi, vbi in acquirendâ qualicumque linguæ Latinæ cognitione plures annos terimus, ferè ſtudia deſerimus, ſtatim ad rem quærendam attenti: nec nos in ſcribendo exercemus. quod ſi quando facere negotiorum neceſſe compellat, negligenter, & oſcitanter facimus. Qui mos Deus bone, quantùm à Romanorum inſtitutione diſtat! Illi enim poſt-

quam linguam Græcam breuiore, & meliore methodo, quàm nos Latinam, addidicerant, continuò ad Rhetoricam, & Philoſophiam ſe conferebant: & quamuis ſtatim ad munia Reip. ſe accingerent, non idcircò tamen ſtudia omittebant: quibus etiam in caſtris, & medio belli tumultu dabant operam, tempus quod à militiæ muneribus vacuum dabatur, non alea, vt fit hodie, ſed literis fallentes: quod maximè illuſtri exemplo patet, nempe Auguſti, qui, vt ait Suetonius, Mutinenſi bello in tantâ mole rerum, & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe quotidie traditur: Bruti quoque, qui in Philippicis campis paulò ante extremam pugnam, poſt obitas vigilias ad lucernam ſedens Polybium legebat. Sed cur alium potiùs in exemplum aſſumo, quàm illum ipſum, de quo eſt ſermo, Ciceronem? cuius cùm omnis vita exercitatiſſima fuerit, cùm cauſis orandis, tum muniis Reip. obeundis, necnon maximis diſtricta periculis, aſſiduè tamen ſtudendo tantum profecit, vt ex omni ferè Philoſophiæ parte nihil intactum reliquerit, de quo non ſcriberet; vt ne quid de eloquentiâ dicam, in qua regnaſſe viſus eſt, & de quâ tot libros compoſuit. Nihil mirum igitur, ſi ex tam

Digitized by Google

diſſimili inſtitutione tam diuerſa contingant, ſcilicet vt ineruditi per omnem vitam remaneamus, quod etiam ex epiſtolis noſtris familiaribus deprehendatur: cùm contrà illi vulgò fuerint liberalibus artibus eruditi, quod itidem ex eorum epiſtolis incuriosè, & ἐξ ὑπογυίου ſcriptis cognoſcere liceat. Vale.

ROL. MARES. IOANNI FRATRI S.

EPISTOLA XX.

De amatoriis fabulis agit.

AMATORIÆ fabulæ, quæ nunc apud nos adeò frequentantur, non nudiuſtertius ſunt inuentæ. Græci enim ſophiſtæ in his multum operæ poſuerunt, quarum inuentores meritò dici poſſunt, niſi potiùs à Poëtis Epicis fluxiſſe videntur. Nam poëmata ſunt mera, excepto quòd proſâ oratione ab eis ſunt ſcriptæ, doctrináque aliqua, quò lectores illo lenocinio allicerentur, paſſim eis aſperſa eſt. Sed & apud Latinos Petronius, quamquam ſub nomine ſatyrici, & Apuleius Mileſias fabulas condiderunt, verè ſic dictas, turpia enim, & obſcœna pleraque continent. Græci paulò ſunt verecundiores: in his Helio-

dorus caſtiſſimus: cuius opus omnibus numeris abſolutum mihi eſſe videtur. Argumentum enim mirè concinnum eſt, ac venuſtum, & omnia ſummo cum iudicio inuenta, & diſpoſita: ſed nec eloquentia deeſt, nec doctrina, verùm cum modo, quam reliqui paſſim, & alieno etiam loco ſuis operibus inferciunt. quod fecit & ludicri operis apud nos auctor, qui multa de Medicina, & de Iure libro ſuo inſpergit, ne lector inanis diſcedat, & omnem operam in eo legendo perdidiſſe videatur. qui ſi impius adeò, & profanus non fuiſſet, nec ſermonibus tam obſcænis, ac prætextâtis fabulas ſuas contaminaſſet, ob reliqua in quibus vitam hominum, & mores miro lepore, nec ſine iudicio carpſit, fortaſſe non omninò lectu indignus videretur. Antea ridiculæ narrationes componebantur, veri fidem excedentes, & anilibus fabulis propiores: quarum magni artifices fuerunt Hiſpani, qui eas ab Arabibus ſumpſiſſe videntur; in quibus nec temporum, nec locorum ratio vlla habetur, ſed omnia hippogryphibus, gigantibus, palatiis incantatis, & eiuſmodi deliriis ſcatent. Ab aliquot verò annis veriſimiliora ſecuti ſunt iſtiuſmodi ſcriptores: in quibus primas meo iu-

Digitized by Google

dicio tenet Honoratus Vrſæus noſtras, homo nobilis, & quod in noſtra nobilitate rarum eſt, admodum doctus: cuius Aſtræâ nihil in eo genere magis perfectum meâ ſententiâ reperiri poteſt. Argumento enim, quod in-primis conſiderandum venit, nihil aptius, aut concinnius eſt; in quo nihil abſonum, atque abſurdum reperias: ſermo purus eſt, & Gallicus, quamuis quidam aliter ſentiant: eloquentia, quantam in nullo poſt priſcos illos oratores temerè reperias, quæ paſſim in collocutionibus, & epiſtolis, ſed maximè in orationibus elucet: doctrina ſumma, eáque tantâ cum facilitate, & perſpicuitate tradita, vt difficiles Philoſophiæ locos etiam fœminis intellectu faciles reddiderit: denique omnia tantâ venuſtate, tanto iudicio condîta ſunt, vt in paucis, quos probos habemus, ſcriptoribus meritò cenſeri debeat; quem iuuentus noſtra præſertim nobilis nunquam de manibus deponat velim, vt illam morum elegantiam, & in conſuetudine vrbanitatem, quæ in nobilibus præcipuè ſpectatur, acquirat. Cuius, vt & Michaëlis Montani, ſimiles ſcriptores ſi multos haberemus, etiam quos priſcis opponeret, Gallia haberet. Sed de illo ſatis: longiùs enim

Digitized by Google

me eius amore progreſſum ſentio, ſed quem à iudicio profectum iudicaturos confido, qui libros illius aliquoties in manus ſumpſerint. Illud duntaxat addam : cùm pleroſque à ſimili argumento tractando deterrere debuerit, contrà eueniſſe cernimus. nullos enim hodie frequentiores libros videmus. At plerique eiuſmodi operibus ſe accingunt, his omninò deſtituti præſidiis, quæ maximè neceſſaria ſunt: nimirum iudicio, ingenio ad inueniendum apto, doctrinâ, & eloquentiâ. Tu verò in ſimili materia iampridem, frater cariſſime, luſiſti, nec quiſquam ferè eſt Gallus, qui de egregiâ tuâ Arianâ non inaudierit; adeò manibus omnium eſt trita, & idemtidem repetitis editionibus vulgata. Sed & nunc

Inter tot curáſque, catenatóſque labores

eiuſmodi ſcriptis animum reficis, & oblectas: tanta tibi eſt ſcribendi ſiue proſâ ſiue carmine facilitas, quam qui te nouêre, ſummopere mirantur. Vt enim Hirtius de Cæſaris Commentariis refert, ceteri ſciunt quàm benè, & emendatè, illi etiam, quàm facilè, & celeriter ea, quæ in lucem edidiſti, confeceris: quæ te viuente, atque ſentiente ſatis placuerunt, & opinor, caneſcent ſæclis innumerabilibus. Nam pleraſ-

Digitized by Google

que dotes, quæ in huiuſmodi ſcriptis requiruntur, ſatis cumulatè mihi poſſidere videris. ſiquidem ad inuenienda venuſta argumenta fertilis ingenij tibi vena non deeſt, nec ad ordinanda iudicium: ſed nec eloquentiæ facultas abeſt, nec ſermonis puritas. Verùm de his hactenus; plura enim addere ſanguinis propinquitas prohibet. Vale.

ROL. MARESIVS EIDEM S.

EPISTOLA XXI.

Elegiam ſuam de morte Richelij Cardinalis ad fratrem mittit.

CVM hinc ſummi viri, nunc μακαρείτου nomen virulentis carminibus lacerari, inde verò eius famam ab iis, à quibus maximè debuerat, non ſatis acriter defendi cernerem: ego etſi nullis ab illo acceptis beneficiis prouocatus, tamen indignè ferens viri tam excellentis, imò Heroïs potiùs virtuti, pro tot egregiis in Galliam meritis, non quam par erat, mercedem rependi, Elegiaco carmine, quale venæ meæ tenuitas paſſa eſt, defunctum proſecutus ſum: quod ſi tanti videbitur, diuer-

Digitized by Google

ſæ licèt linguæ, ſublimis prorſus ſpiritus illi odæ attexès, quam pro Epicedio in eum virum compoſuiſti, qui quidem te adeò dilexit, & tanti fecit, vt in tuo pæne vnius ingenio, & carminibus à curis, & laboribus requieſceret. Quòd ſi facit indignatio verſum, qualemcunque poteſt, nihil mirum, ſi tu, non verebor dicere, in poëſi ſatis exercitatus, in eo argumento te ipſe ſuperaſſe viſus ſis: ad quod licèt omni ex parte locuples, non minimum etiam ardens tua indignatio contulit. Alij quidem ex tuis operibus, prout cuiuſque ſenſus eſt, alia laudabunt: quantum verò ad me attinet, ego omnibus illam oden propè antepono, ob argumenti omninò poëtici nouitatem, verſuum rotunditatem, denique ob alias, quæ in carmine requiruntur, dotes, quæ in eo elucere ſatis cumulatè videntur. meum verò, qualecunque eſt, hîc habes:

ELEGIA

De morte ARMANDI RICHELII Cardinalis Eminentiſſimi nec-non Ducis illuſtriſſimi.

ERGONE *Richelius patriæ tutela, decúſque,*
Ante ſenectutis tempora raptus obit?

Omnis cùm reduci gratatur Gallia, fruſtra
Ipſius intentas in caput inſidias:
Et cùm poſt longi depulſa pericula morbi,
Nobis ſpes ſuberat ſoſpite poſſe frui.
Cui quando æternâ gaudere ætate negabant,
Debuerant longos fata dediſſe dies.
O vota incaſſum nobis concepta, precéſque
Has ſurdâ iratus reſpuit aure Deus!
Ille quidem nemus Elyſium, ſedéſque piorum
Poſſeſſas vmbris, & loca læta colit.
Læderet & ſanctos manes iniurius, illum
Qui fleat, vt vulgò funera flere ſolent.
Non eſt lugendus vitâ feliciter actâ,
Cuius laus toto quà patet, orbe ſonat.
Nos miſeri, & ſua ſors quibus eſt deflenda relictis,
Cùm tam præſenti tempus egeret ope.
Pro lacrymis igitur ſolitis in funere fundi,
Splendida ſunt magni facta canenda viri.
Miſerit vt populos ſub regia iura rebelles,
Qui prætexebant Relligione ſcelus.
Et pridem amiſſas ſine Marte receperit vrbes,
Principis auſpiciis, conſiliíſque ſuis.
Suſtuleritque ſagax ciuilia funditùs arma,
Quæ ſciſſa in partes Gallia paſſa diu eſt.
Vt deinde imperio pacato aggreſſus Iberum,
Paſſim victor opes verterit Auſtriacas:
Fregerit & Regem populis, terríſque potentem,
Europæ impendens depuleritque iugum.

Digitized by Google

Gallorum & Regnum felicibus auxerit armis,
Vndique promotis finibus imperij.
Semina ciuilis magnum extinxiſſe furoris,
Magnum eſt Hiſpanos edomuiſſe feros:
Vt ſit nil aliud niſi fabula nomen Iberum,
Faſtoſæ & genti grandia verba cadant.
Sed maiora vtique egiſſet, ſi dextra dediſſent
Nobis optatâ numina pace frui.
Non etenim ambitio veſana capeſſere bellum
Suaſerat, vt Galli latiùs imperitent.
Publica libertas ad iuſta coëgerat arma,
Opprimere inſtabat quam violentus Iber.
Mens erat hæc, ciues placidâ componere pace,
Externo tuti cùm ſat ab hoſte forent.
Tunc artes, moréſque bonos florere videres:
Fugiſſent fraudes, & ſcelera, atque doli:
Legibus ornaſſet patriam, plebémque leuaſſet
Exhauſtam, ſuffert quæ graue Martis onus.
Talia ſi quando licuiſſet ſæcla videre,
O nos felices! ſed vetuêre Dei.
Contigit huic certè merces ſatis ampla laborum,
Gloria tam celebris, nec moriturus honos:
Nec-non quæ lacrymæ ex oculis fluxêre bonorum,
Laudéſque, inuito quas vel ab hoſte tulit:
Fletum etiam viſus Princeps effundere, quantam
Iacturam faceret, conſcius ipſe ſibi:
Indoluítque illi, expertus compluribus annis,
Quantùm præſtaret conſilio, atque fide.

Digitized by Google

Sic non deſtituit morientem gloria, viuum
Perpetuò fuerat quæ comitata virum.

ROL. MAR. IOANNI CAPELLANO S.
Epistola XXII.
Michaëlis Montani laudes continet.

Valde mihi iucundum eſt, quòd exornandæ Michaëlis Montani ſcriptorum editioni, quam Elzeuirij parant, elogia, & teſtimonia eorum, qui de illo aliquid memoriæ prodiderunt, colligis, & hac operâ tanti viri noſtratis gloriæ pro virili parte conſulis. tam elegantibus enim ſcriptis id hactenus deeſſe videbatur, vt tam elegantibus typis excuderentur. quæ quanto in pretio ſemper habita ſint, inde iudicium facere licet, quòd eorum editio toties repetita ſit. malus enim liber vetuſtatem non perfert. Nec verò ſine ratione, aut felicitate quadam genij ſolùm, ſcriptor iſte tantam meruit famam. nam præter alia multa, quæ ex eius lectione haurire licet, attenti lectoris iudicium maximè format, & inſtruit. quo nomine inter aliquot ſcriptores, quos Gallia tulit, præcipuè numerandus, &, ſi fas dicere, primariis illis, qui de moribus antiquitus

ſcripsêre, quodammodo accenſendus venit. Quos cùm ob oculos ſemper haberet, & ad eorum normam ſe componere cuperet, nulli alij rei totâ vitâ, quàm ſibi vacauit, & iuxta Apollinis præceptum ſe noſſe, & in ſe deſcendere ſtuduit. Cùm verò quid profectûs in virtute feciſſet, qualéſque mutationes in opinionibus, & moribus indies ſubiret, explorare vellet, denique vt imaginem ſui amicis relinqueret, more Lucilij, de quo notiſſimi ſunt Horatij verſus, quos ipſe citat, libris ſuis ſe totum, quantus erat, depinxit, & vitam ſuam proſecutus eſt; quamuis alioqui ſcriptor librorum haberi nollet, omnémque illam, quæ ex operum publicatione venit, gloriam omninò reſpueret: quam vtinam adeò non neglexiſſet, aut ingenio ſuo homo omnium liberrimus, & ſolutiſſimus non tantùm indulſiſſet, abſolutiſſimos planè de Philoſophia libros haberemus; nec qui illum culpant, quid carperent haberent; nimirum quòd nullam materiam diſtinctè, & ordine proſequatur, aut tractet, ſed omnia apud illum ſint inconnexa, & crebris digreſſionibus interrupta. quæ pro mentis excurſibus, per me licet, vel, ſi ita lubet, etiam pro ſomniis habeant (modo enim

Digitized by Google

enim alioqui inſolito ſcripta eſſe fateri cogimur) dummodo pulcherrima & iucundiſſima, nec ægri, ſed excellenti ingenio hominis eſſe iudicent: doctrinámque in iis eximiam, quamuis ipſe ſe indoctum eſſe vbique calumnietur, ſenſum, & iudicium profundum, vim ingenij ſummam, rerum minutarum, & difficilium, nempe quotidianarum ipſius cogitationum ſubtilem explicationem, ſuper omnia elocutionem, ob audacem, ſed non damnandam in ſermone nouitatem, crebríſque figuris planè admirabilem, & inimitabilem eſſe agnoſcant. Quæ etiam in viro nobili maiora ſunt, qui in aulâ verſatus, & vſu rerum tritus, variiſque in regionibus peregrinatus, ea quæ affert, non magis ex librorum lectione, quàm ex propriâ experientiâ mutuari videtur. Cuius liber quamuis in molem ſatis amplam excreſcat, tamen adeo non laſſat, vt plerique legentium doleant, virum ingenij minimè vulgaris non plura, quæ minimo labore ſcribere potuiſſet, poſteris reliquiſſe: cùm etiam ſermones illius familiares, & cum eruditis, cordatíſque viris confabulationes minimùm ſcriptis ceſſiſſe acceperimus. Itaque optimo conſilio facere videris, quòd virum nun-

quam ſatis ornatum, vndecunque potuiſti conquiſitis elogiis ornatiorem, editionémque illius operum per ſe ſatis commendatam, his additamentis commendatiorem facere conaris. Vale.

ROL. MAR. ÆGIDIO MENAGIO SVO S.

EPISTOLA XXIII.

Verſus ſuos de obitu Nicolai Borbonij, & de Maria Iarſia Gornacenſi mittit Menagio.

QVOD Nicolai Borbonij honorandæ memoriæ vndique elogia, & epigrammata conquiris, quæ egregiæ tuæ elegiæ attexas, & publices, eo nomine ab omnibus, qui illius boni iuxtà ac docti viri notitiam aliquam habuerunt, magnam initurus es gratiam. Id, fateor, meretur eximia, quæ fuit illi in verſibus faciendis felicitas, quæ ad Virgilianam aliquatenus accedit granditatem: ſed & ſumma in conſuetudine vrbanitas, & in ſermonibus ſuauitas, quos de variis rebus vir doctus, ſed maximè in noſtrorum temporum hiſtoriâ verſatus, quique multa, vtpote ſenex, fando acceperat, magnâ cum audientium delectatione habebat: cùm

Digitized by Google

ad illos nulli non, etiam pæne ignoti facilè admitterentur, eſſétque illius cubiculum, ex quo ferè pedem non efferebat, λέσχη quò vndique homines docti, & venuſti confluebant, & eruditas fabulas habebant. Ego hominem à longo tempore noueram, cuius etiam pæne puer in Græcis diſcipulus fueram; ab aliquot verò annis illum propter viciniam frequentiùs inuiſere ſolebam, & in anguſtâ illâ cellâ iucundos omninò, & longos ſermones miſcere, donec me nox opprimeret, & receptui canere iuberet. Igitur vt hominis amici manes piâ memoriâ proſequerer, ego his nominibus illi deuinctus libentiſſimè contuli hoc qualecunque epigramma, quod hîc habes.

DE MORTE NICOLAI BORBONII Epigramma.

BORBONII *lugent non ſoli funus amici,*
Flent quoque queis tantùm nomine notus erat.
Tantâ omnes, dum vita fuit, dulcedine cepit,
Heroo pangens carmina culta pede.
Præſertim at caros dictis mulcebat amicos
Suauibus, & grato commodus alloquio:
Quos etiam morum probitas ſincera, fidéſque;
Et non fucatus conciliabat amor.

Digitized by Google

Deflêrunt omnes maturo funere raptum,
Ac ſi interceptus præcoce morte foret:
Et ſimul egregios communi ſorte poëtas
Subiectos parcis indoluere mori.

Simul etiam aliud eiuſdem argumenti epigramma cum diſticho ad te mitto, quo alterius manes, ſed diuerſi ſexus honoraui, nempe Mariæ Iarſiæ Gornacenſis: quæ cùm literata eſſet, quod rarum in ſexu, ad extremam ſenectutem innupta peruenit. Cùm enim mihi dixiſſes eſſe quemdam, qui de fœminis, quæ doctrina claruerant, ſcriberet, & quæ de his eſſent teſtimonia, conquireret, officij mei eſſe duxi, vt quam, dum in viuis erat, coluiſſem, etiam fato functam hoc munere decorarem. Alij literas in illâ mirabantur: ego non tam eas ſuſpexi, quamquam id quoque, in eâ, quæ αὐτοδίδακτος, &, vt credo, ὀψιμαθὴς erat, quàm iudicium, quod in ſcriptis præcipuè elucet. Porrò cùm parùm commendationis ei, quam amœni vir ingenij, ſimul & ſummæ doctrinæ I. Lipſius noſtri ſæculi veram Theano indigitauit, è meis verſibus acceſſurum viderem, adiunxi alios melioris venæ, Hadriani Valeſij noſtri, quos meo rogatu fecit, vt quam etiam non

Digitized by Google

nouerat, celebraret. quamquam parùm prudenter feciſſe videbor, cùm ἐκ παραλλήλου mei quàm inculti, & malè nati ſint, vnuſquiſque facilè iudicaturus ſit. verùm id malui, quàm fœminam, quam ſemper maximi feceram, elogio maximè illâ digno fraudari.

DE MARIA IARSIA GORNACENSI Epigramma.

SANCTVM *illibatæ quòd virginitatis amorem*
Perpetuò coluit Gornacis, egregium eſt.
Non etiã inſitianda viris, quòd Apolline dextro
Carmina conſcripſit Gornacis, egregium eſt.
Quòd bene quæ ſenſit, chartis mandauit in omne
Victuris æuum Gornacis, egregium eſt.
Montano ſed pulchrius eſt natam eſſe vocatam,
Iudicium & tanti promeruiſſe viri.

DE EADEM DISTICHON. Ipſa loquitur.

DOCTA *fuit, verùm non caſta poëtria Sappho:*
Non ego docta minùs, ſed mage caſta fui.

HADRIANI VALESII DE EADEM Epitaphium.

ILLA *ego ſeruato virgo veneranda pudore,*
Victuræ ſobolis Iarſia facta parens.

Digitized by Google

Próque colo calamum tractare viriliter auſa,
Priſcáque femineâ voluere ſcripta manu:
Hoc condor tumulo, maturâ morte ſoluta,
Quæ poſt biſdenas venit Olympiadas.
Deſinite, ô noti, titulis decorare ſepulcrum:
Structa mihi in libris ſunt monumenta meis.

MARIÆ IARSIÆ
COGNOMINE GORNACENSI,
NVLLI VIRO NOTÆ;
NVLLI DOCTO IGNOTÆ:
QVAM CORPORE STERILI,
TAM INGENIO FECVNDÆ:
NEC MORTALIVM LIBERORVM,
SED LIBRORVM SEMPER VICTVRORVM PARENTI.

HADRIANVS VALESIVS fecit
virgini incomparabili.

Vixit annos obiit.

ROL. MARES. PETRO LESCVRIO SVO REGIO SECRETARIO.

EPISTOLA XXIV.

Plutarchum, eiúſque interpretem Amiotum laudibus extóllit.

QVONIAM te Plutarchi opera Gallicè verſa, quamuis alioqui Græcè

doctum , ab ineunte adoleſcentiâ legiſſe, & etiamnum ſi quando vacat, in iis libenter verſari video : hocce ſcripto meam de auctore, & Amioto eius interprete ſententiam aperire tibi conſtitui. Sed de Plutarcho breuiter. quis enim illius præſtantiam ignorat? ἄμουσος omninò, & illiteratus ſit oportet, qui tantum ſcriptorem non attigerit. Ego quidem de illo cum Theodoro Gazâ ſentio, qui interrogatus, ſi omnes libri perdendi eſſent, & ipſi optio daretur, quem ſeruatum vellet, Plutarchum dixit. eſt enim verè theſaurus eorum, quæ præſtantiſſima in omnibus aliis ſcriptoribus ſparſim inueniuntur, ſiue Philoſophiam, & alias diſciplinas, ſiue hiſtoriam Græcam, & Romanam ſpectes. tanto verò iudicio pollet, quod vbique, ſed maximè in comparandis inter ſe Græcis, & Latinis Imperatoribus, & eorum cenſendis actis liquidò apparet, vt hominem minimè Bœotum in craſſo iurares aëre natum. De moribus verò ea paſſim inculcat, quæ ignauiſſimos quoſque ad virtutem amplectendam poſſint impellere. denique omnia eius opera qui ſeriò euoluerit, næ is ſe pro doctiſſimo venditare iuremerito poteſt. Sed de auctore ſatis; quem quis culpet? vt ille de

Digitized by Google

Hercule dicebat, imò quis non plurimi ſemper fecit? Nunc de Gallico interprete. Ego verò de eo tam honorificè ſentio, vt omnibus quos hactenus viderim, interpretibus, cuiuſcunque ſint linguæ, anteferre non verear, & vnicuique pro normâ rectè interpretandi proponere. videtur enim expreſſiſſe, quod Cicero in Æſchinis, Demoſthenisque contrariis orationibus conuertendis ſe ſecutum dicit: quas non conuertit vt interpres, ſed vt orator, ſententiis iiſdem, & earum figuris, verbis ad Romanam conſuetudinem aptis, in quibus non verbum verbo reddidit, ſed genus omnium verborum, vímque ſeruauit, nec ea annumerare lectori voluit, ſed tanquam appendere. In quo mihi ſummo iudicio Amiotus vſus videtur, quòd ſcriptorem difficilem, & obſcurum, ad verbum (quod plerique nimiùm fidi interpretes faciunt) non reddidit, ſed eius ſenſum fideliter expreſſit. quam licentiam non modeſtam dicam, ſed pæne neceſſariam, ſi non ſumpſiſſet, nihil illâ interpretatione iniucundius, & inamœnius eſſe potuiſſet, quæ contrà terſiſſima eſt, & pulcherrima. Veruntamen vir ſui temporis in vernacula lingua elegantiſſimus, qui mi-

rum in modum eam excoluit, & inhærentem adhuc barbariem defricuit, in eo ſcriptore conuertendo non ſibi tantùm licere voluit, vt illi aliquid aut detraheret, aut adderet: quod qui faciunt, nimiùm licenter ſunt in alieno opere ingenioſi. ſed abruptum, & conciſum ſcribendi genus quadam veluti paraphraſi molliit tantùm, & dilatauit, adeò vt verſio loco commentarij eſſe poſſit. Prouerbia etiam Græca prouerbiis noſtris extulit, nomináque magiſtratuum, aliarúmque rerum, quantum fieri potuit, ſed cum iudicio, verba denique, quod Cicero ſe feciſſe dicit, ad noſtram conſuetudinem accommodauit. Quem qui ob aliquot, in quibus fortaſſe hallucinatus eſt, locos arguunt, næ illi quem auctorem conuertendum ſuſcepiſſet, quàm difficilem, quàm corruptum, non ſatis attendunt, nec verſus Horatiani meminerunt,

Opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

qui vellem vt periclitandi gratiâ in ſimili argumento ſe exercere vellent: certus ſum licèt alioqui egregiè doctos, ſatis ſupérque ſudaturos; nec ſcio, operæne pretium ſint facturi. verſio quidem vt proba ſit, auctorem ſuum meâ ſententiâ ferè

Digitized by Google

æquare debet. quod videre eſt in locis aliquot Platonis, & Xenophontis à Cicerone conuerſis, in quibus auctorum elegantiam prorſus refert, & exprimit. Amiotus, ſi fas eſt dicere, Plutarchum ſuperare mihi videtur: adeo lenis, & abundans illius fluit oratio. Cuius memoriæ grates immortales Gallia agere debet, quòd ſcriptorem tam vtilem, & qui vnus omnium inſtar eſſe poſſit, quem patriæ ſuæ offerret, elegit: quem dum in ſuam linguam conuertit, ſimul illam nitore, & elegantiâ ſui ſermonis excoluit, & honeſtâ audaciâ locupletauit. Sed de his ſatis multa, & alioqui iam epiſtolarem modum exceſſi: quare verbum non ampliùs addam. Vale.

ROL. MAR. EIDEM S.

EPISTOLA XXV.

Exſecrationem ſingularium certaminum Petro Leſcurio Secretario Regio mittit.

SINGVLARIVM certaminum conſuetudo, quæ à tot annis Galliam tanquam gladiatoriam arenam, funeſtam reddit, & inde per Europam emanauit, abominanda ſemper, & maximè horribilis mi-

hi viſa eſt: quam ex comi adeo, & vrbanâ gente originem duxiſſe mirarer, niſi eandem generoſiſſimam, & bellicoſiſſimam eſſe cernerem: quæ prauo mentis errore iniurias concoquere, ignaui & imbellis eſſe, eáſque vel leuiſſimas, etiam verborum, cum diſcrimine capitis perſequendas putat. Cùm verò nuper horrendum duellum, quod totam aulam mœſtitiâ conturbauit, inter duos nobiliſſimos iuuenes commiſſum eſſet, déque eo tacitus apud me cogitarem, & Galliæ noſtræ vicem conquererer, quæ ſuis ipſa manibus perit, indignabundus prorupi in illa verba: Quis furor ô, à quibus ſuam Pharſaliam Lucanum primò exorſum ferunt; deinde eâdem indignatione percitus in morem hunc adeo barbarum, & deteſtandum hoc carmen effudi, quod ad te, mi Leſcuri, mitto, quem in eâdem mecum eſſe ſententiâ, & amphitheatralem iſtam lanienam vehementer auerſari animaduerti; vt id cognoſcas, & an dignum ſit luce iudices, ſi fortè gladios furentes coërcere poſſit. quod vtinam contingat. verùm id in tam inueterato errore, &, quod dolendum, iſtis gladiatoribus nimiùm amabili ſperare vix audeam. Vale.

EXSECRATIO SINGVLARIVM certaminum.

QVIS *furor, ô Galli, quæ vos inſania verſat?*
More Laniſtarum per mutua vulnera voſmet
Conficitis. ſimplexne furor, cùm vos Nero nullus
Huc adigat, triſtes velut in caueâ edere pugnas?
Tanquam virtuti non ſit ſatis hoſtis Iberus,
Belgáque, legitimo queis fas concurrere Marte;
Vos patriæ lugenda, ſcelus! certamina initis,
Quæ nec honor ſolidus, nec gloria vera ſequatur.
Quernea erat merces ſeruato ciue corona:
At crudeli etiam mactatis morte ſodales.
O victoria fœda, nec allatura triumphum
Victori, ſanæ ſincera aut gaudia menti!
Ecquid Iber optes potiùs? certamina noſtra
Specta hilaris, tibi res agitur, ferrúmq; recondes;
Gallica regna tibi reſidi ſine ſanguine cedent.
Sed rabies vnde hæc animos, vnde iſta phreneſis
Inuaſit? nam nulla tenet tam barbara tellus
Tam dirum morem; quamuis gens diſsita toto
Oceano, poſtquam in captos deſæuiit hoſtes,
Igni etiam toſtos arrodat dentibus artus.
Occæpit, poſt certamen ſpectante duorum
Principe commiſſum, iuſtâ qui numinis irâ
Occubuit letho, pugnâ dum ludit equeſtri.
Mox latè, bello quamuis ardente cruentus

Digitized by Google

Mos ſerpſit, qui corripuit nunc omnia paſſim.
Namque modo ſimili quondam certamina Galli
Non committebant: ſed ſi haud intenta patebant
Crimina, tum Princeps nudo decernere ferro,
Et coram populo defendere dicta ſinebat.
Miſſio ſed nec erat pugnæ, victúſque luebat
Morte, cadens ſi non fortè oppetiiſſet ibidem.
Quem morem fortaſſe hac tempeſtate referre
Expediat; plures qui deterrere furore
Poſsit ab infando; quando victoria certa,
Aut mors infamis, certaminis exitus eſſet.
Nunc temerè leuibus cauſis, etiam inter amicos,
(Quod vix poſteritas credat, cùm barbarus olim
Ceſſerit ex animis error) certamen initur.
Cernere quondam armis, taléſque laceſſere pugnas
Nobilibus ſolis licitum: nunc ordine verſo
Sic ſeſe vlciſci quiſque abiectiſsimus audet.
Quòd ſi relligio, quæ nos animo eſſe benigno,
Pacatóque iubet, nequaquam à cæde nefandâ
Abſterrere poteſt; at ſaltem more vetemur
Humano. ſæuæ namque in diſcrimina pugnæ
Nemo niſi inſanus, niſi iuſtos prouocat hoſtes.
Quin potiùs Spartæ nobis patientia cordi eſt?
Bellator populus conuicia acerba ſolebat,
Et probra, & plagas generosè, & verbera ferre.
Nos vel dicta ioco lædunt; quin protinus amens
Nos iubet in quoſvis vecordia ſtringere ferrum,
Vlciſcíque leuem offenſam. Num ſegnius illis

Digitized by Google

Pectus erat, forti qui opprobria corde coquebant?
Nimirum fallax oculos præſtringit honeſtum,
Et mentes auidas decoris deludit, apiſci [mortes
Quod properant, verùm arte malâ. Prô Gallia
Deploras quot nobilium, qui Marte furentes
Occubuêre ſuo! poteras hoc ſanguine fuſo
Ad Rhenum, vt quondã, Regni producere fines,
Indomitóſque tuas ſub leges mittere Belgas.
Verùm, nunc iuſti detur cùm copia belli,
Hoſtibus & quouis liceat concurrere campo,
Non ceſſant etiamnum in ſe conuertere ferrum.
Quin mediis etiam in caſtris, ſpectante Tribuno,
Decertant miſeri; facinus vel morte piandum.
Hinc non iura valent, ſacris hinc legibus vllus
Ampliùs haud ſupereſt locus; at vi cuncta geruntur
Barbariâ velut in mediâ, menſuráque iuris
Eſt gladius, paſſímque furens violentia toto
Graſſatur regno: Iam non licet eſſe modeſtum,
Si modò vis rem ſeruare: inſanire neceſſe eſt
Cum tot væſanis: probitas ridetur, & ipſa
Calcatur virtus; adeo peſſum omnia cedunt.
Hunc contra leges promulgauêre furorem,
Atque edicta pij ſanxere minacia Reges.
Sed nil profectum; vis morbi inuaſerat omnes
Tanta animos: qualis quondam vexaſſe puellas
Mileti fertur, cùm aptarent vincula collo,
Præcipites ſæuâ rabie, cæcóque furore.
Et capitis pœnam infligens lex irrita manſit.

Digitized by Google

Mitior at forſan, modò ſtrictè exercita, rebus
Conducat magis, atque habito diſcrimine nullo.
Exilium? quid ſi indicat, vel carceris atri
Squalorem? leuis hæc ſine ſanguine pœna medelam
Afferat huic fortaſſe malo. certè arcta videtur
Non incommoda ſanandis cuſtodia Gallis.

ROL. MARES. PETRO HALÆO POETÆ, ET INTERPRETI REGIO S.

EPISTOLA XXVI.

Adoleſcentibus ſcholâ egreſſis non Apuleium aut Barclaium, ſed Ciceronem maximè ſequendum.

QVANQVAM te nulli officio, quod ad præceptorem pertineat, deeſſe intelligo, nec me fugit te nulla omittere monita, quibus diſcipuli ad optima quæque in literis capeſſenda excitari poſſint: tamen inde ad te ſcribendæ epiſtolæ argumentum arripere volui, quòd pleroſque adoleſcentes video, cùm primùm ſcholis egreſſi ſtilum formare incipiunt, ad peiora animum adiicere, Ciceronémque qui illis quotidie prælectus fuit, & optimum quemque ſcriptorem ferè negligere, nec ſibi ad imitandum proponere: corruptos

verò, quíque affectatum ſcribendi genus ſecuti ſunt, admirari, & effingere. Cuius rei cauſâm dum apud me requiro, hanc ferè reperio, quòd adoleſcentibus Cicero propter nimiam facilitatem, vt ipſis videtur, ſordeſcit: cuius puram, & leniter fluentem orationem aſſequi non difficile arbitrentur. quod planè falſum eſſe experti ſciunt. Quiuis enim, vt ait Horatius,

Speret idem, ſudet multùm, fruſtráque laboret
Auſus idem.

Corruptus verò, & vitiis fractus ſermo, vtpote non ita tritus, & fortaſſe argutior, illis ad ſtomachum magis facit. Qualis eſt Apuleij, quem iuuenes effingere conantur, & neſcio cuius Euphormionis, qui illis ſummè in deliciis eſt. cuius ſatyricum magno Scaligero non magnopere probatum fuiſſe gaudeo, vt ex ipſius epiſtolis licèt ſuppreſſo nomine apparet. nam mihi nunquam, nec rebus ipſis nec verbis placuit. qualibus ſcriptis, de vltimo loquor, qui maximè capiuntur neglectis optimis ſcriptoribus, eos, vt ait Martialis, mattya ſola iuuat, panem cibis admiſcere faſtidientes: nec animaduertunt eiuſmodi ſermonem à communi recedentem, & alioqui vitioſum in Mileſiis fabulis tolerari: cùm

Digitized by Google

cùm longè purior, & Latinior ab eodem Apuleio in reliquis operibus vſurpetur: quòd eiuſmodi ſcripta ad ſolam delectationem comparata, floridiora eſſe amant, & vitia etiam quædam, ſi fas eſt dicere, vt placeant, admittunt. quod in Græcis quoque Sophiſtis, magnis huiuſcemodi fabularum artificibus, quales fuêre Heliodorus, Athenagoras, & alij, perſpicere licet: qui publicam, & tranſlaticiam loquendi formam plerumque non ſequuntur.

Sed longè meliora monet, pugnantiáque iſtis, magnus eloquentiæ magiſter, qui ex Liuij præcepto docet Ciceronem, & vt quiſque erit Ciceroni ſimillimus, maximè ſequendum. quod non magnopere arduum adoleſcentibus, vt mihi quidem videtur, eſſe deberet, quibus claſſici, & maximè probati auctores in ſcholis prælecti ſunt, ſi illa omnia, quæ didicere, quod facile erat, memoriter tenere curarent. Nîl mirum verò, cùm eâ ætate iudicio non admodum valeant, quod ab annis præcipuè robur, & firmitatem accipit, ſi in peiora labantur, & animo ſuo indulgeant. de quo frequenter admonendi ſunt: quod te facere, vt initio dixi, non ſum dubius; quo nomine

G

Digitized by Google

eos qui ſe tibi in diſciplinam dederunt, beatos exiſtimo: quibus nimirum prudens monitor maximè neceſſario tempore contigiſti. Huc vſque enim puerilia tantùm exercitamenta fuêre: ſed tum demum ſtilo danda eſt opera, altioráque ſtudia capeſſenda, & in iis certâ methodo progrediendum. Sed vereor, ne quæ ſuprà attigi, incaſſum dicta eſſe videantur. Quotus enim quiſque ex adoleſcentibus nunc hæc curat, aut de ſtilo cogitat? leuiter tantùm ſtudiis imbui contenti, perfunctorio more literis incumbunt, vt per illas dumtaxat ad honores acceſſum habeant. verùm de his ſatis. hac ipsâ enim de re aliâ ad te ſcriptâ epiſtolâ me conqueſtum eſſe memini. Igitur quæ hîc diſſerui, illis dicta ſunto, qui vlteriùs quàm vulgus ſolet, in literis progredientes, Latino ſermone ſcribere proponunt. ſed & reliquis eadem vſui eſſe poterunt, qui eiuſmodi ſcriptores ſemper in manibus habent, quibus excuſſis optimos quoſque terere ſuaſerim. Vale.

ROL. MARES. IOANNI FRANCISCO SARACENO S.

EPISTOLA XXVII.

Io. Franciſcum Saracenum hortatur, vt à verſibus ſe ad proſam orationem transferat.

CARMINA factitandi honeſta profectò eſt exercitatio, & homini literato nequaquam negligenda; cuius ſcilicet amœnitas animum grauioribus ſtudiis feſſum recreat, & exhilarat. nec verò Poëtarum omnes veneres alioquin intelligendo aſſequi poterit, aut verè de iis iudicare, qui ipſe in hoc ſtudio aliquando ſe non exercuerit. Sed in eo non multùm immorandum eſſe, &, vt Neoptolemus Ennianus paucis philoſophandum dicebat, ſic paucis verſificandum eſſe cenſeo: niſi fortè ei, qui ſit ingenio ita ad poëſim apto, vt magnum in eâ ſe operæpretium facturum, nec longè inferiorem, quàm veteres Poëtæ habuerunt, facultatem ſe conſecuturum eſſe confidat. Nam verè ſcripſit Horatius,

—— mediocribus eſſe Poëtis
Non homines, non Dÿ, non conceſſere columnæ:

Quæ enim ex illâ mediocritate gloria ſperanda eſt, cùm videamus ex antiquis Silium, & Statium pluſquam mediocres Poëtas, ex recentioribus verò tot Italos, compluréſque alios omnium nationum, qui Latinos, vernaculóſque verſus elegantes compoſuerunt, nunc vix legi, ex noſtris etiam Ronſardum, à quo noſtra Poëſis magnum incrementum accepit, tótque illum ſecutos raro in manibus haberi? Poëtarum certè communium gloria, ipſorum ætatis curriculo terminatur: nec ſecum malè actum eſſe exiſtimare debent, ſi dum vixerint, aliquo in pretio fuêre. qui æternitati carmina componet, eum ad celebratos antiquitus Poëtas proximè accedere oportet. Sed qualiacunque carmina, dum gratiam nouitatis habent, leguntur: cùm illam exuêre, in obſcuro iacent. Porrò non hæc eò adduxi, ſuauiſſime Saracene, vt à Poëſi vernacula, in qua mirè places, te abducam. alios ſiquidem dulcedine tuorum verſuum demulces, & capis, te verò ipſum iiſdem reficis, & oblectas: ſed vt ad proſam orationem potiſſimùm te adhorter; itaut hæc tuum ſit ἔργον, illa πάρεργον. Poëticæ enim ſtudia fortaſſe non malè apud Tacitum Lepidus

tanquam inania, & fluxa inceſſit: & Torquatus apud Ciceronem nullam in iis ſolidam vtilitatem, ſed omnem puerilem delectationem eſſe dicit. Solutus verò ſermo quantas habet commoditates! nullam certè materiem reſpuit. eo res geſtæ ſcribuntur: ad quod argumentum præcipuè te voco, in eo iam exercitatum; ſiue veterem noſtram hiſtoriam retractare, ſiue res huius æui ſcriptis conſignare velis: in quibus bellum, quod etiamnum cum Hiſpanis gerimus, latiſſimum facundiæ tuæ campum ad deſcribendas tot noſtrorum Ducum res egregias aperiet prosâ de rebus politicis, quæ larga ſeges: de moribus, quæ vberior: de ipsâ etiam eloquentiâ eloquenter ſcribere potes. quorum argumentorum quodlibet à te ea vi ingenij, quæ in te eſt, & eloquendi facultate tractatum, lectoribus incredibilem voluptatem, nec minorem vtilitatem eſt allaturum. Ego ipſe, vt de me aliquid dicam, non què me in exemplum adducam, aliquando animi cauſa feci carmina, ſed

Nunc verſus, & cætera ludicra pono.

Quid enim vtilitatis ex his ad alios pertingere poteſt, ad me gloriæ, cùm etiam Poëtarum noſtri æui ſat egregiorum ſcri-

Digitized by Google

pta ætâtem non ferre videam? Ab aliquo igitur tempore ſtatui ſtili exercendi, & otij conſumendi cauſâ ad te, & ad ceteros amicos ſimilis huicce argumenti epiſtolas ſcribere, nimirum de literis. quæ etiamſi leuiſſimæ operæ, nulliúſque doctrinæ, fortaſſe tamen lectorem inuenient. quod de verſibus, licèt meliùs nati eſſent, vix ſperare auſim. Vale.

ROL. MAR. HENRICO, ET HADR. VALESIIS FRATRIBVS S.

EPISTOLA XXVIII.

Ad Henricum & Hadrianum Valeſios fratres ſuum pro pace votum mittit.

MVLTI ſunt apud nos boni viri, qui bello, quod vniuerſam propè Europam concutit, licèt hactenus nobis ſatis ſecundo, tandem pace lætâ finem imponi cupiant: cùm eum in finem bella ſuſcipienda ſint, vt pax firmior, & ſecurior conſequatur,

—— pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datũ, pax vna triumphis
Innumeris potior.

In quibus bonis ciuibus cùm nomen meum

Digitized by Google

profitear, hoc carmine, quod votum pro illâ continet, teſtari volui, quantopere cuperem internecina illa odia, quæ bellis immaniſſimis Chriſtianos inter ſe committunt, in communem hoſtem conuerti, ex noſtris calamitatibus ſuum hodie captantem commodum. qui, ſi tandem malo noſtro edocti ſaperemus, omnium coniunctis viribus vltra Thracium Boſphorum expellendus eſſet. Quoniam verò vos pacis vehementer cupidos, & illa exitialia bella ſemper deteſtatos eſſe cognoui, id carmen ad vos mittere volui, certus magis ob argumentum, quod vobis arridet, quàm ob verſuum magniloquentiam, quæ nulla eſt, vobis non diſpliciturum. Valete.

VOTVM PRO PACE.

PRÆBEAT euẽtus quãuis Fortuna ſecundos,
Et circumuolitans noſtras Victoria turmas
Aſſiduè foueat: quamuis Rhenũ inde bibamus,
Hinc Sicorim: & Gaſto Morinorũ fulminet arces
Parte aliâ, certans Pupillo ſubdere Belgas:
Pacem feſſa tamen diuturno Gallia bello
Expoſcit ſuperos, requiémq; modúmq; triumphis.
Nunc certè, cùm Chriſticolis fera vincla minatur
Hoſtis atrox, Melitaque arces excindere tentat.
Latiùs haud etenim dominandi inſana cupido

Accinxit ferro, nobis aut induit arma.
Contentíque iugum impendens depellere toti
Europæ, fractum iam perdere funditùs hoſtem
Parcimus, atque ſuæ victoria temperat iræ.
Nec bella ex bellis ſerere, aut confundere cuncta,
Sed cupimus pacem turbatis reddere rebus.
Nos etenim miſeret tot cernere bella per orbem
Sparſa, & vbique mali contagia ſerpere morbi.
Nam quæ iſtis damnis intacta, expérſq; tumult s
Eſt regio? tamen Arctoas bellum iſtud in oras
Præcipuè incubuit, quáq; occidit æquore Titan:
Noſter miles aquas vbi caſſide potat Iberi,
Exhorrétque tubas tremefactus Tarraco noſtras.
Dÿ bene, quòd clades, diríque incommoda belli
Auctorem inceſſêre ſuum: quíque omnibus vnus
Intulerat Martem, nunc propulſare viciſſim
Cogitur, & ſua propugnat, qui aliena petebat,
Regnandi vetere, & vehementi incenſus amore,
Carolus Auſtriaci generis quem maximus olim
Inſeuit ſoboli. Regnis dotalibus auctus,
Cùm totam pæne Auſoniam iunxiſſet Iberis,
Germanas & opes Belgis, Rhenóque potitus,
Europæ imperium appetiit: votíque fuiſſet
Haud dubiè compos, niſi Gallia fortiter audax
Cœpta repreſſiſſet, vires atque arma potenti
Terrarum opponens prædoni. Móxque paternis
Inſtituit inceptis, veſtigia trita ſequutus
Filius: hic arte, atque armis depellere auito

Digitized by Google

Henricum aggreſſus regno. Sed tempora cerne
Quid faciunt: conſuetus Iber longinqua per orbẽ
Bella inferre procul patriis à ſedibus, hoſtes
Nunc videt attonitus proprios exurere campos,
Vaſtatáſque vrbes, ſubuerſáque mœnia luget.
Verùm aliquo ſemper redimuntur proſpera dãno,
Nec quiſquam eſt Princeps adeo præſentibus vſus
Cælicolis, vt non capiant incommoda quædam
Ex bello populi, trahitur ſi pluribus annis.
Interiùs mores effuſa licentia Martis
Corrumpit, curat dum externa, & finibus hoſtes
Rex arcere ſuis ſatagit: plebémque tributis
Exhauſtam grauibus paupertas dura fatigat.
Quæ pax eſt ideò victis optanda, recuſet
Nec victor, componat apud ſe vt cuncta tumultu
Bellorum concuſſa, pius legéſque reducat,
Quæ plerumque ſolent inter media arma ſilere.
Pax melius ſuperûm eſt munus, Pax optima rerũ.
Iura per hanc legéſque valent, quæ facta coërcent
Suppliciis iuſtis ſcelerata, bonóſque tuentur:
Ingenuæque vigent artes, ſtudia optima florent:
Antiqui redeunt mores, redit aurea virtus.
Tum ſata rura beat fœcundo copia cornu:
Agricola haud metuit ſegeti, non vinitor vuis,
Ne coniecta ſuos populetur flamma labores.
Commeat huc illuc liber, vacuúſque timore
Mercator, volitant pacata per æquora Nautæ.
Almam igitur ſuperûm rector bonus annue pacẽ,

Quæ placidâ componat apud nos cuncta quiete.
Núncque adeo puero ſub Principe, donec adultus,
Firmius & nactus fuerit cùm robur ab annis,
Ipſe ſuas acies ductor regat, ipſe ſuíſque
Militet auſpiciis, nec auitis degener actis
Militiæ pro primitiis mauortia ſigna
Vertat in Auroram, deriſi numinis vltor:
Inferat & claſſes pelago, cui nomina fecit
Helle merſa vadis, pulſo capiátque Tyranno
Mœnia Byzantis, Gallis data fata ſequutus,
Barbarici quibus imperij promiſſa ruina eſt.

ROL. MARES. ÆGIDIO MENAGIO SVO S.

EPISTOLA XXIX.

De conuertendis linguâ Latinâ Græcis Poëtis agit; & quî id fieri debeat.

EVRIPIDIS Hecubam carmine inſtitui reddere, quod ex veteribus ipſum Ennium tanti nominis Poëtam facere non piguit. cuius verſio quàm libera fuerit, & ſoluta, ex paucis quæ ſuperſunt, reliquiis apparet. Nam adeo verba non curat exprimere, vt ne ſenſum quidem vbique reddat. Quam licentiam in Poëtis vertendis vſurpare mihi conueniens eſſe videtur.

Digitized by Google

alioqui, ſi illos ad verbum conuertas, nihil frigidius, aut inamœnius fieri poſſit. Diuerſa ratio eſt in Oratoribus, & Hiſtoricis, quorum veſtigia preſſiùs ſequi oportet. quamquam iuxta Hieronymum bono cuiuſque operis interpreti non eſt hærendum in verbis, ſed decor magis, & elegantia in tranſlatione conſeruanda eſt, quàm veritas interpretationis. Quod minimè ſeruarunt ex recentioribus Eraſmus, & Buchananus tanti viri, qui aliquot eiuſdem Euripidis tragœdias carmine reddiderunt, ſed ita, vt pleriſque in locis verſus legere te non putes. Nam dum ita anxiè verbis ſe alligant, vt interpretatio κατὰ πόδα eſſe videatur, paulò duriuſculos verſus fecerunt: nec cæſuras in Iambis, qui præcipuus eſt illorum decor, cum ſtudio ſeruarunt; contrà verò in Anapæſtis illas, quod maximum eſt vitium, admiſerunt. quod ſe ſcientem prudentem feciſſe in ſuâ præfatione teſtatur Eraſmus, nec ſibi perinde probari illam in vertendis auctoribus libertatem, quam Tullius vt aliis permiſit, ita ipſe vſurpauit. Sed Ciceronis, quàm Eraſmi iudicium ſequi tutius eſſe putaui. Liberius ergo transferendi genus, multùm tamen infra Ennianam libertatem ſe-

Digitized by Google

cutus ſum. Nam Græcæ linguæ idioma Latinæ proprietate exprimere conatus ſum. tum aliquot loca, quæ vel erant obſcura, vel deſperaui tractata niteſcere, aut certè ſatis aptè reddi poſſe, ex Horatij conſilio reliqui: quod tamen in paucis auſus ſum. Denique neſcio num aſſecutus, certè adniſus ſum omnino id efficere, vt hæc minimè tranſlata viderentur. nam meo iudicio ea demum bona eſt verſio, quæ minimè videtur eſſe verſio. Porrò hoc exercitationis genus commendat in epiſtolis Plinius, cuius plurima enumerat commoda. Ego illud eo præcipuè conſilio ſuſcepi, vt me in ſermone Latino, atque adeo verſu exercerem: ſimul, quod idem annotat Plinius, vt quæ legentem excellens poëma fefelliſſent, transferentem fugere non poſſent. Cui ſtudio non multùm immorandum eſſe ſcio, nihilque aliud totâ vitâ quàm auctores vertere, quod hodie à noſtris hominibus nimis frequentari video, nequaquam probo. alioquin inuentio, cuius præcipuæ ſunt in ſcribendo partes, torpet. vt inſpicias verò, operæne pretium in hocce ſtudij genere fecerim, hoc inſtituti operis ſpecimen ad te mitto: cuius, vltráne pergere, an hîc ſubſiſtere debeam, iudicium erit. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. IOAN. FRANCISCO SARACENO S.

EPISTOLA XXX.

Patrio ſermone etiam cum laude ac vtiliter ſcribi à doctis poſſe.

ETSI, quoties ſcribo, non alio quàm Latino ſermone ſcribere ſoleo, tamen eſt mihi pergratum, cùm ex noſtris aliquem patriâ linguâ rectè, quod tu facis, ſcribentem video. Vnicuique enim illam ornari, & excoli maximæ eſt voluptati. quod fieri niſi elegantibus, & diſertis ſcriptis nequit: qualia quò rariora ſunt in tantâ ſcriptorum turbâ, eò acceptiora, & iucundiora eſſe debent. Quamquam optimè norim, ei qui ſuos libros orbem peruagari, & omnium gentium manibus teri cupiat, eâ linguâ ſcribendum eſſe, quæ licèt nullius nationis iam ſit propria, tamen multis in regionibus viget, & celebratur, nec à vetere ſuâ poſſeſſione, nimirum vt toti ferè orbi communis eſſet, excidit. Nec verò ſum neſcius etiam ei, qui æternitati ſcribere velit, non alio ſermone vtendum: propterea quòd, quæ Gallicè

ſunt ſcripta, non ferant ætatem, & ob continuam linguæ noſtræ mutationem, cui neſcio quomodo magis, quàm reliquæ, videtur eſſe obnoxia, pauciſſimis annis durent, & in pretio habeantur. quod in recentibus operibus, & quæ patrum noſtrorum ætate ſunt edita, cernere licet: quæ quamuis ſatis elegantia, nunc temporis non legi, ſuperiora verò vix intelligi videmus. Quem linguæ curſum non magis, quàm fluminis alicuius ſiſti poſſe certiſſimum eſt.

—— mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia viuax:

Nam linguam noſtram ſatis nunc excultam, & abſolutam in eo gradu poſſe conſiſtere quî ſperare poſſumus, cùm Latina, quæ Ciceronis æuo perfecta videbatur, non multò pòſt adeo immutata, demum ad barbariem reuoluta ſit? Nihilominus tamen etiam vernaculis, ſi ſint terſa, & elaborata, non deeſt ſuus honos. Apud Italos ſiquidem Petrarcha, & Boccatius plus Italicis, quàm Latinis gloriæ conſecuti ſunt. Nónne in omnium manibus eſt Guicciardini hiſtoria, nec ſolùm propter res quas continet, ſed etiam propter auctoris eloquentiam, & iudicium in pretio

habetur, & propè antiquis comparatur? Arioſti, & Taſſi poëmata nónne vbique lectitantur? Nos etiam, nam de nobis eſt ſermo, egregios Poëtas habemus, in his Ronſardum, & Bellaium: nec minùs proſâ oratione celebres ſcriptores, in his Montanum, & Vrſæum. Nam ſuperſtites attingere, multæ me cauſæ vetant. Sunt tamen apud nos viri vtrâque linguâ docti, qui noſtram vt minimè matricem, ſed ex Latina maximè, & aliis deſumptam contemnunt, & ſcripta Gallica attingere dedignantur. Quos ego libens ad Ciceronem delegem, qui ſuos Græcis literis eruditos, ſed Latinas ſpernentes, & Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuuij præ Euripidæis reiicientes, pæne Romano nomini inimicos vocare non dubitat: & rudem eſſe in Poëtis Latinis, aut inertiſſimæ deſidiæ, aut delicatiſſimi faſtidij eſſe dicit. Noſtrum quidem ſermonem Græco, & Latino longè inferiorem eſſe non diffiteor: tamen, vt nunc eſt, ſuauis eſt, & vber, & quibuſuis ſententiis eleganter, & neruosè exprimendis ſufficiens, rotundæ etiam ſtructuræ, compoſitioníſque concinnæ, & numerorum capax. Quæ cùm ita ſe habeant, quamquam Latina elegan-

Digitized by Google

ter ſcribis, linguam tamen noſtram, quod eſt boni ciuis (nam patria ſimul ornatur) ſcriptis tuis decorare non deſine, mollibúſque verſiculis, vt aliquando ſoles, lude. ſed quod præcipuum eſt, & ampliorem honorem tibi conciliaturum, quæ ex priſcâ noſtrâ hiſtoriâ deſumpta, iam affecta habes, tandem abſolue. Vale.

ROL. MAR. EIDEM S.

EPISTOLA XXXI.

Suum Ludouicæ Gonzagæ R. Propempticon ad Ioannem Franc. Saracenum mittit.

HEROINAM illam ex noſtris principibus fœminis, quæ propter egregias, animi, corporíſque dotes à potentiſſimo Rege abuſque Sarmatiâ ad nuptias expetita eſt, multi variis carminibus proſecuti ſunt, & auguſto illi matrimonio fauſta omnia precati. In eo argumento, quod propter virginis eximias virtutes admodum locuples erat, ego quoque luſi. Et multi quidem, quòd rem nuptiarum eſſe viderent, Epithalamia compoſuêre. Ego cùm illas adhuc longè abeſſe cernerem, in quibus celebrandis tantùm car-

carmen nuptiale concini ſolet, aliam materiam ſumpſi: & cùm eo die, quo ciuitas vniuerſa effuſa ad ſpectaculum abeuntis Reginæ concurrerat, ego propè ſolus domi remanſiſſem, cœpi cogitare, num eſſet conuenientius vota pro ea facere, quæ hiemis initio iter tam longum, & incommodum per regiones rigore vicini ſeptemtrionis horridas, & truculentas ſuſciperet, & propempticum ſcribere. Admoui igitur manum, & hoc qualecunque carmen excudi, quod ad te ſummum verſuum artificem mitto, vt de eo iudices, & aliquos verſus in hoc, vel aliud argumentum à te eliciam, ſiue Latinos, ſiue vernaculos. nam es ἀμφιδέξιος, & ad vtrumque paratus. Vale.

ALOISIÆ GONZAGÆ
ad LADISLAVM Poloniæ Regem ſponſum proficiſcentis
PROPEMPTICVM.

OBVENISSE *licèt gratetur Rege marito*
Gallia virtuti debita ſceptra tuæ:
Et meritum ceſſiſſe apicis regalis honorem;
Inter læta tamen nonnihil illa dolet:
Cùm te abſcedentem longinquas cernit in oras,

Digitized by Google

Quam blandè in tenero nutriit alma ſinu.
Tantùm omnes probitas, tantùm deuinxit hone-
Morum & dulcedo mira, pudórque tuus. [ſtas,
Præcipuè hæ dotes regis ſapientis amorem,
Corporis haud tantùm promuêre bona;
Queis pulcras inter tamen inſignita refulges.
Expetit in ſponsâ ſed minùs iſta ſuâ.
Te Gallorum alicui Procerum coniungere dudum
Connubio optaſſet: ſed renuêre Dei;
Semper vt alloquio gaudere liceret amato,
Aſpectúque tuo, luminibúſque frui.
Quod quando haud per fata licet, ſolatur amãtẽ,
Quòd te Rex petiit victus amore tui:
Qui non nunc primùm concepit in oſſibus ignẽ:
Inſidet ex multo tempore caſtus amor.
Sed quãtus Rex, quámq; potẽs! non vnius vrbis,
Anguſti aut clauſus finibus imperij:
Sed latè dominans campis, quos Viſtula lambit,
Et Viadrus claudit, Sarmaticúmque fretum:
Qui Moſchum immanẽ, Turcóſque frequentibus
Contudit, & Regni limite abegit ouãs: [armis
Conſilio tractat ſolerti cuius habenas:
Virtute, haud ſerie ſanguinis illud habet.
Hic deſiderium faciat tibi lenius Vrbis,
Et patriâ doleas vt minùs eſſe procul:
Linquere & agnatos dulces, carámq; Sororem,
Auguſtam, & natæ quæ tibi iura dedit.
Nec gentem exhorre, quãuis declinet ad Arctos,

Et Scythiæ ex aliquâ frigora parte ferat.
Aſperat haud illi cœli inclementia mores:
Crede mihi, rigidæ nil feritatis habet:
Quamquā amet aſſiduis bellis exercita Martē,
Cominus in ſolo quem petit hoſte ferox.
Ipſa tuis credas oculis, veſtigia in illâ
Indolis vlla vides, ingeniique rudis?
Iam pompâ ingenti, cùm ingreſſus nobilis Vrbem
Orator, licuit cernere gentis opes.
Quis tot Erythræo conſpexit littore gemmas,
Patricius quot erat conſpiciendus Eques?
Frænáque lucebant, & ephippia picta lapillis,
His aurata, illis ſerica veſtis erat.
Ergo læta agedùm, te ad Regem confer amantem,
Qui vix longa moræ tædia ferre poteſt.
Ah! brumæ iratus mala quanta precabitur vdæ,
Cùm faciet tardas imbre lutóque vias,
Quàm lentè hibernas ah dicet currere noctes,
Cùm fugiet dulcis lumina feſſa ſopor!
Intereà, dum grata beet præſentia vultus,
Te non viſam, animo nocte diéque videt.
Præparat inque tuum variâ ſpectacula pompâ
Aduentum, & ludos ingenioſus amor.
Cui plebs officio certatim indulget, equéſque,
Dum ſtudium Regi quiſque probare cupit.
Nos tibi placamus ventos, hiemémq; precamur,
Mitiùs vt tecum frigidus imber agat:
Néve vias hauſtis remorentur flumina ripis,

Aut nix cana cadens æthere turbet iter.
Flamina, ſperamus, Boreas violenta tenebit,
Non ille intactum pectus amore gerit.
Quacũque incedes, procul horrida bella faceſſant,
Vos furiæ, & longè Mars truculente fuge.
At tu Pax feſtos comiteris candida currus,
Vbertas cornu diuite rura beet.
Ad Regem properat virgo generoſa maritum,
Non miſcere acies, ſæuáque bella venit.

ROL. MARES. IOANNI FRATRI S.

EPISTOLA XXXII.

De Comœdiis priſcis ac noſtris.

COMOEDIAS, Tragœdiáſque, ſed magis antiquis pæne incognitas Tragico-comœdias hodie apud nos tanto in honore eſſe videmus, poſtquam his Cardinalis Richelius pretium fecit, & iis ſpectandis ſummopere delectatus eſt, vt ne florente quidem Græciâ magis viguiſſe exiſtimem. ſed quamuis multi huic ſtudio totos ſe dediderint, tamen non admodum multi reperiuntur, qui in eo operæ pretium fecerint. Verùm Comœdiam in præſentia relinquo, quæ ob difficultatem inueniendorum argumentorum, apud nos vix vnum auctorem habet. de Tragœdia,

Digitized by Google

& Tragico-comœdia loqui inſtitui: quarum quoniam argumenta plerumque ex hiſtoriis, vel ex hiſtoria fabulari petuntur, multi, & inter hos etiam pæne pueri in illis exercere ſe audent: & modò numeris concludere verſum nouerint, Euripide, aut Sophocle ſe non inferiores putant. Verùm multò aliter ſe rem habere, nec id ſufficere luculentus eſt teſtis nouæ Comœdiæ princeps Menander: qui cùm ab eo quæreretur, num Comœdia, quæ intra triduum erat agenda, compoſita eſſet, factam eſſe, verſus enim ſolos reſtare dixit. Nimirum id quod Græci μῦθον, Latini fabulam vocant, præcipuè ſpectandum eſt, & ipſius ratione, non numerorum dici Poëtam ſcripſit Ariſtoteles. quam verò œconomiam vocant, rectè ſeruare adeo rarum eſt, vt in hac excellens alioqui Tragicus Euripides eidem peccaſſe viſus ſit. vidit enim vir ille inter alia ſummus Criticus, graues illas ſententias, quæ huic Scenici Philoſophi nomen indiderunt, profundóſque ſenſus, quibus pæne vſque ad vitium ſcatet, mirabilémque prorſus eloquentiam non adeo conſiderari, ſi in compoſitione fabulæ, quæ veluti dramatis eſt fundamentum, peccatum ſit. hodie quis

Digitized by Google

hoc ſpectat? quis res primò ſenſim auditoribus inſinuat, deinde argumentum pedetentim explicat, & tanquam aulæum euoluit? id nempe præſtare non cuiuſuis eſt. pendet enim maximè ex iudicio, quod natura non omnibus paſſim, & promiſcuè indulſit. tum verò magni Tragici munus ſe impleſſe noſtri exiſtimant, cùm argutias in Tragœdias acutè, ſed non ſatis tragicè, quod de C. Titio ait Cicero, tranſtulerunt. quod Græcis, & Latinis Poëtis incognitum primus Seneca, quiſquis ille, induxit, nos ambabus vlnis amplexi ſumus: cùm Sophoclis graue, & ſententioſum ſcribendi genus imitari nequiremus, eiuſmodi acumina affectantes. nec valdè laborant, vt quæ ex ſe fingunt, admodum ſint veriſimilia, & ſpectatoribus enucleatè proponantur, modò variorum affectuum certamina inducant, in quibus poſſint ludere, & tota argutiarum plauſtra effundere. Quòd verò ad te attinet, cùm ſummus ille vir, de quo ſuprà, cui placuiſſe non vltima laus eſt, à te id exigeret, fabulas iuxta antiquorum regulas compoſuiſti. quas qui ſpernunt, ſatis ſuam ipſi inſcitiam produnt, cùm illi in literis meliùs quàm nos omnia viderint. de quibus fa-

Digitized by Google

bulis quid ſentiam aperire mihi non eſt liberum. Nam quòd plauſum meruerint, non hinc iudicium ferre oportet; quem tuliſſe quaſdam nouimus, quæ paſtoritiâ fiſtulâ dignæ erant; ex aduerſo verò

Rara coronato plauſere theatra Menandro.

in quod mirum nemini videri debet, cùm inter eos qui ſpectant, & de iis iudicant, longè plures ineruditos, quàm doctos numerare liceat. Ideóque boni Poëtæ, vt ſe miretur turba, laborare non debent, ſed contenti paucis auditoribus dicere,

ſatis eſt equitem mihi plaudere, vt audax
Contemptis aliis exploſa Arbuſcula dixit.

Porrò quoniam multùm inter Tragicum, & Tragœdum diſtat, nec id ſcribendi genus dedignati ſunt etiam ſummi, & principes viri, non te pœniteat illius viri iuſſis obtemperaſſe, cui quoniam Dij ipſi negare nihil potuerunt, hominem te denegare non erat æquum. quin potiùs duas, quas à longo tempore inchoatas habes fabulas, quando per negotia licebit, abſolue: quarum altera inuentionis venuſtate, & machinarum, pegmatúmque varietate, non minùs quàm verſuum elegantia placitura eſt: altera ſententiarum grauitate,

Digitized by Google

carminúmque magniloquentiâ animos procul dubio capiet. Vale.

ROL. MARES. PETRO GASSENDO MATHEMAT. SCIENTIARVM REGIO PROFESSORI S.

EPISTOLA XXXIII.

Εγκυκλοπαιδείαν cuique, vt eruditus habeatur, neceſſariam eſſe: & de Gaſſendi doctrina.

LINGVARVM, & Hiſtoriarum accurata cognitio quin vtiliſſima, & præſtantiſſima ſit, nemini dubium eſt. Linguarum enim beneficio ad optimos ſcriptores nobis acceſſus patet. ex hiſtoriis præter prudentiam, quæ per has præcipuè petitur, ordo temporum, & rerum ab orbe condito maximè memorabilium notitia colligitur. quo ſtudiorum genere nullum iucundius, aut fructuoſius eſſe poteſt. Verùm vt quis abſolutè doctus appellari poſſit, longè alia, & maiora requiruntur; Philoſophiæ nimirum, Mathematicarúmque diſciplinarum, & aliarum ſublimiorum artium cognitio. Per has enim, res addiſcuntur, in quibus ſcientia propriè conſiſtit: per linguas verba tan-

Digitized by Google

tùm. quas licèt pæne omnes, vt Ioſephus Scaliger, calleas, & inſuper humanis, & ingenuis artibus ſis excultus: tamen, ſi hîc ſubſiſtas, non magnos profectus feceris. etenim hæ artes circa ſermonem tantùm verſantur, & ad reliquas aditum præbent: Si verò etiam hiſtorias ſcias omnes, tanquam vngues, digitóſque tuos, nouiſti quidem quid vnquam ſit geſtum hiſtoriâ dignum: quamquam quot res memorandæ hominum memoriam fugerunt. Sed quamplurima reſtant addiſcenda: hiſtoria naturalis, quæ propè infinita eſt: Mathematicæ diſciplinæ, quæ tam vaſtè patent: Theologia, quæ primo loco nominanda erat: Medicina vnicuique ad tuendam propriam ſalutem tam neceſſaria: Ius denique non tam Græcorum, aut Romanorum, quàm naturale, & omnium gentium commune. Igitur vt aliquis eruditi nomen meritò ſibi vindicare poſſit, ἐγκυκλοπαιδείαν illam attigiſſe debet, ſine qua abſolutè doctus non dicetur, quantumuis elegantioribus literis expolitus. Eapropter iure merito (vir clariſſime) doctus exiſtimaris, vtpote qui Philoſophiam, & Mathematicas ſcientias calles, eáſque longè aliter quàm vulgus Profeſſorum, doces. Re-

Digitized by Google

lictâ enim illâ viâ, quæ ab aliquot ſæculis obtinuit, & in ſcholas barbaram quandam Philoſophiam induxit, de rebus pulcherrimis eleganter, quantùm materiæ difficultas patitur, diſſeris, nec rerum ſublimitatem verbis ſordidis dehoneſtari ſinis. Quod teſtantur egregia tua monumenta, ex quibus altiorum ſcientiarum notitiam cum politioribus literis te coniunxiſſe manifeſtè apparet. Iſtiuſmodi verò rerum mediocri cognitione minimè contentus fuiſti, ſed eas penitiſſimè peruidiſti, & inuentis à priſcis illis Thalete, Anaximandro, aliiſque primis Philoſophiæ, & reliquarum artium auctoribus noua quotidie addis. Quæ laus fortaſſe non multò minor eſt, quàm inueniſſe. quibus quidem ſummis viris eò tantùm cedere videris, quòd te tempore præceſſerunt. Quæ cùm ita ſint, non mirum, ſi à noſtro Principe tibi Regiæ Profeſſionis munus delatum eſt: quod quondam honorificum, nunc tamen meritis tuis non ſatis congruit. Auditorium enim eruditione tuâ dignum tibi non contigit: adeo præclara illa ſtudia nunc frigent, & tanta eſt Academiæ vaſtitas, quam pueri tantùm incolunt, qui primis literis dant operam, idque non valdè ſe-

Digitized by Google

riò, nec altiora attingere admodum curant. ij ſanè ad percipiendam eximiam tuam doctrinam non ſatis idonei ſunt, & optandum erat, vt diſcipulos te dignos haberes. Verùm huic querelæ non eſt hîc locus. Itaque valebis.

ROL. MARES. GVIDONI PATINO DOCTORI MEDICO S.

EPISTOLA XXXIV.

De priuatis bibliothecis, & de habendo librorum delectu.

QVONIAM aliâ epiſtolâ de publicarum bibliothecarum vſu tecum diſſerui: nunc itidem ad te de priuatis aliquid ſcribere viſum. Quod non abs re mihi facere videor. Bibliothecam enim librorum ſupellectile egregiè inſtructam habes: quamquam ea non tam priuata dici debet, quàm publica, vtpote quæ omnium vſibus promiſcuè pateat. In libris igitur id ſolummodò cuius gratiâ comparati ſunt, nempe vſum, conſiderandum cenſeo. Nec me valdè afficiunt ornamenta, nec magnopere curo, vt volumina pellibus pretioſiſſimis, & nitidiſſimis, etiam

Digitized by Google

magna ex parte vnicoloribus veſtiantur, aliiſque rebus exornentur, quæ cornuum, vmbilicorum, & bullarum vice ſint, quæ antiquitas vſurpauit. quod equidem non culpo in opulentis, & principibus viris, qui ad pompam, & oſtentationem omnia ferè agunt, & libros non in ſtudium, ſed in ſpectaculum, vt ait Seneca, comparant. Sed quantum eſt mediocris fortunæ hominum, quibus, vt inquit idem, voluminum ſuorum frontes maximè placent, tituliſque, & exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum in ſpeciem, & cultum parietum comparantur? Tantummodò ſufficiat curare, vt librorum editiones ſint elegantes, ſupra verò omnia vt quàm emendatæ. Quòd ſi quem ornatum in bibliothecis requiram, ſtatuæ ſint, aut imagines doctorum virorum, quales in tabulis depictas, Richelianæque bibliothecæ armariis ſuperpoſitas vidimus. eorum, qui noſtro, aut ſuperiore ſæculo doctrinâ claruerunt. quorum etiam icones non paucas, vt non huius modò ætatis, ſed etiam ſuperiorum eruditos viros ſingulariter amas, collegiſti. Quod Aſinij Pollionis Romæ inuentum fuit, qui primus, vt inquit Plinius

Digitized by Google

Maior, bibliothecam dicando, ingenia hominum publicam rem fecit. Naturâ enim trahimur ad effigies, & corpora eorum noſcenda, quorum immortales animæ, vt idem ait, in iiſdem locis loquuntur. Sed præcipuè librorum delectum haberi velim, nec tam copiam quæri, quàm bonitatem: eóſque qui quamplurimos libros colligunt, Epaphroditum Chæronenſem Grammaticum æmulari cupiam, quem Suidas tradit aſſiduè libros ementem, ad triginta millia collegiſſe, ſed optimorum tantùm, & ſelectorum. Immenſa enim omnis generis voluminum, etiam ineptorum, & futilium congeries impedimentum potiùs eſt bibliothecæ, quàm ornamentum. Quòd ſi Seneca ſtudiorum, quam liberaliſſimam impenſam vocat, tamdiu rationem haberi vult, quamdiu modus habebitur, & Alexandrinam bibliothecam non, vt Liuius, elegantiæ regnum, curæque egregium opus, ſed ſtudioſam luxuriam appellat, cùm tamen tunc malorum librorum non tantùm eſſet, quantùm hodie: quid dicendum de his publicis, & magnatum bibliothecis, in quibus nullo ferè delectu, innumeri tantummodò libri accumulantur, & potiùs vt

Digitized by Google

multis, quàm vt bonis, & vtilibus ſint inſtructæ, cura habetur? cùm contrà ex more Grammaticorum, qui antiquitus nonniſi probatiſſimi bibliothecis præficiebantur, qui illis hodie præpoſiti ſunt, librorum quàſi quemdam Senatum legere deberent, ne qua ineptorum hominum ſcripta in iis reponerentur. Iſtiuſmodi enim infinita Typographiæ beneficio quotidie ſuppullulant, quæ omni ope ſupprimi, & aboleri oporteret, ne bonorum multò minorem turbam multitudine ſua occultent, aut obruant. Quorum hominum præpoſteram diligentiam dum conſidero, qui Cæſios, Aquinos, ſæcli incommoda peſſimos Poëtas, demum omnia colligunt venena, nec vlla Librariorum ſcrinia inexcuſſa relinquunt: ex aduerſo non poſſum facere, quin veterum Eccleſiæ Antiſtitum nimiæ, ſi fas eſt dicere, hac in re religioni aliquo modo ſubiraſcar; quos multa egregia Græcorum, & Latinorum monumenta vnà cum ipſorum templis, flammis dediſſe aiunt: dum verentur ſcilicet, ne hinc etiam minimum in noſtram religionem damnum inueheretur. Certè I. Sariſberienſis auctor eſt, ſanctum Gregorium non modò matheſim pepuliſſe ab

aulâ, ſed etiam incendio dediſſe ſcripta, quæ cæleſtium mentem, & oracula hominibus reuelare videbantur. Apertorum quidem noſtri cultus hoſtium, quales Celſus, Porphyrius, Iulianus fuerunt, peſtifera, & abominanda ſcripta quin optimo conſilio, & ratione ſuppreſſa ſint, nòn dubium eſt. Similiter quæ ad morum corruptelam valebant, vt Elephantidis libelli, Ariſtidis Mileſiaca, & talium portentorum omni obſcœnitate referta volumina: quorum tamen iacturam quidam Italus ſuperiore ſæculo ſarcire conatus eſt. Sed quid Tacitus ad prudentiam ciuilem ſcriptor tam appoſitus commeruit? quid tot alij alioquin vtiles fecerunt, vt perirent? Profuit ergo nihil miſero Tacito, quòd gentilis, & cognominis Imperator eius opera in omnibus bibliothecis collocauerat. Ob aliquot ſcilicet loca, in quibus Iudæos, & Chriſtianos perſtrinxit, pęne nobis periit eximius Hiſtoricus, quem ideò Tertullianus mendaciorum loquaciſſimum vocat: quamquam ea ipſa loca in libris qui reliqui ſunt, adhuc comparent. Leues tamen ſunt eæ clades præ iis, quas Gothica barbaries, quæ poſtea vniuerſum pæne orbem inundauit, libris in-

Digitized by Google

tulit. Gens enim omnis humanitatis expers, omnibus egregiorum operum monumentis, ſed maximè literis, quæ nos humaniores reddunt, bellum indixiſſe videbatur. Sed vt aliquando finiam, quandoquidem epiſtola non debet ſiniſtram manum legentis implere, & eò, vnde digreſſus ſum, redeam: bibliothecas ex mole non æſtimo, modicámque cum delectu, quàm amplam, promiſcuis, & quibuſcunque, etiam è triuio libris refertam, pluris facio. Alij verò vt aliter ſentiant, per me licet. Vale.

ROL. MARES. PETRO, ET IACOBO PVTEANIS FRATRIBVS S.

EPISTOLA XXXV.

De conuentibus prudentium ac doctorum virorum in bibliothecis, ac de eorum vtilitate.

ALII aliis quidem capiuntur, &, vt ait Poëta,

—— *trahit ſua quemque voluptas.*

Mihi verò nihil in vitâ dulcius eſſe, aut iucundius videtur, quàm doctorum, ſimúlque prudentium virorum cœtus frequentare: in quibus de literis, aliiſque

rebus

rebus honeſtis ſermones omni ſuauitate condîti habeantur. Et verò ſecta illa, quæ voluptatem pro ſummo bono habuit, non aliam tam ardenti ſtudio perſequi viſa eſt, quàm eam quæ ex amicorum conſortio, & colloquiis in hortis vbi degebant, caperetur. Literati autem illi conuentus plerumque in bibliothecis fieri ſolent, vbi libri præſtò, & ad manum ſunt, ſi quando illis inſpectis opus ſit. Quæ cùm ita ſint, non mirum, ſi in veſtras ædes, viri clariſſimi, vndique concurritur: cùm veſtri ſermones adeò graues, ſuauéſque neminem non alliciant, & præter illam, quam in pectore circumfertis ἔμψυχον bibliothecam, etiam ibidem ſit non priuata ſolùm veſtra, omni optimorum librorum ſupellectile inſtructiſſima, ſed etiam Regia manuſcriptis codicibus referta, quæ verè theſaurus eſt omni gazâ pretioſior, & cuius cuſtodia nulli meliùs credi poterat, quàm vobis omni literarum genere ornatiſſimis, & qui in vſus publicos tam raras, & excellentes opes optimè diſpenſare nouiſtis. Ibi de literis, & rebus ad literas pertinentibus iucundi omninò ſermones habentur: Ibi de libris antiquis, ſed præcipuè de recentioribus à viris doctis iudicium accuratiſſimè fertur:

Digitized by Google

ibi renuntiatur, quid noui cudatur, quid quiſque è numero eruditorum in literis cogitet: quos quidem, quâ eſtis humanitate, omni ope adiuuare ſoletis, vt ſuis monumentis de hominum genere bene mereri pergant. Poſt deciſa verò negotia literaria, etiam de iis, quæ ad remp. noſtram pertinent, & quæ ſcire magis noſtra intereſt, apud vos agitur, nec verò noſtra tantùm narrantur, ſed etiam

—— quid toto fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant:

& de his rebus adeò cordatæ, & prudentes ſententiæ feruntur, vt eiuſmodi conciliabulum meritò cos iudiciorum haberi debeat: ex quo plus prudentiæ hauriri poſſit, quàm ex aſſidua librorum lectione. vt enim ferrum ſi intactum iaceat, rubiginem contrahit, tractatum verò manibus eniteſcit; ſic animi hominum dum frequenter per colloquia coëundo, quaſi ſe mutuò contingunt, expoliuntur, & vſum quemdam rerum ex huiuſmodi attritu colligunt. Itaque cùm domum veſtram celebrandis tam vtilibus, & iucundis cœtibus præbeatis, iure vobis contingit, vt ab omnibus rerum honeſtarum ſtudioſis maximam ineatis gratiam, famámque inde apud ex-

Digitized by Google

teros tam luculentam reportetis, vt nullus paulò humanior, aut literarum cupidus huc aduеniat, quin ſalutaſſe, & vobis innotuiſſe pro maximo ducat, & ſibi glorioſum reputet. Valete.

ROL. MARES. EISDEM. S.

EPISTOLA XXXVI.

Licèt plurimi libri perierint, tamen ſatis multos & bonos nobis ſupereſſe.

MAGNA, fateor (viri clariſſimi) iactura facta eſt in tot eximiis antiquorum libris temporis iniuriâ deperditis. Verùm, ſi æqui eſſe volumus, non ita malè nobiſcum actum eſſe videri poteſt, cùm in omni diſciplina præſtantiſſimi quique ſint ſuperſtites. Quid enim eſt excellentius in Philoſophia Platone, & Ariſtotele? in Medicina Hippocrate, & Galeno? quid magis egregium in eloquentia Demoſthene, & Cicerone? in Poëtica Homero, & Virgilio? Quâ tamen in re fortuna, vt ſemper, multùm valuit. Quamplurimos enim libros non valde probos, quibus facilè careremus, ſeruatos videmus, amiſſis tot bonis. quod vel ex ipſo Cicerone poteſt intelligi, cuius de Rep.

Digitized by Google

libri interciderunt, inter illius opera præſtantiſſimi, vtpote ab homine ſcripti, qui non quidem, vt Plato, Reip. expers, ſed in eâ per omnem vitam verſatus fuerat. Magnæ igitur à ſtudioſis omnibus habendæ ſunt bonis illis viris gratiæ, penes quos ſolos tamdiu literarum imperium fuit, quòd otium ſuum in libris deſcribendis conſumentes, tot alioqui perituros nobis quaſi per manus tradiderunt: quorum beneficio ſumus humaniores, & literis politioribus exculti. Quæ cùm conſidero, illa animum ſubit cogitatio, quòd ſi mirum illud inuentum Typographia apud veteres fuiſſet, cuius operâ libri tam facilè ſeruari poſſunt, omnia iam ſcripta, vt hyperbole vtar, quæ etiam in euangelio repetitur, ipſe mundus capere non poſſet; cùm Alexandrina bibliotheca tot voluminum millia habuerit, & omnibus ſæculis infinita ſint edita, quorum etiamnum numerus ob celeritatem exſcribendi per Typographicam artem, in immenſum creſcit. libros enim faciendi, vt ait ſapientiſſimus non Regum ſolùm, ſed etiam omnium hominum, nullus eſt finis. ſed tot librorum qui perierunt, iacturam æquo alioqui animo ferre debemus: vt enim aliarum re-

rum, ſic etiam eſt ſtudiorum intemperantia: nec ad acquirendam ſapientiam, quò illa referenda ſunt, innumeris libris aſſiduè ſtipatum eſſe neceſſe eſt, & illos diurnâ, & nocturnâ manu verſare. Qua in ſententia fuit eximius quidem, quamquam non valde doctus Philoſophus Diogenes, qui Hegeſiæ oranti, vt ſibi quid ſcriptorum commodaret: Stultus es, inquit, Hegeſia, qui, cùm caricas quidem non pictas, ſed veras eligas, verâ tamen exercitatione neglectâ ad pictam te confers. Herillus enim reiectus eſt, qui ad ſcientiam omnia reuocans, vnum quoddam bonum vidit, ſed nec optimum, nec quo vita gubernari poſſit. Sed profectò ridicula eſt de tot amiſſis voluminibus querela: cùm iis ipſis, quæ habemus, plerique non multùm vtamur; quorum numerus ſatis amplus etiam ardentiſſimam ſtudiorum ſitim poſſet reſtinguere. De maiore Liuij parte amiſsâ omnes queruntur, pauci verò ea, quæ de illius eloquentis hiſtorici ſcriptis ſuperſunt, ſedulò, & ad calcem perlegerunt. Itaque libris, quos non paucos fortunæ beneficio ad hæc vſque tempora ſeruatos habemus, contenti, illis grato animo vtamur: cùm ad animum omnibus di-

Digitized by Google

ſciplinis excolendum, & ad virtutem informandum abundè ſufficiant. necnon poſt depulſam barbariem, à duobus ſæculis in omni ſcientiarum genere libri ſatis egregij conſcripti ſint, qui quodammodo facere debent, vt veterum iacturam æquiore animo feramus, cùm quæ illi dixere, iis illuſtrentur, & noua etiam afferantur. Valete.

ROL. MARES. CLAVDIO SARRAVIO SENATORI PARISIENSI S.

EPISTOLA XXXVII.

Cl. Sarrauium Senat. laudat, quòd non ſolùm iuri dicundo, ſed etiam literis humanioribus vacet.

QVòD aſſiduus in iure dicundo, etiam Muſas colis, & otium, ſi quando per litigantes datur, humaniorum literarum ſuauitate oblectas, id non parum miror: cùm rarum ſit nunc temporis in tuæ dignitatis hominibus, qui frequentiùs libellos, quàm libros legunt: & pauci admodum curent rerum ad ſuum munus propriè non pertinentium cognitione animum exornare. Quòd verò ſtudiis non leuiter

Digitized by Google

defungeris, ſed etiam aliquando Criticæ difficillimæ Grammaticæ parti das operam, & quos in manus ſumpſiſti libros inter legendum corrigis, id verò vehementiùs admiror. Cùm eum qui id munus ſuſcipiat, multâ lectione inſtructum, & in literis non perfunctoriè verſatum eſſe oporteat: quod in actuoſæ vitæ hominibus non paſſim reperire eſt. nec enim iam Fabri, aut Ranconeti inueniuntur, qui tempus, quod à iudiciis liberum datur, in eiuſmodi ſtudia impendant, nec ſibi ſolùm, ſed etiam aliis ſcribendo prodeſſe velint, & Grammaticos agere non dedignentur. Nam ſtudium illud literas colendi, quo paſſim homines ſuperiore æuo tenebantur, multùm imminutum eſt. ſiquidem, vt ait Poëta,

Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Concipiunt alios:

nec idem ſemper in pretio eſt. His verò minimè contentus in codicibus etiam manuſcriptis conquirendis opes, & operam liberaliter impendis, literatóſque viros, qui libros vel antiquos emendando, vel nouos condendo publicis commodis ſeruiunt, conſilio, & auctoritate iuuas. Quo facto illuſtrium Senato-

Digitized by Google

rum Puteani, & Petauij recordationem renouas, qui quoad vixere, rem literariam, quantum in ipſis fuit, promouerunt: necnon digni æternâ memoriâ Peyreſcij, qui omnes quotquot literas fouerunt, amore in illas incredibili longè anteceſſit, & ſtudioſos quotquot vnquam futuri ſunt, ſingularibus beneficiis ſibi in æternum deuinxit. Sed cùm otio abundare oporteat eum, qui literis vacet, planè nouum, ac mirum videri debet, vt dixi, te negotiis tantopere licèt implicitum, adeò indefeſſo labore illis incumbere, & Themidem, quæ apud nos præſertim tam rixoſa Dea eſt, Muſis quiete gaudentibus temperare. Quod tamen ſummâ cum tuâ laude facis: nec ſatis habes boni illius viri Horatiani munere fungi,

Qui conſulta Patrum, qui leges, iuráq; ſeruat,
Quo multæ, magnæque ſecantur iudice lites:

aſſiduo etiam ſtudio conſequeris, vt inter literatos, eóſque eximios connumereris. Qua in re prudentiam tuam non poſſum facere quin magnopere commendem, qui optimè noſti vitam ſine literis, viui hominis eſſe ſepulturam. Nec verò in ſtudiis aliquando acquieſcere vllis magis conuenit, quàm iis qui in foro, quod plenum

eſt tumultu, ſemper verſantur, & coacer-uatis litigantium ſaccis non ſtipati, ſed veriùs obruti ſunt. quorum vitâ nihil miſerius eſſe poteſt, niſi interdum ſe ad amœna literarum diuerticula referant, & moleſtam litium amaritudinem Muſarum iucunditate edulcent, quæ præter delectationem, vtilitatem etiam afferunt maximam. Vale.

ROL. MARES. EIDEM. S.

EPISTOLA XXXVIII.

Vetera aliena nos compilare, noſtra ac domeſtica in ſcribendo negligere.

POSTQVAM Typographia nata eſt, vir clariſſime, nouorum librorum prouentus ſemper vberrimus fuit, qui etiamnum haud ceſſat. ſed ex his quamplurimi ætatem non tulere, & multi nunc naſcuntur eo genio, vt non diu victuri videantur: Et ij ferè ſunt vnius generis. Nam veteres auctores tantùm compilamus, raró verò aliquid noui proferimus, & tum demum nobis non mediocriter eruditi videmur, cùm innumeros ſcriptorum locos in librum congeſſerimus, qui mos ſcribendi longè ab antiquorum more diſtat. Illi enim, cùm

Digitized by Google

rem de quâ alij ſcripſerant, tractarent, auctorum Latinorum verba non exſcribebant, niſi rarò: Græca verò cùm afferrent, ea ferè in ſuam linguam conuertebant, & iis quæ ab aliis acceperant, ſaltem vt quid proprium dici poſſet, ordinem nouum, & ſtilum ſuum accommodabant. Nos verò innumeros ex variis ſcriptoribus & omni lingua locos accumulare contenti, non valde de ordine, qui tamen in omni ſcripto primùm ſeruandus eſt, curamus, & ſæpe res crudas, & indigeſtas proponimus, centonéſque veriùs quàm libros conſarcinamus, id ſolùm curantes vt moles voluminis creſcat; in quo nos varia legiſſe probamus, memoriámque noſtram, ſed cum iudicij diſpendio oſtentamus. Ad quam formam ingentes libros componere, nimirum per indices, non admodum difficile ſit. Mira fuit antiquorum, ſed præcipuè Græcorum, diligentia in ſcribendo de omni pæne materia, & de rebus etiam minutiſſimis: quæ patet ex indice Plinij, Diogene Laërtio, Athenæo, & aliis tot ſcriptores temporum iniuria deperditos laudantibus. Sed ij ferè de ſuis rebus ſcribebant, & propria illuſtrabant: quamquam etiam externa, ſed frequentiùs ſua,

Digitized by Google

Nos in rebus cùm Græcorum, tum maximè Romanorum explicandis toti ſumus, moréſque eorum, & inſtituta ſcrutamur; dum vetera, vt ait Tacitus, extollimus, recentium incurioſi. quod equidem non damno. quid enim priſcâ hiſtoriâ pulchrius? aut quî veterum ſcripta ſine diligenti iſtarum rerum cognitione intelligemus? modò noſtra quoque non negligamus, & ſuperiorum ſæculorum res præ amore Romanæ antiquitatis, quæ ſanè multùm admirationis meretur, ſcriptis illuſtrare non dedignemur. Quantùm verò ad me attinet, ego eum pluris facerem, qui, vt de Varrone ait Cicero, ætatem patriæ, deſcriptionem temporum, ſacrorum iura, Sacerdotum, domeſticam, bellicam diſciplinam, ſedem regionum, & locorum, omnium denique diuinarum, humanarúmque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperiret, atque, vt ait idem, varium, & elegans omni ferè numero poëma faceret, quàm eum, qui de Romanorum magiſtratibus, & inſtitutis cramben toties recoctam rurſus apponeret. Nam cui hæc non dicta? omnia iſta iam vulgata ſunt. Et tamen poſt tot veterum, & recentiorum ſcripta, etiamnum eruditi in his enu-

Digitized by Google

cleandis multùm ſe iactant, neglectis antiquitatibus patriis, & rebus recentibus, quibus operam impendere multò vtilius, & honorificentius foret. Iam verò rerum in artificiis nouarum, & priſcis incognitarum inuentio, quàm vberem nobis ad ſcribendum materiem ſuggereret, ſi illorum ſedulitatem imitari, & recentia potiùs, quàm antiqua ſcribere mallemus? In hiſtoria naturali quot miranda nobis ipſum tempus quotidie profert? ſed vel ſuperiore ſæculo nouus orbis apertus, de quo ne veteribus quidem ſuboluerat, quantorum voluminum ſegetem nobis præbet? ſiue de gentibus ipſis, & earum ingenio, ſcribere velimus, quæ non alium quidem ſolem, at certè noua ſidera norunt: ſiue de animalibus, plantis, & aliis terra editis, quæ à noſtris mirum quantum diſcrepant. Sed iam ſit finis. hoc enim præſenti epiſtolâ tantùm volui, primùm, vt quando ſcribimus (quandoquidem raro quid eſt noſtri martis, quod afferamus) ſaltem iis, quæ aliunde mutuò ſumimus, ordinem, & ſermonem noſtrum accommodemus: nec tam attendamus, vt quamplurimos libros componamus, quàm vt bonos, memores notiſſimi de Perſio, & Marſo diſti-

Digitized by Google

chi: Deinde vt facta noſtra cernere potiùs addiſcamus, quàm Græcorum, aut Romanorum, & ea quæ in omni genere noua reperit ætas, ſatis digna legi, ſcriptis conſignare, quàm ſemper in antiquorum veſtigiis pedem ponere, & proculcata, ac toties decantata perſequi malimus. cui opinioni meæ, vir ornatiſſime, ſi adhæſeris, quâ doctrinâ es, & iudicio, eam firmiter tueri vt certam, & indubitatam non verebor. Vale.

ROL. MARES. IOANNI FRATRI S.

Epistola XXXIX.

Io. fratri ſuam de morte Brezæi elegiam mittit.

Eximia adeò virtus fuit nobiliſſimi iuuenis Armandi Malliaci Brezæi, & adeò illuſtria illius in Principem, & patriam merita, pro quibus etiam fortiter pugnando cecidit, vt quicunque apud nos orationes ſcribunt, ἐπιταφίους λόγους, qui verò verſus, epicedia in eum componere deberent; vt ſaltem fortiſſimi ducis memoriam debitis laudibus proſequerentur, & alios ad occumbendum animosè pro patria accenderent. Ego licèt parui

inter literatos nominis, tamen ne huic officio deeſſem, à tenui ingenij mei vena hoc carmen expreſſi, quo defuncti manes pro viribus honorarem. Id verò ad te mitto, mi frater, per magnum Armandum illius auunculum, iſti domui iampridem innexum, cui, vt erga admirandi viri memoriam gratus eſſes, omnia tua obſequia deuouiſti. Quod carmen meum excellentis indolis pueris μακαρίτου conſobrinis oſtendes, vt currentes, quod dicitur, incites, & ad fortitudinem, animíque magnitudinem, iam ſuâpte naturâ propenſos magis magíſque inſtiges. Vale.

DE MORTE ARMANDI MALLIACI BREZÆI, Regiæ Claſſis Præfecti,

ELEGIA.

SI ſua nunc ipſi minimè fortuna placeret,
Non foret in ſuperos Gallia grata ſatis.
Terrarum tantum nobis pelagíque paratum eſt,
Ex quo bella ſibi triſtia mouit Iber.
Hinc regni ad Sicorim prolatus terminus, inde
Captiuus Rhenus ſub iuga noſtra fluit.
At gratìs non tanta tamen victoria conſtat,
Non ſine ſunt aliquo parta trophæa malo.

Digitized by Google

Haud aliter, quamuis felicia bella geruntur.
Hoc dolet ARMANDI *Gallia mæſta nece.*
Heu! periit pulſi tormento fulminis ictu,
Hoſtem dum trepidè qui fugit, acer agit.
Dux, mira ô caſus nouitas, fatúmque ſiniſtrum!
Inter tot ſolus millia pæne cadit.
ARMANDI *magni inſiſtens virtutibus heres,*
Largus, & in cunctos officioſus erat;
Comiſque, & blandus, conſtanti & pectore fortis
Credebat redimi non malè morte decus.
Et penitùs defixa animo præcepta gerebat,
In bellum quæ cùm mitteret, ille dedit.
Sedulus hæc tenuit, poſtquam primùm induit ar- [ma:
Nec durum Martem deſtitit inde ſequi:
Et toto ſemper victor volitare profundo,
Poſtquam illi claſsis credita cura fuit.
Quam rexit ductor vix pubeſcente iuuentâ:
Et iam militiæ, tiro magiſter erat.
Nam fractas puppes pelago diſiecit Iberas;
(Emporiæ teſtes, Herculeúmque fretum)
Aſſuetus cælo pelagi, tranſtríſque iacere,
Dilectus Nereo, Nereïdúmque choris:
Cuius vt aſpiceret vultum, ſæpe extulit vndis
Cæruleum os Triton, ſe comitémque dedit.
Filius ille tamen Neptunius, hoſte fugato
Victrici ſulcans æquora claſſe perit.
Prô Dij! non ſat erat terras ſparſiſſe cruore,
Hoc infecta etiam nî maris vnda foret?

Digitized by Google

Fluctibus & ſæuis adiuncta pericula Martis?
Annon in ponto mors erat vna ſatis?
Quin etiam finxit tormenta imitantia fulmen,
Gens hominum damnis ingenioſa ſuis.
Nî potiùs telum hoc inimica inuenit Erinnys;
Sueta dolens lentâ perdere tela nece.
Proſternit totas vno ſimul impete turmas,
Cùm fumum glomerans machina dira tonat.
Paſſimque horribili volitantia diſſipat ictu,
Nec ſeruat nigris integra membra rogis.
Sic ARMANDE, *ſequens fuſas toto æquore naues,*
Antè hoſti quàm tu congrederêre, cadis:
Nec tua fata doles, nec tanquam ignobile lethum,
Quòd propè non licuit conſeruiſſe manum.
Nam patriæ impendis vitam, moreriſq; priuſquā
Fortunæ varias experiare vices.
Obuius in ſuperis te excepit Auunculus oris,
Felices ſedes quas pia turba colit.
Et quamuis iuuenem properans te Parca peremit,
Non nimiùm te ſic oppetiiſſe dolet.
Singula narrantem te illic attentior audit,
Nam ſua nunc quid agat Gallia, ſcire cupit.
Præcipuè, vt curat ſucceſſor commoda Regni
Sedulus, inſiſtit conſiliiſque ſuis.
Omniáque in melius lætus procedere diſcit,
Nec Regis verſa, aut funere fata ſuo:
Sed Belgas domitos, perlatáque ad vſque Batauos
Arma, quibus ſociis iungere caſtra licet.

Nominis

Digitized by Google

Nominis hîc terrore ſui latè omnia bello
Proterere affinem, qui tot opima tulit.
Cladibus & variis hoſtes huc eſſe redactos,
Summiſſi vt pacem ſupplice voce petant.
Ergo te meritum prouexit ad æthera virtus,
Et duxit manes in loca læta tuos.
At celebris totum volitans iam fama per orbem,
Plurima poſt etiam ſæcla ſuperſtes erit.

ROL. MAR. PETRO THEODORICO SOBRINO S.

EPISTOLA XL.

De ratione legendi interpretes Iuris.

CVM iuris diſcendi causâ aliqua tibi Academia petenda eſſet, Bituricenſem te omnibus aliis prætuliſſe gaudeo. Vt enim initio Officiorum ſcribit ad M. filium Cicero, Athenas, vbi tunc Philoſophiæ dabat operam, illum exemplis inſtruere poſſe: ſic illa vrbs, quæ Iuriſprudentiæ domicilium ſemper habita fuit, in quâ ſcilicet Duarenus, Contius, Cuiacius, tótque alij Iuriſconſultiſſimi Anteceſſores maximâ laude floruerunt, officij tui te, licèt alioqui non immemorem, admonere poterit. Ad illud igitur, cùm te ſatis at-

tentum, & tua ſponte propenſum incitare nihil neceſſe ſit, de ratione iuris Iuſtinianei interpretes legendi, necnon optimos ſcriptores, ſine quibus illud vix intelligi poteſt, paucis tibi exponere volo. Interpretes autem alij ſunt antiqui, alij noui. Antiqui, inter quos Accurſius, & Bartolus principatum tenent, de ſermone non valdè anxij, rerum quas tractant, curam ſolam habuerunt: quas cùm noſſent, quantùm in illa barbarie, & codicum deprauatione noſſe poterant, explicare niſi inconditè, & barbarè nequiuerunt. quod non tam eis, quàm ſæculo illi tribuendum, quo linguæ, & bonæ literæ prorſus iacebant. ex quibus nihilominùs nonnulli, ſi modum in ſcriptis tenere potuiſſent, fortaſſè etiamnum lectione non indigni eſſent. Verùm cùm propter prodigioſam librorum multitudinem, ac vaſtitatem, tum propter illam infantiam, quæ vtique illis, qui literis humanioribus eruditi ſunt, faſtidio eſt, ſtudioſos iuris à ſe abalienauerunt. Recentiores mihi contrario vitio laborare videntur. In minutiis enim Grammaticis ferè occupati, & in ſingulis vocibus hærentes, quod præcipuum eſt aliquando negligunt: quæ verò ſunt extra

rem, & Grammaticorum, Criticorúmque magis propria nimis curioſè attendunt. qualibus idcirco nominibus velut per contumeliam appellantur ab iis, qui veterum partes adhuc tuentur: quos ipſi viciſſim vlciſcuntur, & paribus telis hoſtem conſumentes, barbaros, & à ſtudiis humanioribus alienos nuncupant. Nihilominus inter hos præcipui, & contractiores legendi. In omnis enim generis commentariis breuitas, certè non nimia, vt maximè ſtudiis idonea mihi ſemper placuit. Cuiacius præſertim nouorum princeps legendus, vir non in iure tantùm, ſed in omnibus literis apprimè exercitatus: quamquam meâ ſententiâ magis aptus ei, qui animi cauſa, & Romanæ tantùm antiquitatis noſcendæ, iuri operam dabit, quàm ei, qui in foro, & in litibus verſari volet; legendus tamen ob iuris in doctrina excellentiam. Quantùm ad veteres; vt nimiùm prolixos, & incultos, poſt renatas literas ferè vndique exploſos video: tamen ei, qui ſe iudiciorum palæſtræ præparabit, non prorſus abiiciendos, ſed tanquam ad praxim, quam vocant, aliquomodo vtiles, ideo etiam attingendos eſſe iudico. Ceterùm quamquam vtiles ſint commentarij, me-

Digitized by Google

mineris tamen ipſos auctores ſedulò euol-
uere, & ediſcere, & ad eos tanquam ad
fontes recurrere, nec ſemper ex lacubus
haurire: neque imitari huius æui pleroſque,
qui cùm Philoſophiam Ariſtotelicam, &
Theologiam, tenere ſe autument, ipſum
tamen Ariſtotelem, &, quod mirum ma-
gis eſt, codices ſacros vix attigerunt.
Nam, vt dixi,

—— multùm refert à fonte bibatur
Quæ fluit, an pigro quæ ſedet vnda lacu.

Quoniam verò te non pragmaticum ſo-
lùm, aut rabulam tolerabilem fieri, ſed
etiam inter diſertos patronos, quales hac
ætate non admodum multi reperiuntur,
cenſeri volo, ad quoſcumque bonos ſcri-
ptores in manus ſumendos te plurimùm
adhortor: qui non ſolùm ad ſermonem fa-
ciant, quamquam hoc maximum eſt, ſed
etiam qui res, & exempla ad omnes cau-
ſas appoſita ſubminiſtrent: quæ non à ſo-
lis Hiſtoricis, ſed à Poëtis quoque peten-
da ſunt. Nam quin oratores legendi ſint,
non dubium eſt. Quamuis enim apud nos
alia ſint in vſu, nec idem qui apud anti-
quos, ordo in iudiciis ſeruetur, tamen
omninò facundiam alent, orationémque
tuam, cuius futuro aduocato præcipua cu-

Digitized by Google

ra eſſe debet, copioſiorem, & ornatiorem efficient. Huc igitur te etiam atque etiam voco. Cùm enim hactenus Philoſophiæ egregiam operam dederis, quod in publicis concertationibus patuit, in quibus mentis tuæ celeritas, & docilitas claro experimento teſtata eſt: nunc verba, quibus res quas tenes, conueſtiantur, & exornentur, quærenda ſunt. neſcio enim quo pacto hac tempeſtate accidit, vt ferè diſſidium ſit inter iſta, quæ naturâ tam connexa ſunt, & coniuncta. certè Deus ille veſter Ariſtoteles rerum cognitionem, vt ait Cicero, cum orationis exercitatione coniunxit: cuius cùm hodiernæ ſcholæ in Philoſophia ſectam ſectentur, tamen illius πολυμάθειαν, & liberalium artium cognitionem, addo etiam, in ſcribendo elegantiam æmulari non ſtudent. Sed de his hactenus: quæ tanquam ab animo tui amante, tuíque profectûs ſtudioſo profecta accipies. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. FRANCISCO GVIETO S.

EPISTOLA XLI.

Vti de ſcriptoribus iudicium ferri conueniat.

QVANTA olim in literis Criticorum auctoritas fuerit, vel ex vno Quintiliano patet, qui eos ita ſeuerè iudicio ſuo vſos eſſe ſcribit, vt non modò verſus cenſoria quadam virgula notare, & libros qui falsò viderentur inſcripti, tanquam ſubdititios ſummouere familiâ permiſerint ſibi, ſed auctores alios in ordinem redegerint, alios omninò exemerint numero. Quamuis verò id munus Grammaticorum quaſi proprium eſſet: tamen illud aliquando ſummi etiam Philoſophi non detrectarunt. Ariſtoteles ſiquidem doctor inclytus omnium Philoſophorum, vt eum appellat Iuſtinus, fuit κριτικώτατος. quod egregius de Poëticâ libellus abundè teſtari poteſt, & Homerica emendatio ἀπὸ τοῦ νάρθηκος dicta, quam in Alexandri gratiam fecerat. A duobus autem ſæculis, quoniam libri ferè omnes per barbariem, & ignorantiam corrupti erant, ac deprauati, quamplurimi extiterunt viri docti, qui in illis quà ingenio, quà codicum manuſcriptorum ope reſti-

Digitized by Google

tuendis ſedulam operam nauauerunt. De hoc Critices genere mihi non eſt ſermo: de alio genere nunc agere volo: nimirum de cenſendis ſcriptoribus. quantum verò ad antiquos pertinet, id mihi minùs neceſſe eſſe videtur, cùm multorum de his iudicia extent, & de optimis quibuſque ad ſuum vſque æuum ſuprà nominatus Quintilianus tam egregiè quàm breuiter cenſuram tulerit. Sed quod ad eos attinet, qui poſt reductas ab exilio literas libros ſcripſerunt, optandum erat, vt de illis iudicare in animum inducerent homines Criticorum nomine meritò digni: ſed de illuſtribus tantùm. fecit id quidem in Ciceroniano ſummi vir iudicij, ſummæque eloquentiæ nec minoris eruditionis, Eraſmus in ſui, & ſuperioris æui ſcriptoribus, ſed tranſcurſim, niſi quòd in Pontano, & Sannazaro diutius immoratur. fecit quoque alius in literis item ſummus vir Iuſtus Lipſius, præcipuè in epiſtolis: in quarum vna Bembi ſtilum ſeuero, ſed æquo examine expendit: quod tamen apud quoſdam ineptos obtrectatione non caruit. de quo ipſo Lipſio ego ipſe nuper in quadam epiſtola, ſed cum tanti nominis veneratione, iudicare auſus ſum. Fecerunt & complures alij. quod certè

Digitized by Google

omni laude proſequendum eſt, modò cum modeſtia fiat, & in pridem functis, ſine odio, & gratia: quorum cauſæ procul habentur, cùm de iis iudicatur, quos videre, quibúſque proinde inuidere non licuit. Sed id in iuſto opere, & ex profeſſo facere, fortaſſe nimis inuidioſum ſit: nimirum ſummorum virorum quaſi cenſorem agere. Tantùm epiſtolis, aut Criticis operibus illas cenſuras admiſceri vellem. quanquam eiuſmodi iudicia ſic, vt dixi, exercita, non tam cenſuræ, quàm laudationes dici debent: quibus, quid in vnoquoque egregium videatur, ac laudabile, ingenuè adnotatur, obiter verò tantùm, ſi quid aliquando iidem peccauerint. Sed quis meliùs id exequi poſſit, quàm tu, vir erudite, qui iudicium ſubtile, & κριτικὴν illam vim tuam ſemper in cenſendis tum priſcis, tum nouis auctoribus adhibuiſti. quo ſcriptorum genere non aliud vtilius eſſe poſſit, præſertim iuuentuti, quæ inde iudicium exercere, & quid in vnoquoque auctore maximè notabile ſit, animaduertere diſcat. Quamuis autem eam operam in egregios tantùm ſcriptores impendendam eſſe ſuprà dixerim: tamen ex præcepto Quintiliani, qui etiam corruptas aliquando, &

vitioſas orationes, quas tamen plerique iudiciorum prauitate mirantur, legi palam pueris ſuadet, oſtendíque in his, quæ caſtigatione digna ſunt, interdum auctorem probum quidem iudicio vulgi, doctorum non item, examinandum ſumi probarem. Cuius rei exemplum in vno ſcriptore afferre libet. Is eſt Paulus Iouius, qui mihi nequaquam eâ exiſtimatione, quam vulgò habet, dignus eſſe videtur. Quantùm enim ſentio, non bonus eſt hiſtoriæ ſcriptor, nec iudicio ſatis valet: qui ſi vernaculè ſcripſiſſet, nullo in numero haberetur. Latinus enim ſermo quaſi fucus quidam labes illius multas contegit: qui prima ſpecie elegans videtur, nam bellè ſonat, & quibuſdam imponit, mihi non item. vix enim Latinus eſt, certè minimè purus, totúſque idiotiſmis ſcatet; nihil ferè propriè effert, ſed plerumque περιφραστικῶς loquitur, nec pæne vlla vox eſt ſine epitheto. Id verò nominis ex hoc illi conciliatum puto, quòd hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat, & magis ea quæ de rebus recentis memoriæ ſcribitur. in quo tamen ſuo opere à Guicciardino omnibus numeris abſoluto hiſtorico, qui de iiſdem rebus ſcripſit, longè ſuperatur. In elogiis doctorum virorum,

Digitized by Google

pauca quædam de his, nec admodum notabilia, aliquando etiam inepta affert. Deus bone! quantùm Suetonio in eodem argumento diſſimilis. ſed de illo hactenus. Ad te redeo, qui optandum eſſet, vt ſcriptis mandare velles ea quæ in literis ſentis, (quod ego fortaſſe nimis temerè in meis epiſtolis facio) hoc eſt, de vario ſcriptorum genere, de ſcriptoribus ipſis quid tibi videtur: cui ſi non propriæ gloriæ, at vtilitatis publicæ ratio habenda erat. Sed, quantum video, tibi vni viuens, & tacitâ doctrinæ conſcientiâ contentus, vt te ſcire ſciat alter, & vt eo nomine in poſterorum ore ſis, non admodum curas. Vale.

ROL. MARES. ÆGIDIO MENAGIO SVO S.

EPISTOLA XLII.

Suum de Dunkerka capta Epinicion ad Menagium mittit.

EPINICII quod ad Angienſem Ducem de Dunkerka capta compoſui, ad te mitto typis excuſa aliquot exemplaria. in quo ſeuerè examinando cùm factus fuiſſes Ariſtarchus, acrior iſta cenſura in

cauſa fuit, vt malè tornatos verſus iuxta præceptum Horatij incudi redderem. Cuius diligentiæ me nequaquam pœnitet: certè tu multùm immutatos, & magna ex parte auctos eſſe agnoſces. Ceterùm tenuitatis meæ mihi probè conſcius ſum, quámque minimè elati ſpiritus poëta ſim. ſed tantum abeſt, vt me huius genij valdè pœniteat, quando Virgilij more aſſurgere, & illius carminum maieſtatem æmulari adeò paucis conceſſum eſt, vt eo nomine mihi vtcunque gratuler, quòd verba ſeſquipedalia, & ampullas, quas etiamnum à quibuſdam frequenter vſurpari video, reiicio, & verſus per humum repentes, quales quibuſdam mei fortaſſe videbuntur, quàm nugas canoras pluris facio. Quantùm verò ad argutias, & acumina, quæ nunc ferè apud omnes tanto ſunt in pretio, nunquam me cepit affectatum illud ſcribendi genus. quod per quoſdam poëtas Hiſpanos poſt Auguſti tempora in Latium inuectum eſt, ignotum priori, & meliori æuo. nam Ouidius, qui primus argutis eiuſmodi ſententiis vſus eſt, parcè, & cum iudicio illas vſurpauerat. Nimirum recentiores iſti, cùm ad ſuperiorum ſtilum liquidum, puróque amni ſimillimum accedere deſpera-

Digitized by Google

rent, ad talia confugerunt, quibus homines iudicij minimè probi facillimè capiuntur: dum id vim ingenij eſſe putant, quod plerumque nihil aliud eſt, quàm vana ſubtilitas. Porrò hæc, qualiacunque ſunt, carmina cum illis, opinor, communicabis lectiſſimi ingenij viris, qui ad te, tanquam ad elegantiarum patrem, & amœnitatum promumcondum vndique confluunt. nam qui vni tibi mittitur liber, omnibus legitur. Quod ſi feceris, mihi gratum erit. ſed hoc officium multò cumulatius futurum eſt, ſi quæ liberiùs apud te de hoc ſcripto effutierint, ea pari libertate mihi referas. is enim ſum, qui, vt probè noſti, amici cenſuram ferre poſſim, imò qui eam vltro prouocem, & ab illo ſcripta mea ſeuerè caſtigari, quàm impensè laudari malim. Vale.

LODOICO BORBONIO ANGIENSI DVCI de Dunkerkâ captâ

EPINICION.

SI laudes LODOICE *tuas mea Muſa ſileret*
Lõgiùs, haud parui, fateor, rea criminis eſſet:
Nunc adeò, cùm tot faciet Dunkerka Poëtas

Digitized by Google

Dedita tam ſubitò. nam quem non tanta diſertũ,
Sit quamuis rudis, atque infans, victoria reddat?
Sed cur ceſſaui, cùm ſint tam ſplendida facta
Digna cani, & totum famâ volitare per orbem?
Heroûm quis enim, quos tempora priſca tulerũt,
Par collatus erit? nec ſe tibi magnus Achilles.
Æquiparet, quamuis Vulcania geſſerit arma
Matre Deâ ſatus, atque ſuperbiat Hectore cæſo.
Vnam non potuit Troiam expugnare tot annis:
Multæ vrbes adeò munitæ tempore paruo
Succubuêre tibi, expertæ victricia ſemper
Arma, manúmq; illam, cui nemo impunè reſiſtit.
Nec tibi rex Macedo famâ licèt inclytus obſtat,
Aut cantatus vbique tuos obſcurat honores:
Æuo maior erat, Perſas cùm Marte cecîdit:
At ſunt acta tibi maiora minoribus annis,
Nec verò poſthac, modò Diui incœpta ſecundent,
Inferiora geres. Iam quis ſat carmine digno
Rocrouias acies, memorandáque prælia dicat?
Extincto cùm Rege recèns ſpes noſtra labaret,
Atque vacillaret Regni fortuna quadrimo
Principe, qui nondum rerum par eſſet habenis,
Auſus es Hiſpanis æquo concurrere campo.
Illi cuncta ſuis ſpondebant proſpera cœptis,
Deſpondiſſe animum nos, & ſibi victa daturos
Terga rati: cùm tu generoſo ardore capeſſis
Certamen prior, atque tuos accendis in hoſtem
Exemplo, turmáſque horrendi fulminis inſtar

Digitized by Google

Proteris, ac fuſas toto æquore cedere cogis.
Illa fatiſcentes animos victoria nobis
Reſtituit, ſpes & penitus præcidit Iberas:
Ex illo pauidus, campis ſe credere apertis
Non auſus, validis ſe incluſit mœnibus hoſtis.
Feruidus aſt vrbes concuſſas ariete crebro
Deditione capis, nec dum tibi reſtitit vlla,
Arte licèt munita, ſitu & confiſa locorum:
Non ego commemorē, ſtupuit quæ prælia Rhenus,
Atque Iſter, cùm te Germania vidit ouantem,
Auſtriacas vbi frangis opes certamine bino.
Nam me ad ſe Dunkerka rapit; nec cætera verſu,
Sint licèt admiranda, ſinit detexere longo.
Verùm hoc egregium facinus dum pangere tento,
Hæreo, nec mihi mens ſat grādia verba miniſtrat.
Ergo tu paucis vrbem expugnare diebus
Prima ſub Autumni potuiſti frigora, cùm iam
Incipit hibernis feſſus ſuccedere miles,
Quæ Belgis præbebat opes, quæ commoda portu
Extremis terras Morinis iungebat Iberas.
Illa ergo pelagi regina, ars dira latronum,
Europæ totius abundans diuite prædâ,
Præcluſo quæ ſuſtulerat commercia ponto,
Accepit noſtras per te iam ſubdita leges.
Heu! quot mortales (numero comprendere non eſt)
Poſcere mercedes, aut mendicare ſubegit
Omnibus exutos fortunis? horrida cunctis,
Scironis tanquam ſcopuli, aut Cyclopea ſaxa,

Digitized by Google

Aut Cilicum portus, quam ſemper nauita pallens
Præteriit, Scyllâ inuiſam magis, atque Charybdi.
Ergo tuæ cedat piratica laurea Magni:
Piratas ablatâ omnes ſtatione fugaſti.
Pacato poſthac volitabunt æquore puppes,
Securus, libérque timore vltróque citróque
Mercator curret: noſtras hinc copia pleno
Vrbes ditabit cornu, leuioráque multo
Hinc fient nimis, ah! diuturni incommoda belli.
Heroum ſoboles, Heros fortiſſime, cuncta
Hæc accepta tibi referemus: Gallia gaude,
Contigit id demum, quod vota per omnia Diuos
Poſcebas, ipſos prædones cernere captos,
Subiectámq; vrbem, cunctis quæ infeſta fouebat
Piratas gremio, ſpoliiſque opulenta tumebat.
Quòd ſi tam valida eſt primo velut impete capta,
Deſine mirari, ducis hoc virtute peractum eſt.
Et quæ non promptè, quantumuis ardua, tanta
Perficiat vis ingenij, Martíſque labori
Par corpus, fortíſque animus qui vulnera temnit,
Parcámque horribilem, laudis ſuccenſus amore?
Hæc certè faciet bello victoria finem:
Iſtius compos, alias ſine Marte domabis
Mox Belgarum vrbes, cunctarum victor in vnâ,
Nunc igitur tot poſt exhauſta pericla, triumphum
Eia agito, qui decretus tibi iure merenti.
Et lauro cinctus, cunctis plaudentibus vrbem
Intra, quæ multum tibi ſe debere fatetur,

Digitized by Google

Perſonat & iam nunc clamoribus aëra feſtis.
Puluere concretum ſudorem abſterge decoro,
Loricam depone humeris, & caſſide durâ
Exonera caput, ac miſſo repete otia Marte:
Nunc tempus placidâ corpus recreare quiete,
Nunc etiam poſt tot genio indulgere labores,
Defeſſúmque animum lætis laxare choreis:
Vt brumâ tranſactâ alacer mox caſtra reuiſas,
Et reliquas vrbes ſubigas, bellóque peracto
Adiungas Belgam Celtæ, & coaleſcat in vnum
Quæ regio diuulſa ſuo eſt à corpore pridem:
Ni crebris faſtum edoctus deponere damnis,
Quã damus accipiat legẽ, & ſibi conſulat hoſtis,
Et nobiſcum iacturâ decidere partis,
Quàm totum amiſſa iam fama amittere malit.

ROL. MAR. NICOLAO HEINSIO S.

EPISTOLA XLIII.

Belgis ac Germanis ſtudioſis vtiliſſimas eſſe peregrinationes.

QVAMQVAM gratulatio de proſpero tuo ex longa peregrinatione in patriam reditu ſera ſit, tamen ſeram, quàm nullam eſſe malui. Gratulor igitur tibi reditum, nec id ſolùm, ſed etiam quòd in ea vrbe, quæ eadem patria tua eſt, ſedem fixeris:

xeris:

xeris: quæ quamuis in Batauia poſita, paucis tamen ipſius Italiæ vrbibus, quod non fando accepi, ſed ipſe olim vidi, amœnitate, & elegantia mihi cedere videtur. ſed quod magis ad claritatem facit, quam nunc omnium liberalium artium domicilium verè appellare poſſumus: vbi ſcilicet doctorum virorum collegium Alexandrino illo Muſeo non inferius inſtitutum eſt. Quæ dum conſidero, temporum vices mirari mihi ſubit. Cùm enim Athenæ, & Græcia, atque adeo Roma ipſa omnibus humanitatis, & ſcientiarum ſtudiis floreret, tum Bataui inter barbaras nationes, ómníque artium cultu carentes cenſebantur: nunc tempora quid faciant, vide. Nam non dicam Athenæ, quæ iamdiu non extant, ſed ipſum Latium tot literatis viris nuper frequens in has ſedes migraſſe mihi videtur: adeo illic literarum ſtudia frigent, hîc contrà feruent, quantum certè in communi iſto torpore feruere poſſunt. Nam ineunte hoc ſæculo cœpiſſe fluere; & retrò ſublapſa referri, iam tum literati viderunt, & rerum conuerſionem fieri, quæ liberalium artium ignorantiam aliquando reduceret, conqueſti ſunt. quæ quidem iam longè, latéque ſe diffudiſſet, niſi vos præſertim,

Digitized by Google

aliíque non multi apud nos, & aliis in regionibus viri docti, ſerpenti huic peſti obuiam iuiſſetis, & contra torrentem brachia direxiſſetis. Sed his miſſis ad tuam peregrinationem redeo, quam non poſſum facere, quin plurimùm commendem, morémque illum veſtrum valde comprobem, qui etiam Belgis omnibus, & Germanis communis eſt, per cultiores Europæ regiones peregrinandi, priuſquam certo in loco pedem figatis, officióque aliquo, vel grata matrimonij compede vos illigetis. Nam præter externarum linguarum notitiam, & prudentiam, quæ ex illo per varias prouincias diſcurſu acquiruntur, aliud etiam commodum vos φιλομαθεῖς conſequimini: doctos nimirum viros, qui vbicunque degunt, ſalutando, cum illis amicitiam contrahendo, eorúmque conſuetudine, & colloquio fruendo. ex quo nonnunquam plus vtilitatis hauritur, quàm ex librorum lectione. Qua in re tu tibi non defuiſti: ſed quidquid eſt apud nos hominum eruditorum, dum in Italiam is, redíſque, videre, alloqui, quin & eorum beneuolentiam conciliare cura tibi fuit non poſtrema. Cui commodo aliud addendum eſt, vobis quodam modo peculiare, ſcili-

cet bibliothecarum excuſſio, librorúmque rariorum; præſertim verò manuſcriptorum ſedula conquiſitio. fatendum eſt enim vos, & Germanos indefeſſo præ ceteris labore in literarum ſtudiis verſari, & in emendandis, reſtituendíſque ope veterum codicum bonis auctoribus diligentem operam inſumere. Quo nomine omnium vbique ſtudioſorum gratiam demeremini. Quam tu etiam peculiariter, patris tui ſtudiis clariſſimi vrgens veſtigia, breui demereberis, cùm Ouidium poſt tot emendationes etiam inemendatum, quantum ex libris, & ex ingenio fieri poteſt, nitori priſtino reſtitueris. Quod te hortor quamprimùm vt facias: inde ſimul ingenioſiſſimo Poëtæ lucem allaturus, tibíque non minimam gloriam conciliaturus. Vale.

ROL. MAR. CLAVD. SALMASIO S.

EPISTOLA XLIV.

De Claudij Salmaſij laudibus.

NEMO eſt hodie, Salmaſi eruditiſſime, ex literatorum numero, quin πολυμάθειαν tuam magnopere admiretur. ea enim tanta eſt, vt non ſolùm artes ingenuas ap-

Digitized by Google

primè teneas, Hiſtoricóſque & Poëtas contriueris, & cetera quæ Grammaticorum ſunt propria, ſedulò edidiceris, ſed etiam cùm in aliis ſcientiis penitus verſatus ſis, vt de ſingulis ferè libros compoſueris. Nam quòd in literis humanioribus tam multa ſcripſeris, non adeo mirum. in his enim ſemper regnare viſus es. verùm de Iúre, de Medicina, de Aſtronomia, & aliis ſublimioribus ſcientiis, tam doctè te ſcribere quis non miretur? quarum vnam tantùm edidiciſſe, homini ſatis ſupérque ſit. Neque enim nunc paſſim reperire eſt homines omnibus ſcientiis inſtructos, quales fuerunt, Plato, Ariſtoteles, Cicero, & alij: quibus nihil fuit intentatum, quique cùm omnia tenerent, de omnibus ſcribere in animum induxerunt. quamuis idem Plato dixerit omnem doctrinam ingenuarum, & humanarum artium, vno quodam ſocietatis vinculo contineri: idémque Cicero aſſeueret, quòd diſtributione partium, ac ſeparatione magnitudines artium ſunt diminutæ, inde factum, vt nemo genus vnum complecteretur, atq; vt alius aliam ſibi partem, in qua elaboraret, aſſumeret. Grammatico quidem, vt ait Quintilianus, excutiendum eſt omne ſcriptorum genus: ve-

rùm Grammatica licèt plus in receſſu habeat, quàm in fronte promittit, tamen exactam omnium artium cognitionem non requirit. Qui verò orbem illum doctrinæ poſſideat, nec id tantùm, ſed de quauis materia, etiam minimè vulgari poſſit ſcribere, is non ſupra Grammaticum ſolùm, & Philoſophum aſcendere; verùm etiam priſcis illis tantopere laudatis doctrinâ haud inferior eſſe mihi videtur. Quas partes in te eſſe, doctiſſime Salmaſi, omnes non ſine ſtupore vident. qui de rebus etiam abſtruſis, & difficilibus libros minimo negotio conficis: quibus tibi nihil non lectum, nihil non intellectum, nihil non memoriâ retentum probas, & diſticho huic, quod Senator clariſſimus, Muſis, & idcirco tibi, & doctis omnibus amicus Cl. Sarrauius iconi tuæ ſubſcripſit, fidem adſtruis,

Quantum ſcire hominem diuina potentia vellet,
Oſtendit terris, Salmaſiúmque dedit.

Qua doctrinæ, & ingenij laude paſſim iam frigeſcentes literas excitas, antiquámque barbariem, quæ hoc ſæculo omni via ad nos redire conatur, quantum in te eſt, repellis. eâ autem in literis famâ cùm iam à pluribus annis eﬄoreſceres, è Gallia tua, in qua nunc illis minimus honor tribuitur,

Digitized by Google

Bataui te in ſuam Academiam, in quam Athenæ migraſſe mihi videntur, euocarunt, vbi ſummis viris Lipſio, & Scaligero locum quondam inſeſſum teneres, quem quidem non in ſchola docendo, ſed ſcribendo, & ſtudioſis adoleſcentibus tui de literis conſilij copiam per colloquia præbendo, optimè, & cum magno eorum profectu tueris. Quo nomine tibi gratulor, quem eruditionis tuæ fama è patria iſtuc exciuit. Illam verò accuſo, quòd bona ſua non nouit, & cùm te frui poſſit, ab exteris poſſideri ſummo cum ſuo dedecore patitur. Vale.

ROL. MAR. N. F. BALDO BVISSONIO ALBENÆO S.

EPISTOLA XLV.

Buiſſonij notitiam Geographiæ, & viarum militarium laudat.

AVLÆ quæ te ſubtraxit ſtudiis, nonnihil ſuccenſere debent, quotquot ſunt eruditi. Illa enim multa egregia opera, quæ iam affecta habebas, tibi è manibus excuſſit: quibus vtique in illo tumultu vltimam manum imponere non licet. non enim ſola

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt: ſed quæcunque alia ſcripta in aulicâ turbâ, & diſcurſu componi vix poſſunt: & ea præcipuè, ad quæ conficienda quamplurimis voluminibus comportatis opus eſt. qualia ſunt illa, quæ de temporibus, & de rebus Geographicis in manibus tibi ſunt: Deus bone, ſi edantur, quàm vtilia futura! Chronologia enim, & Geographia ſunt hiſtoriæ quaſi oculi: quas qui ignorauerit, in omnium rerum, quæ ab orbe condito geſtæ ſunt, cognitione cæcutire neceſſe eſt: nec alioqui illa hiſtoria eſt dicenda, in qua tempora non ſcrupulosè computantur, nec loca accuratè deſcribuntur. Quare qui ex antiquis de rebus tam vtilibus ſcripſerunt, ſemper apud eruditos magnam inierunt gratiam. Nec verò minimam laudem etiam ij merentur, qui hodie in id ſuam operam conferunt, & de Chronologia, & Geographia magis enucleatè ſcribunt. quod te præſtitiſſe in iis, quæ etiamnum ſupprimis operibus, ex varia tua eruditione, iudicio, & ingenij ſolertia coniecturam facere non eſt difficile; præcipuè verò omnibus valde grata fore confido, quæ de viis militaribus Romanorum, quarum etiamnum reliquiæ in Galliis ſuperſunt, ſcripſiſti. quæ

Digitized by Google

quidem non ex aliorum auditione accepiſti, ſed ipſe variis in regionibus viginti amplius per annos peregrinando inſpexiſti, more veterum Geographorum, & Hiſtoricorum, qui operi ſuo non antè manus admouebant, quàm ea quæ deſcribenda habebant, loca adiiſſent, & ipſi omnium αὐτόπται fuiſſent. Sed quid dicam de antiqua tua Gallia? quæ quin omnibus acceptiſſima, ſed maximè Gallis futura ſit, non dubium eſt. Nobis enim antiquitates patriæ noſtræ noſſe iucundiſſimum erit: nimirum quæ iam Reip. tempore, deinde ſub Romanis Imperatoribus vrbes extructæ eſſent, quæ ex illis nunc ſuperſint, quæ nomen ſeruauerint, quæ mutauerint: denique varias quæ in eruendâ locorum antiquitate occurrunt difficultates, enucleatas videre ſummæ erit voluptati, & vtilitati. Nec verò eſt, quòd tam egregiis operibus coronidem imponere ampliùs ſubterfugias. In ſeceſſu enim æſtiuo amœni alicuius ruris res confici poteſt. Cuius non vltrà patriæ tuæ potes eſſe debitor. alioquin illius gloriam non ſatis magnæ curæ habuiſſe, ſed & propriam neglexiſſe videbere. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. FRANC. VAIERIOS.

EPISTOLA XLVI.

Non omnia antiqua, ſed tantùm neceſſaria ac vtilia examinanda eſſe, & ediſcenda.

APVD antiquos (quod tu non neſcis vir erudite) nemo abſolutè doctus habebatur, niſi qui ad Grammaticam, & liberalia ſtudia ceteras artes adiunxiſſet. Tales nimirum quondam fuerunt ſummi illi viri, quorum πολυμάθειαι ſcripta abundè teſtantur, quibus nullius ingenuæ artis cognitio defuit. Verùm poſt multa ſæcula, temporibus demum barbaris humaniores literæ neglectæ ſunt, & arida, totáque ſubtiliſſimis nugis conſuta Philoſophia, ſine vlla ſermonis, & amœniorum ſtudiorum cura, diu in pretio fuit: donec poſt lucem tandem literis redditam, alia prorſus contraria hominum ſecta exorta eſt, qui nimiam verborum, & antiquitatis curam habuerunt, & non vulgariter docti eſſe ſibi viſi ſunt, ſi verba obliterata, & olentia è tenebris eruiſſent, & in veterum ritibus vſque ad ſuperſtitionem enucleandis multum operæ poſuiſſent. Inde illa hominum cordatorum, & ſolidè docto-

Digitized by Google

rum conqueſtio, in priſcis vocabulis refodiendis, quæ ſunt veluti fæx, aut rubigo antiquitatis, omne tempus impendi, eóſque ſolos haberi literatos, qui Romanorum ritus in ludis, conuiuiis, funeribus ad vnguem tenerent, & de ceteris huiuſmodi rebus libros immenſos quotide componi. Quod quidem non ſic accipi debet, quaſi id literarum genus improbent, quas qui ignoret, certè nunquam eruditus habebitur: ſed quòd ea ad minimas vſque minutias excuti negant oportere: doléntque viros ſummo aliàs iudicio, nec minore doctrinâ in his omne ſtudium ponere: quæ nimiâ cum anxietate inquiſita, ad bonam mentem nihil proſunt: qualia ignoraſſe non multùm interſit, quæque non nouiſſe Fabius fortaſſe inter virtutes Grammatici numerauerit: qui in eo Hiſtoriarum enarrationem diligentem quidem, non tamen vſque ad ſuperuacuum laborem occupatam requirit. Nam quod quiſque dixerit, perſequi, aut nimiæ miſeriæ, aut inanis iactantiæ eſſe, & detinere, atque obruere ingenia meliùs aliis vacatura: In eandem ſententiam Seneca ſic ait, Euoluam annales omnium gentium, & quis primus carmina ſcripſerit, quæram, quan-

tum temporis inter Orphea & Homerum interſit, cùm faſtos non habeam, computabo, & Ariſtarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoſcam, & ætatem in ſyllabis conteram, quæ ſi ſcirentur, dediſcenda erant? Quod vterque de Hiſtoriis non ſcrupulosè nimis inquirendis ſenſit, id etiam de populorum moribus ſenſiſſe putandum eſt. Cicero quoque vetat nimis magnum ſtudium, multámque operam in res non neceſſarias conferre: & ſolum quod in rebus cognitione dignis, operæ curæque ponetur, id iure laudari ſcribit. Quæ dum conſidero, ſubit illa cogitatio, ſi ſingulorum populorum qui fuerunt, libros ſicut Romanorum, haberemus, ex quibus eorum inſtituta noſci poſſent, rem in infinitum proceſſuram fuiſſe. Non negauerim tamen Romanis maiorem, quàm quibuſlibet aliis gentibus reuerentiam deberi, propter eorum in literis, in armis, in opibus, denique in aliis omnibus præſtantiam; & ideo quales in omni vita, ſiue publica, ſiue priuata fuerint, quibúſque ritibus vſi, omnes paulò humaniores non immeritò ſcire cupere. Inde eſt illa diligens conquiſitio, & religioſa aſſeruatio quorumcunque etiam viliſſimorum mo-

Digitized by Google

numentorum, quæ eorum fuiſſe dicantur, vt nummulorum, & lapidum. Sed in his ad minima quæque deueniendum non eſſe exiſtimo; verùm ſufficere, vt ad auctores intelligendos ea qualitercunque noſcantur. In quibus etiam quemdam delectum haberi velim: eorum nempe, quæ vtilitatem quamdam parere poſſunt, & ad noſtros mores referri: & cum illorum inſtitutis noſtra conferri cupiam, & vtra commodiora ſint, iudicari: vt in legibus, in magiſtratibus, in ædificandi ratione, in diſciplina militari, denique in iis, quæ nobis alicui vſui eſſe poſſint. Verùm de gladiatoribus, de circo, de comitiis quid iuuat tam ſtudioſè inquirere? cùm ea omnia noſtris moribus recepta non ſint, ſed à multis ſæculis planè obliterata, quaſi verò non multa vtiliora ſint, ſimul & iucundiora, quibus ediſcendis tempus, & operam impendamus. Nónne de Deo præſtat, inquantum cognoſci poteſt, diſquirere? nónne noſmetipſos, & noſtri animi naturam examinare? (nam de moribus non hîc ago, quorum tanquam præcipui literarum ſcopi prima ſemper cura habenda eſt) nónne de diuinis, humaníſque rebus diſcere, de futuris, de caducis, de æternis, de

Digitized by Google

tempore, de quo tam multa quæruntur, vt ait idem Seneca, ſatius eſt? ea omnia certè multò potiora ſunt, vt quæ mentem non inaniter delectant, ſed vero, & ſolido cibo paſcunt, & eximia quadam cognitione implent. Porrò huic meæ ſententiæ, quanquam non mea, ſed grauium virorum eſt, totam Criticorum nationem refragaturam, mihíque tanquam ἀμούσῳ cuidam, & bonarum literarum rudi reclamaturam eſſe certò ſcio; qui antiquitatis notitiam inutilem eſſe affirmem, & priſtinam barbariem reuocare coner. Quod longè ſecus eſt: nam, ſi id ſit, vineta egomet mea cædam, qui philologiæ deditus, & in eiuſmodi rebus multus ſemper fui: & optimè noui eum certè doctum appellari non poſſe, qui poſtquam Græcis, & Latinis literis imbutus fuerit, in cognoſcendis auctoribus, & in euoluenda antiquitate non multùm verſatus ſit. ſed iis veluti fundamentis alia ſuperſtruenda eſſe dico, nimirum variarum artium cognitionem, ſine qua illa leuia videri poſſunt: vtique his non ſuperſtitiosè immorandum eſſe ſentio. Quod quidem, vir doctiſſime, luculenter comprobare videris: nam cum linguis, & bonis literis, quibus apprimè

inſtructus es, altiores ſcientias coniunxiſti, & per omne ſcriptorum genus decucurriſti, nec ferè vlla diſciplina eſt, quam non attigeris: quod in iis libellis, quos eximia variæ eruditionis fruge refertos emittis, abundè perſpicere licet. de tuo igitur iudicio, quod plurimi facio, ex ſcriptis tuis quodammodo certus, quid alij ſenſuri ſint, minùs extimeſcam. Vale.

ROL. MAR. ROBERTO SALMONETO S.

EPISTOLA XLVII.

Salmonetum laudat, quòd hiſtoriam belli Britannici noſtrâ linguâ ſcripſerit.

QVOD hiſtoriam propediem editurus es, à te ſcriptam de rebus, quæ in Britannia tua ab aliquot annis acciderunt, id maximè probo, nec dubito, quin illa noſtræ ætatis hominibus grata admodum futura ſit. rerum enim noſtris temporibus geſtarum originem, progreſſum, ſeriem denique omnem verè, & exactè cognoſcere vehementer cupimus. præterea quid mirabilius eſſe poteſt, & magis hiſtoriâ dignum, quàm videre Regem à ſuis in ordinem coactum, & carcere incluſum: flo-

Digitized by Google

rentiſſimum verò regnum, & omnibus copiis abundantiſſimum per inteſtinas diſcordias adeo deformatum, vt priſtinæ felicitatis, quæ vicinos etiam inuidiâ accendebat, vix vlla veſtigia ſuperſint? Nec verò improbo, quòd ſermone Gallico, qui tibi iam pro vernaculo eſt, opus tuum condidiſti. non ignoro enim difficillimum eſſe, imò pæne impoſſibile, hominum nomina, locorum, officiorum, quæ capi non poſſunt, vt ait Plinius, ore Romano, ceteráque noſtri æui à Romanorum conſuetudine tantopere abhorrentia purè & Latinè exponere: maximè verò Anglica, propter linguæ aſperitatem, quæ cum Latinæ ſuauitate nullomodo conuenit. quod videre eſt in Buchanano, cuius ſermo cùm merè ſit Latinus, tamen ob eiuſmodi barbara nomina aliquantùm eſt inſuauior. Adde quòd noſtra lingua, quamuis non ita latè pateat ac Latina, tamen ab omnibus ferè in finitimis regionibus honeſtioribus viris intelligitur. Porrò cùm duo ſint ſcribendarum hiſtoriarum genera, vnum, quo antiqua tractantur, alterum, quo noua conduntur: ſi vetera, & ſcripta aliis, vt inquit Plinius Iunior, aggrediaris, parata inquiſitio, ſed onerosa collatio: ſi intacta,

& noua, graues offenſæ, leuis gratia. In vno genere ex Latinis T. Liuium exemplar optimi hiſtorici habemus, qui ſummâ diligentiâ, parique eloquentiâ hiſtoriam populi Romani ab vrbe condita ad ſua vſque tempora deduxit: in altero ex Græcis Thucydidem, qui bellum Peloponneſiacum ipſius ætate geſtum pari libertate, ac iudicio, nec minore facundia expoſuit: hunc imitatus es; & turbas quæ patriam tuam, priùs verè μακάρων νῆσον, etiamnum cædibus, rapinis, ceteríſque belli malis vaſtant, ac depopulantur, ſtilo proſequutus. quo nomine non modò ab huiuſce æui hominibus, ſed etiam à poſteris magnam initurus es gratiam, qui incredibilem percepturi ſunt voluptatem, tantorum motuum cauſas, & progreſſus legendo, omnémque ciuilis illius belli hiſtoriam ab homine indigena ſcriptam: cui pro fide ſatis eſt animi: præterea iis in locis degis, vbi ſine metu offenſionum verè omnia, & liberè ſcribere liceat. te enim nihil gratiæ, aut odio daturum, ſinceráamque hiſtoriam nobis, & nullo mendacij fuco adumbratam traditurum certò ſcio: ſimúlque omnem diligentiam adhibiturum, vt nihil niſi compertum afferas, certíſque auctori-

bus

Digitized by Google

bus probatum. quibus Hiſtorici dotibus cùm præcipuam, nimirum iudicium, quo maximè polles, adiunxeris, opus tuum omni ex parte perfectum fore debes confidere. Quapropter ne dubita illud in lucem edere, quod cùm argumento, quod omnino ſcriptione dignum eſt, tum ipſa ſcriptione omnibus numeris abſoluta, nulli non eſt placiturum. Vale.

ROL. MARES. ÆGIDIO MENAGIO SVO S.

EPISTOLA XLVIII.

Menagio de Etymologico eius ſcribit.

QVOD ad vocum noſtrarum origines cognoſcendas Etymologicum conficis, id valde probo, operámque in linguâ noſtrâ meliùs collocatam arbitror, quàm ſi eandem in Latinâ poſuiſſes: cùm illam alioqui tot antiqui, & noui vigiliis ſuis excoluerint. Et quamuis in tenui labor eſſe videatur, tamen non tenuis eſt gloria, quam Varro Romanorum doctiſſimus non neglexit. Stoici certè tam graues Philoſophi, vnde verba eſſent ducta, teſte Cicerone, ſtudioſè exquirebant. Ego verò

M.

ſum tibi auctor, vt nullum verbum etiam antiquiſſimum, cuius originem inueſtigare poſſis, omittas: vt hac occaſione voces, quæ alioquin erant perituræ, in memoriam hominum reuoces, cùm ſint hodie, qui omni ope non ſolùm iamdiu deſuetas, ſed etiam nudiuſtertiùs deſitas exterminare, & abolere nitantur. quas ſi quis vſurpet, eum ingens flagitium admiſiſſe clamitent. In quam ſententiam, quid poſſit illos impellere, me planè ignorare confiteor: cùm è contrario illæ veluti fugitiuæ omni modo retrahendæ eſſent, nec ſit deſperandum, licèt ex vſu receſſerint, aliquando reuiuiſcere poſſe, cùm ſcribat Horatius,

Multa renaſcentur quæ iam cecidêre, cadéntque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula.

Quod certè non aliud eſt, quàm linguam vernaculam, quæ omni ratione ditanda eſt, ad extremam inopiam redigere velle: cùm ex altera parte ad cudenda verba noua non ſatis audaciæ habeant. Sed vt ad te redeam, confido id, quod præ manibus habes opus, non librum ſed theſaurum fore, in quo multa recondita, & quæ noſtras antiquitates valde illuſtrent, reperire erit. quas quidem ſcrutari, & intelligere malim, quàm Græcas, aut Latinas, licèt

fortaſſe illuſtriores: vt item noſtros annales quamuis ſordidè, & barbarè ſcriptos legendo magis delector, quàm Thucydidis, aut Liuij hiſtorias: quibus tamen nullum ornamenti, aut lenocinij genus deeſt: quia noſtra magis, quàm aliena nos iuuant. Sed id opus quantis tibi laboribus conſtabit! quot enim volumina in omni linguâ ſunt euoluenda? quas ferè omnes edidiciſſe debet, ob illarum inter ſe commercium, quiſquis ad id opus ſe accinxerit: quot verò deuoranda ſunt faſtidia, & exhauriendi labores in legendis ſcriptoribus citimæ latinitatis, plerumque barbaris, in quibus multæ ſermonis noſtri origines reperiuntur? Sed quamdiu premes illud opus? quod nunquam editurus es, ſi expectes donec omnibus partibus ſit abſolutum. eiuſmodi eſt enim, vt ei ſemper aliquid adiici poſſit: nunc verò, vt ſe habet, iuſti voluminis menſuram implere poteſt. Quare ne diuturniore expectatione torqueas eos, qui illius guſtum aliquem ceperunt: ſed quamprimum emitte, quod Gallis præcipuè vtiliſſimum, & proinde acceptiſſimum futurum eſt. Vale.

ROL. MAR. NICOLAO HEINSIO S.

EPISTOLA XLIX.

De Antiquariis , & de Ciceronis , Athenæi , Lipſiíque dialogis.

CVM tam amanter, & tam ſedulò, ad eas quas ad te dederam, reſcripſeris: quod tamen ab amicis exigere non ſoleo in eiuſmodi epiſtolis, quæ de nullis negotiis agunt, ſed pleræque ad præſentes datæ, & animi tantùm cauſâ ſunt ſcriptæ: ea humanitas fecit, vt denuò te compellarem, & tecum de argumento aliquo literario more meo fabularer: quando id tibi non iniucundum accidiſſe video. Præſens igitur epiſtola de Antiquariis erit: iis nimirùm, qui nimis vetuſto ſcribendi genere vtuntur. Quod vitium apud Romanos à doctis, & cordatis viris ſemper exagitatum fuit. Salluſtium enim vulgò culpatum, tanquam antiqui Catonis verba multùm furatum, & Tiberium ab Auguſto reprehenſum, vt exoletas interdum, & reconditas voces aucupantem videmus. Quapropter nunc huiuſmodi homines reperiri magis miror, qui exoletorum verborum fœtoribus, vt idem Auguſtus ap-

Digitized by Google

pellabat, ſcripta ſua contaminent, & nimiâ priſcarum vocum affectatione oblinant: cùm nitidi quique auctores, & maximè puri ſoli ſint imitandi: quales ſunt Cicero, & ij qui poſt illum vſque ad Traianum, ſæculo nimirum cultiore, &, vt ita dicam, Latiniore ſcripſerunt. Videre eſt igitur literatos viros, ferè quò doctiores ſunt, eò magis hoc morbo teneri. Hinc enim aliqui, vt Fabij verbis vtar, famam eruditionis affectant: vt quædam ſoli ſcire videantur: quaſi noto, ciuilíque, & proprio ſermone vti, cum vulgo, non ſit ſapere, aut quaſi neminem velint ea quæ dicant, intelligere: quod vt abundè conſequantur, vt apud Agellium Fauorinus ait, nónne tacerent? certè lectores hiſce verbis torquere volunt: ideóque illa tanquam μυστηριώδη quædam, & ſolis ſuis συμμύσταις cognita effutire gaudent: iis ſcilicet, qui Varonem, Feſtum, Nonium, & vetera gloſſaria ſemper in manibus habent: ex quibus eiuſmodi voces tanquam aurum legunt. Ex quo inconſulto archaiſmi amore fit, vt Plautum Terentio anteferre non vereantur. Cui ſententiæ accedere non poſſum, ſiue aliarum virtutum, quibus longè ſuperior eſt Terentius, ſiue etiam

ſermonis ipſius ratio habeatur. etſi enim apud veteres ea dote ſit Plautus maximè commendatus, tamen ad Terentij elegantiã, & puritatem, vt nimiùm archaicus, mihi nequaquam accedere videtur: quem Tullius ipſe vbique exprimit, & cui in quibuſdam verſibus lectum ſermonem, come loqui, ac omnia dulcia dicere tribuit, quémque C. Cæſar puri ſermonis amatorem appellat. Sed hoc cum veſtrâ, & Germanorum veniâ dictum ſit, qui Plautum præ aliis præcipuè in deliciis habetis. Idem Cicero, in libris de Oratore ſcribit, non vtendum eſſe iis verbis, quibus iam conſuetudo non vtitur, niſi quando, ornandi cauſâ, parcè: quibus loco poſitis grandiorem orationem ſæpe videri dicit. Idem quoque ſentit Quintilianus, nempe illa verba ſanctiorem, & magis admirabilem facere orationem, quibus non quilibet fuerat vſurus, eóque ornamento acerrimi iudicij P. Virgilium vnicè vſum. ſed ait vtendum modo, nec ex vltimis tenebris repetenda. At iſti nullum ſeruant modum; nec hæc manu ſpargunt, ſed toto, vt aiunt, ſacco: & quæ cum iudicio inſerta orationem quaſi quibuſdam luminibus, & inſignibus diſtinctura erant, eandem paſſim

inſperſa contaminant. Quo vitio laborantes nunc paſſim reperire eſt, frequentiùs verò apud Germanos, & , vt liberè tecum agam, quandoquidem id pateris, apud veſtros etiam Belgas. Inde fit, vt aliquando verſus paulò duriuſculos faciant: quibus verba obſoleta, & Accio, Pacuuióque vſurpata, tanquam pulcrum aliquod emblema admiſcent, & vt ferè

Carmina nulla probent, dulci quæ tramite currũt,
Sed quæ per ſalebras, altáque ſaxa cadunt.

Enimuerò Italos contrario morbo laborantes, & diuerſo genere vitioſos magis ferre poſſim, eos quidem, qui ſuperiore ſæculo neſcio qua ſuperſtitione conſtricti, nullis niſi Ciceronianis verbis vti ſuſtinebant. Id enim licèt vitioſum, aliquanto tamen tolerabilius eſt, quàm ipſa ſcribere, quæ Modeſtus ipſe, & Claranus vix intelligant, quæque interprete egeant, imò Apolline. Iuſtum equidem Lipſium ſummè ſemper amaui, propter eximias ingenij, doctrinæ, iudicij, morum etiam integritatis, quæ in eo eniruere, dotes, eiúſque pari ferè, ac antiquorum opera in honore habui. verùm maceror, & doleo illum verba antiqua nimis frequenti in vſu habuiſſe; ſed magis eidem deeſſe ſer-

Digitized by Google

monem purum, & merè Latinum. certè phraſis, quæ corpus eloquentiæ facit, tota ab illo eſt, & in ea nullum quem ſequeretur auctorem habuit. quod vtique in lingua, quæ intercidit, & iam in nullius populi eſt vſu, facere non licet. naturæ quidem ſuæ, & genio vir vt doctus, ſic nonnihil audax in ſcribendo, indulſit: cui laxum, & fluxum ſcribendi genus cordi non eſſet, conciſa verò, & adſtricta magis eſſent ad guſtum, quíque fracta, & elumbia, qualem eſſe Ciceronis compoſitionem olim Brutus iudicauit, reiiceret, atque aſpernaretur. Inde oratio eius crebrâ parentheſi interrumpitur, & tota interrogatiunculis ſcatet. Sed quando de tanto viro incidit mentio, hoc etiam, licèt extra rem, annotare non pigebit, in eius dialogis, quos ſatis multos ſcripſit, id alioqui non placere, quòd res dialogis non ſatis conuenientes eo ſcripti genere tractauerit: quo quidem ea tantùm quæ ſunt de ſcientiis, aut moribus, déque omnibus Philoſophiæ partibus, demum de rebus, quæ facilè memoriâ contineri poſſunt, exponi ſolent. quod ex Platone, Cicerone, Luciano, & aliis apparet. Illi enim ſermones perſonis affingunt de rebus, quas vt

priùs animo comprehenſas, à vero non abhorret aliquem poſſe oratione ſubita expromere. Lipſius verò de Romanorum ritibus per dialogiſmos agit, quos vt explicet, variorum auctorum infinita loca accumulat, quæ ad verbum referuntur. quî porrò veriſimile eſt, quemquam tantâ eſſe memoriâ, vt in ipſis ſcriptorum verbis recitandis nuſquam vacillet, tot præſertim adductis teſtimoniis: quibus etiam alieno planè loco Criticen admiſcet. quæ omnia contra dialogorum morem eſſe quis non videt? Nec verò aliquis mihi Athenæum, & Macrobium obiiciat, quorum dialogi ex variorum auctorum locis toti contexti ſunt. ἀνοικονόμητοι enim ſunt, nec vllam veriſimilis rationem habuerunt: maximè Athenæus, qui Timocrati ſe recitare fingit ſermones habitos in cœna diuitis illius Laurentij, cui interfuit, de variis rebus, præcipuè verò de eduliis: qui nihil aliud ſunt, quàm infinita teſtimonia, ex variis ſcriptoribus, præſertim ex Comicis Poëtis deſumpta, ſæpe longiſſima. quæ fictio planè abſurda eſt, nempe tot loca dum recitantur, à quoquam memoriter poſſe retineri: vt etiam tranſeam, ſermones in iſtâ cœna nullo adhibito iudicio, nec vllo or-

Digitized by Google

dine interſeri, & mille alia ἀπροσδιόνυσα, quæ non libet hîc connumerare. Iſta verò de œconomia libri tantùm dicta ſunto, qui aliàs variæ doctrinæ, nec valde tritæ verè penus eſt. Contrà verò quàm minimarum etiam rerum in dialogis religioſus obſeruator ſit Cicero, ex eo apparet, quòd ab Attico in hiſtoria docto ſæpe exquirit, omniáne in illis inter ſe conueniant, præcipuè perſonarum, quas adhibet, ætates: quod Plato ſummi aliàs iudicij, quíque decorum accuratè ſeruat, non ſemper tenuit, vt in Parmenide, & Timæo, quos Socrate antiquiores, cum illo colloquentes facit. Sed de dialogis, & de Lipſio ſatis: quem niſi magni facerem, in eo expendendo tantùm operæ, & verborum non inſumpſiſſem. quæ enim minimè probamus, ea plenè examinare non curamus. hoc tantùm addam, Quintiliani iudicium de Seneca, huic fortaſſe non malè accommodari poſſe: cuius vt virtutes multas, ita etiam vitia aliquot non abſimilia commemorat, quem Lipſius in multis quidem expreſſit, at non in eo, quod priſcis verbis abſtinuit. minimè enim antiquarium fuiſſe Senecam notatum eſt. Verùm vt poſt tam longum diuerticulum in viam redeam,

Digitized by Google

& epiſtolam ſatis bene longam, imò libellum veriùs, quàm epiſtolam tandem claudam, in his te mihi aſſenſurum eſſe non dubito, qui ſermone tam puro, & nitido ſcribas. Contrà verò ſentientibus Eueni Parij verſiculum accino:

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἔστιν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

Vale.

ROL. MAR. HADRIANO VALESIO SVO S.

EPISTOLA L.

Nos opera noſtra cenſuræ amici docti ante editionem committere oportere.

NVLLA in re plerique eorum qui hodie ſcribunt, mihi grauiùs videntur peccare, quàm quòd in poliendis, & retractandis quæ edunt, operibus limam non ſatis acrem adhibent: aut vnum aliquem amicum, doctum virum, & grauem, vel etiam plures parare non curant, quorum iudicio in his corrigendis vtantur. quod quia facere negligunt, in aliquos errores incurrant neceſſe eſt. nihil enim eſt tam proprium hominis, quàm falli: & viros alioqui doctiſſimos grauiter aliquando im-

Digitized by Google

pegiſſe videmus. Seneca certè, at quantus vir! aliquot ἀνιστορησίας, & ſimilia σφάλματα admiſiſſe notatur: vt cùm Alexandrum Antigoni nepotem vocat, qui inter illius ſucceſſores fuit. qui næui tam egregij ſcriptoris opera hodie non deformarent, ſi amici alicuius docti operâ in iis recognoſcendis vſus eſſet. Id verò inſuper habere minimè debemus, non præſertim qui Latinè ſcribimus: cùm Cicero ipſe, qui ſuâ linguâ ſcribebat, & eam, vt opinor, optimè nouerat, nihil tamen Pomponio Attico, & Tironc liberto viris doctiſſimis inconſultis ederet. quorum alterum ſuorum ſcriptorum canonem vocat, alterius ſe ceras miniatulas timere dicit. Quid de Plinio Minore dicam? περιεργίας certè, & nimiæ diligentiæ accuſari poteſt. ſcripta enim ſua amicis aliis, atque ſubinde aliis legebat, & ſub incudem identidem reuocabat, nec ſibi ferè vnquam in iis ſatis faciebat. Recitatio quidem veterum, quam etiamnum vſurpant conuocatis pluribus amicis, ad emendationem aliquid conferebat. verùm priuata recognitio apud vnum, aut alterum amicum multò plus habet vtilitatis: nempe vbi interfari licet, ſcriptum in manus ſumere, ídque attentiùs conſiderare. ſed

magis etiam profuerit amico tradere domum aſportandum, quod per otium euoluat. illa autem recitatio mihi omnis fermè ad oſtentationem compoſita videtur: ad quam laudatores illud σοφῶς acclamaturi conuocantur potiùs, quàm admonitores. ſunt verò qui ſe ab amicis admoneri non patiuntur, & prauè pudentes neſcire malunt, quàm diſcere. Ego quidem, vt de me aliquid dicam, libenter in ea quæ ſcribo amicorum cenſuram admitto: præcipuè verò tuam, amiciſſime Valeſi, quem propter doctrinam, & iudicium plurimi facio, non in rebus tantùm, & vniuerſo complexu orationis, ſed etiam in ſermone: qui quoniam nobis non eſt vernaculus, fit aliquando, vt in eo labamur. Contrà verò ſunt, qui ſua ſcripta corrigi æquo animo ferunt, tamen non reperiunt, qui id operæ in ſuis immenſis libris, quales plerique nunc componuntur, recognoſcendis ponere velint. cùm enim auctores ipſi ea quæ ſcribunt, ob prolixitatem aliquando non relegant, vix certè ſeriò emendent, amiciſſimus, aut valde patientis ſtomachi ſit oportet, qui ad hæc non nauſeet, & eiuſmodi faſtidia deuorare poſſit. Veteres, qui nulla opera niſi

emendata, & exactis minimùm diſtantia, vt loquitur Horatius, emittebant, amicos dumtaxat rogabant, vt minuta opuſcula examinarent, vtputa carmen, dialogum, orationem, vel hiſtoriam non admodum longam. noſtra verò vt plurimùm vaſta volumina, quoniam ferè alios ſcriptores compilamus, legendi, & examinandi tædium quis ſubire velit? Sed in hanc querelam, quia ſæpe datur occaſio, & in eo multum peccari video, frequenter relabor. quam finiam, ſi id priùs addidero, me breuis alicuius ſcripti, modò probi, & exactè correcti auctorem eſſe malle, quàm eiuſmodi inemendatorum, in quibus

oblita modi milleſima pagina ſurgit,
& creſcit multa damnoſa papyro.

Vale.

ROLANDI MARESII EPISTOLARVM LIBER SECVNDVS.

ROL. MAR. ÆGIDIO MENAGIO SVO S.

Epistola I.

Rationem Menagio reddit, cur epiſtolas pergat ſcribere: deinde de epiſtolarum ſcriptoribus cùm antiquis, tum nouis agit.

CVM alterum epiſtolarum volumen ſcribere aggrederer, vti pollicitus eram, à quo iuſtius erat auſpicari, quàm à te, mi Menagi, qui mihi huiuſce inſtituti auctor extitiſti? Nam cùm antea verſibus tantùm faciendis aliquando

Digitized by Google

tempus fallerem; lectâ fortè vnâ, aut alterâ meâ epiſtolâ perpuliſti, vt in eo ſcribendi genere otium meum oblectarem, & quid de ratione ſtudiorum præſertim circa literas humaniores ſentirem, ac iudicarem, ſcriptis ad amicos epiſtolis exponerem. Cuius conſilij, fateor, me hucuſque nequaquam pœnitet. fauorabiliùs enim quàm putarem, à doctis, cordatiſque viris hæc excepta eſſe video: credo, quòd meæ opiniones cum ipſorum iudiciis ſatis congruere viſæ ſunt. quibus ſcriptis argumentorum varietas, & aliqua quæ ex his ad ſtudioſos redundare poteſt vtilitas, nonnullam etiam fortaſſe gratiam conciliauit. Et verò quid potiùs ſcribam?

——————— *Heracleas,*
Aut Diomedeas, aut mugitum labyrinthi?

hoc eſt in Plautum emendationes, quem Critici dum toties refingunt, prorſus diffingunt, ita vt, ſi reuiuiſcat, ipſe vix ſe ſit agniturus: aut in Feſtum, aut Nonium obſeruationes, quarum iam nullus eſt finis, nec futurus eſt. In eos enim Grammaticos ſemper erit nouæ coniecturæ locus, cùm in pleriſque, quos afferunt, locis ſententia ſit imperfecta, ac proinde corrumpi facilis. quod non ideò dico, quòd hæc

dam-

Digitized by Google

damnem, in quibus tanti viri tantopere deſudarunt, modò id fiat modicè, nec tam anxiè, ac ſcrupuloſè: ſed quòd etiamſi tantùm in Critica valerem, vt hiſce tractandis ſufficerem, tamen meo genio magis arrideat proprio marte quid componere, quàm in aliorum operibus ingenioſum eſſe: ſimúlque ſtudiis fructuoſius eſſe iudicem, ſi viri iudicio, & doctrinâ præditi, quod tamen mihi non arrogo, ſententiam ſuam de literis, de ſcriptoribus, de methodo ſtudendi ſcriptis prodant, quàm ſi tot obſeruationibus, & correctionibus præſertim in auctores toties emendatos operã impendant. Igitur epiſtolas pergo ſcribere, eo quòd hocce ſcripti genus accommodatum mihi videatur ad id quod ſuſcepi ſcribendi argumentum: in quo ſcilicet præfatione non opus eſt; incipias vbi velis, vbi velis deſinas. Adde quòd ipſæ ad quas ſcribitur, perſonæ ſcribendi argumentum plerumque ſubminiſtrant. Quanquam non neſcius ſum noſtras, & ſimiles noſtris epiſtolas minimùm epiſtolarum nomen mereri, quæ nimirum careant veris affectibus, nec vitam ipſam hominis repræſentent: quales ſunt Senecæ, & Platonis pleræque, quæ veriùs ſunt libelli, quàm epiſtolæ di-

Digitized by Google

cendæ: & quæ Phalaridis, ac Bruti nomine circumferuntur, nihil aliud ſunt, quàm declamatiunculæ. Epiſtolæ verò, vt ſuum eis nomen conueniat, mores, fortunam, affectus, publicum ſimul & priuatum ſtatum exhibere debent: cuiuſmodi ſunt Ciceronis, & Plinij, qui tamen ſæpiuſculè luſit, quod ego ſemper facio, in argumentis quæſitis, & arceſſitis. *Sed de Ciceronis epiſtolari ſtilo ſilere melius puto*, vt ait Sidonius. Dicam tamen breuiter illum in epiſtolis licèt, vt videtur, non magnâ adhibitâ curâ ſcriptis ſui ſimilem ſemper exiſtere, hoc eſt, eloquentiſſimum: quarum quæ ad familiares inſcribuntur, mihi magis cultæ, & elaboratæ, ſi tamen in iis aliquantum elaborauit, videntur: nihilominus quæ ad Atticum ſunt ſcriptæ magis me capiunt cùm ob prudentiam politicam, quæ in illis vbique ſpirat, tum quòd ſtatum Reip. qualis tum erat, deſcribunt; ita vt, quemadmodum ait Corn. Nepos, *qui eas legat, non multùm illorum temporum hiſtoriam deſideret.* In Symmachi epiſtolis, quæ ferè breues ſunt, & publicas res attingunt, haud ſcio quam idem Sidonius rotunditatem repererit: delectant tamen ob crebras, argutas, & conciſas ſententias, quod fortaſſe

rotunditatem appellat; compoſitio verò minimè rotunda eſſe videtur, & eius ſermo, qualis illo ſæculo erat, multùm à germana ac pura latinitate deſciſcit, ac degenerat. Ipſe Sidonius quanquam ſcabri, & moleſti ſermonis affectator, ob multa quæ epiſtolis inſerit ſuorum temporum acta nuſquam alibi inuenienda, ſatis in pretio eſt. Quantumuis enim barbari ſcriptores (quod non de eo intelligi velim, non minùs doctrina, & virtute quàm dignitate, & genere claro) quorum libri viuentibus ipſis propter verborum ſqualorem, vel quod aliud vitium fortaſſe negligebantur, ſi hiſtoriam ſuorum temporum ſcripſerint, vel quid hiſtoricum ſuis ſcriptis admiſcuerint, poſtea tamen recipiuntur. Hiſtoria enim quoquomodo ſcripta delectat, & licèt inſulsè ſcriptam, tamen quoniam notitiam temporum habere deſideramus, & nos quidquam quod vſquam geſtum ſit, latere dolemus, ambabus vlnis amplectimur. Sed vt ad nouos veniam, inter illos Politianus mihi valde politus, & elegans videtur. At Eraſmi quanquam ferè extemporaliter, & ab occupatiſſimo ſcriptæ epiſtolæ mihi ſupra modum placent. Præter eruditionem enim, eloquen-

Digitized by Google

tiam, & tam in literis, quàm in quibuſuis aliis rebus prudentiam, quam continent, Lutheranæ etiam ſectæ initia, aliáſque res tradunt: quas neſcio cur auctor ſecundùm temporis ordinem, qui in literis edendis omnino neceſſarius eſt, non digeſſerit: ſed eius rei cauſas ſe habuiſſe dicit. Ioſephi etiam Scaligeri epiſtolæ iucundiſſimæ ſunt, cùm ob elegantiam, tum quòd ad viros literatos pleræque, & de literis, aut re literaria ſcriptæ ſunt. Quòd ad I. Lipſij epiſtolas attinet, eæ mihi cum Plinianis venuſtate quodammodo certaturæ videntur, niſi mala, cuius auctor eſſe ambiit, latinitas, vt pleraque eius ſcripta, ita etiam eas corrumperet, & infuſcaret: tantum acuminis, & argutiarum, tantum doctrinæ, tantum moralium documentorum iis paſſim aſperſum eſt. Hîc quoſdam, qui ſe Ciceronianos fortaſſe immeritò & haberi, & dici voluerunt, non attingo, quorum epiſtolæ ſubputidæ mihi videntur, eo quòd nihil ferè præter inanem verborum ſonum habent, ſententias verò frigidas, pauca, hiſtorica aut ethica, ſed de priuatis tantùm rebus agunt, & ad conciliandam eorum, ad quos mittuntur, aut conſeruandam beneuolentiam fere ſcriptæ ſunt.

Digitized by Google

Nam ſi aliquid hiſtoricum, & memoria dignum epiſtolis non inſit, aliquid ſaltem argutum, quod lectorem alliciat, aut eruditum, & quod διδασκαλίαν habeat, vt inter manus verſentur, aut morale, aut politicum iis ineſſe debet. Inter eos Muretum non numero, cuius epiſtolæ elegantiſſimæ ſunt, & verè Ciceronianæ. Sed de omnium præſertim recentiorum epiſtolis commemorare non libet. Vanus enim, inſuper & infinitus labor eſſet. Itaque vt tandem ad meas epiſtolas redeam, hoc ſcribendi genus mihi maximè aptum viſum eſt, vt dixi, quo animi mei de literis, & ſtudiorum ratione ſenſa, & iudicia aperirem. Quas tu iſtius conſilij inprimis auctor, maximè tueri debes, ſicubi fortaſſe liberior quibuſdam viſus fuero. Quanquam quis hac libertate offendi poteſt? cùm de nemine viuo iudicem, & in eos ſolummodò id iuris mihi ſumpſerim,

Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

quod modò modeſtè, & ſine obtrectatione fiat, apud eruditos, & moderatos viros ſemper licuit. Vale.

ROL. MAR. NICOLAO HEINSIO S.

EPISTOLA II.

Petit vt libellum ſuum Suecorum Reginæ tradat: deinde vt quid ipſe, quid alij de eo ſentiant, liberè reſcribat.

CVM epiſtolas meas, quas celebre Heinſij nomen inſertum non parum illuſtrat, tibi mittere cuperem, nec qui libellum in regione tam procul à nobis diſſita agenti deferret, facilè reperire poſſem; commodùm accidit, vt Menagius noſter Balzacij librum illuſtriſſimæ Reginæ nuncupatum ad te mitteret. Eum igitur rogaui, vt eâdem operâ meum quoque libellum ad te deferri curaret. Quem vt æquo animo, qualiſcunque eſt, accipias precor. Huic etiam, quæ mea temeritas eſt, exemplar Reginæ offerendum adiunxi, ſi tibi tanti videbitur. Quod equidem non tam ſponte, quàm amicorum impulſu feci. Nihil enim minùs cogitabam, quàm eiuſmodi apinas, tricáſque Principi tam excellenti, támque eruditæ mittere: nec ſatis conueniens, imò pæne improbum videbatur, libellum in quo philologa tantùm quædam tractantur,

Digitized by Google

dare primùm Reginæ; (quanquam Pollucem Commodo Imperatori de vocabulorum ſignificatione, philologiæ infima parte librum etiam inſcripſiſſe noueram) deinde non leuiter literis tinctæ, ſed vltra etiam communem priuatorum modum doctæ, linguiſque pæne omnibus, & artibus imbutæ. Verùm cùm animo perpenderem, quæ fama ad nos tulit de tam effuſo tantæ Heroinæ in literas amore, & tam propenſo in literatos fauore, qui etiam luculenter patet ex tuis, & Salmaſij epiſtolis huc allatis, minùs veritus ſum rem licèt pæne nauci illi offerre. De qua eadem quoque fama talia vbique ſparſit præconia, vt cùm ſit adhuc puella, ſenibus tamen prudentiâ non inferior eſſe; cùm ſit regni adminiſtratione diſtricta, literatis tamen in otio deſidentibus, doctrinâ par eſſe; cùm ſit femina, viris tamen ipſis venandi, & corporis exercitandi ſtudio non multùm concedere exiſtimetur. Quocirca aptiſſimè in numiſmate ſub Palladis effigie expreſſa mihi videtur, vtpote prudentiâ, literis, nec minùs armorum tractatione conſpicua: in quod numiſma hoc diſtichum ſcripſi.

Sol Chriſtina ſub axe micat nouus, altera Pallas:
Nempe bonas artes, nec minùs arma colit.

Digitized by Google

Verùm quæ in eius commendationem dici poſſent, epiſtolaris anguſtia non capit, & panegyricum Pliniano etiam ampliorem deſiderant. Igitur de illa hactenus, ſi priùs teſtatus fuero, me tam ſublimi maieſtati ſummiſſiſſimam venerationem ex intimo affectu exhibere, non magis ob ſupremum apicem, quo Regina inter homines effulget, quàm propter virtutes verè regias, quæ in ea agnoſcuntur, quæque in Regibus, nedum in Reginis non paſſim reperiuntur. Nunc cùm tua bona venia pergam, & inſuper petam, vt tertium exemplar, quod hîc habes, Voſſio reddere ne graueris: qui quamuis mihi vultu minimè notus ſit, tamen patris ſui tot ſcriptis illuſtris, & ſuo nomine notiſſimus eſt: cui etiam innoteſcere cupio. Cum libro igitur obſequium quoque meum illi deferas precor. Verùm vnum te, optime Heinſi, etiam atque etiam rogo, vt doctorum, ſi qui iſtic, aut in patria tua in hunc librum inciderint, iudicia fideliter mihi renunties: præcipuè autem *à ſimplicitate tua peto, vt quod de eo aliis dicturus es, mihi dicas,* quod ad quemdam amicum ſcripſit Plinius, & quid de eo ſentias, verè, & ex animo mihi perſcribas; qui optimè iudicare de ſcriptis potes, mo-

dò ſincerè agere velis, neque morem nunc vbique inter ſcriptores receptum imitari, qui ſibi inuicem adulantur, & non aliter quàm muli mutuùm ſcabunt, exemplo fratrum, de quibus ſic Horatius ſcribit.

Frater erat Romæ Conſulti Rhetor, vt alter
Alterius ſermone meros audiret honores,
Gracchus vt hic illi foret, huic vt Mucius ille.

Quod dum conſidero, miror quî fiat, vt nobis ad iſtum modum illudi ſinamus, imò in id mutuas operas præbeamus. Sed nimirum illud eſt, *veritas odium parit*, & aures noſtras mordaci vero radi non ſuſtinemus. quod qui non feret, illi profectò iuxta Catonis dictum acerbus inimicus potiùs eſt optandus, quàm dulcis, & aſſentator amicus, vt ſaltem aliquando verum audiat, & eorum quæ deliquerit, liberè admoneatur. In epiſtolis quidem, quæ lucem aſpecturæ ſunt, verum aliquando excedere, & aliquid in gratiam ſcribere licet. Sed apud verè amicum, quoniam *ſancta res eſt amicitia, cuius adulatio peſtis eſt, ac venenum,* nihil ad alterius ſenſum, ac voluntatem, omnia ad veritatem, cùm priuatim ſcribimus, loqui decet. In quod tamen vitium nimiæ laudationis, ex nimia humanitate, & in amicos benignitate ſe lapſum Lipſius fate-

Digitized by Google

tur. Quid verò de I. Aurato dicam, verſificatore, quàm Poëta, meliore? Ille mihi ex publico conductus videtur, vt ſua ætate quotquot prodirent opera, qualiacunque eſſent, verſibus præfixis commendaret, Ceterùm plerumque contingit, vt talia ἐγκώμια vltro deferantur, nihilominus tamen etiam aliquando exiguntur, nec tantùm carmina, ſed etiam præfationes laudatoriæ ab amicis emendicantur. Quæ præpoſtera ambitio tantùm abeſt, vt fauorem ſcriptoribus conciliet, etiam inuidiam plerumque concitat. Non enim ex amicorum laudationibus, ſicut nec ex obtrectatorum vituperationibus à rectis iudicibus ſcriptores æſtimantur: quales tamen vix, dum in viuis agimus, ſperare poſſumus. Propterea quòd amici immodicè fauent, ceteri ferè inuident: *ſuum verò cuique decus poſteritas rependit*, quæ ſine gratia, & odio iudicare ſolet. Quapropter, Heinſi doctiſſime, mihi pergratum feceris, ſimúlque veri amici officio defungêris, ſi de meis epiſtolis ſententiam tuam, ſine ſtrophis, ac fuco, more maiorum apud me expromas. Laudes enim tuæ fortaſſe me inaniter tumentem, libera verò admonitio doctiorem reddere poterit. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. FRANC. BARBERINO, S.R.E. CARDINALI EMINENTISS. S.

EPISTOLA III.

Eminentiſſimum Cardinalem Barberinum eo nomine laudat, quòd non tantùm ſit literatus, ſed etiam literatis faueat.

VERITVS fuiſſem, Cardinalis non magis ordinis dignitate, quàm virtutum ſplendore inter homines eminens, te ſcripto adire, tuæque amplitudini hoc quidquid eſt libelli offerre, nî Gabriel Naudæus noſtras, qui, vt te propè adiit, ita intimè nouit, tuam humanitatem prædicando mihi animum addidiſſet. Quam etſi inter tot, tantáſque tuas virtutes ſummam eſſe accepiſſem, tamen erga literatos præſertim viros tam propenſam eſſe neſciebam. Is enim mihi retulit, & antea ſub Patruo tuo Pontifice Maximo, cùm quantum velles, poſſes quoque, te eximium eruditorum patronum fuiſſe, & nunc etiam eoſdem omni beneficiorum genere demerendi nullam occaſionem prætermittere. Quod in Luca Holſtenio, Leone Allatio, aliiſque doctrinâ præſtantibus viris, qui in

tuo comitatu degunt, abundè teſtaris. Ego igitur quamuis in eo numero nequaquam cenſeri dignus, ſed tantùm Muſarum affectu, tamen hac tam egregia comitate confiſus, non dubitaui haſce leuis quidem operæ epiſtolas, & doctrinæ inopes ad te mittere. Licèt autem, vt Plinij verbis Titum Imperatorem alloquentis vtar, *faciem perfricuerim, tamen non profeci: quando aliâ viâ occurris ingens, & longiùs etiam ſubmoues ingenij faſcibus.* Non enim tantùm literatos foues, ſed etiam ipſe es literatus, variáque, & multiplici doctrina præditus: nec inter grauiſſimas, quibus diſtringeris occupationes, ceſſas Muſis operam dare. Præclara res profectò, nec principibus viris hodie admodum vſitata: quibus plerumque ad nominis commendationem ſufficit, ſi literas, quas ipſi non attingunt, amare, & prouehere, literatóſque beneuolentiâ proſequi videantur. Apud nos Franciſcus Rex, qui Muſas ex Græcia exulantes in ſuam Galliam deduxit, ob id parens literarum dictus, eas primoribus ſolùm labris attigerat. Ille tamen tam effuſus in literas, literatóſque fauor eum in tantum orbi commendauit, vt etiam nunc in ore omnium ſit, eiúſque laus pluribus

Digitized by Google

ſæculis duratura videatur. Tanti eſt ad famam conſequendam momenti, homines doctos, qui gloriæ ſunt præcones, amare, Muſáſque in honore habere; quæ etiam minùs dignos laude viros, quia ſuis alumnis faueant, nedum digniſſimos vetant mori, vt ait Horatius. Quòd ſi Magnates non ſolùm cæco quodam amore literatos colant, ſed etiam ipſi literas nouerint, longè maximam apud poſteros commendationem merentur; & vt ipſi ſtudia multùm exornant, ita inuicem ab eis ſummopere exornantur. Iſtiuſmodi quidem virorum exempla apud antiquos paſſim occurrunt: apud quos ipſi etiam Reges, & Imperatores doctos non tantùm amare, ſed etiam literas ſcire ſibi pulcrum, & glorioſum ducebant. Teſtis Auguſtus, qui ipſe non vulgariter doctus, doctos in pretio habuit, & Virgilium, ac Horatium Poëtas dilexit, & locupletauit, aliíque innumerabiles. Noſtro quidem ſæculo id rarius eſt. Sed tamen non defuerunt nobis ſtudioſorum Mæcenates, ipſi ſtudiis apprimè exculti. Ac ne longiùs abeam, Patruus ille tuus, vt dignitate, ita & doctrinâ ſummus, nonne vtrumque egregiè præſtitit, eximius eruditorum fautor, & idem tantùm in li-

Digitized by Google

teris prouectus, vt inter excellentes Latinos Poëtas numerari meruerit? quod etiam ſtudij genus inter ſacras occupationes, & grauia Pontificatus negotia aliquando admiſit, eorum interualla otio literario eleganter diſpungens. Sed & te præcipuè, Cardinalis ampliſſime, eo in numero recenſere conuenit: qui domeſticum exemplum imitatus, & tam grauem auctorem ſequens, doctos viros habes in contubernio, quibuſcum de ſtudiis ſermones miſcere conſueuiſti: ipſe interim apud te, quantum ſinunt negotia, totus literis vacans: & bibliothecam quamplurimis, rariſſimiſque libris locupletem poſſides. Quod magnificentiæ genus quibuſuis aliis ſumptibus meritò prætulerim. Cùm tu igitur, Cardinalis eminentiſſime, talis, tantúſque ſis, fortaſſe non omnino imprudentiæ arguar, quòd, dum tibi libellum offero, ſimul hanc epiſtolam ad te ſcribere auſus ſim. Etenim, ne quid diſſimulem, inter eos quibus epiſtolas ſcripſi, nomen tam magnum, támque illuſtre reperiri, non parum honorificum mihi fore ſum arbitratus: & quod poſt Horatij ſermones lectos, Auguſtus ab eo prætermiſſum eſſe per epiſtolam queſtus eſt, id ego Horatio multo

Digitized by Google

inferior, apud te tanta dignitate virum, non laceſſitus facere non-erubui. Hanc itaque audaciam tibi imputabis, & in noſtra culpa tibi ignoſces, qui tam obuia humanitate, à colloquio tuo, ne per epiſtolas quidem quemquam repellis. Vale.

ROL. MAR. ANTONIO HALÆO REGIO ELOQVENTIÆ Cadomi Profeſſori S.

EPISTOLA IV.

De Ciceronianis agit: ſimul data occaſione de coactis in poëſi argumentis: quæ improbat.

QVIBVS literis pro epiſtolarum mearum libello ad te miſſo mihi gratias agis, eæ me, vt verum fatear, prorſus pudore ſuffundunt. Tantum enim in illis mihi tribuis, quantum nec agnoſco, nec poſtulo. *Scilicet me Latini ſermonis vim omnem peruidiſſe, & illius lepores, ac veneres aſſecutum eſſe: nec tantùm purè, & Latinè loquendi, ſed etiam rectè, & cum iudicio ſcribendi facultatem mihi concedis. Quod paucis epiſtolarum ſcriptoribus, etiam præſtantioribus contigiſſe dicis, cùm plerique verborum tantùm elegantiam aucupari videantur, de ſententiis nòn valde an-*

Digitized by Google

xij : quanquam & admodum paucos reperiri; quibus hac ipſa in re cor ſapiat, & germana latinitas, qualis eſt magni eloquentiæ magiſtri, magis arrideat, quàm praua, & affectata, qualis eſt Barclæi, & Lipſij. Quæ ego omnia ſi agnoſcam, planè deſipere videar, vtpote mihi ipſi non ſatis notus, & ignarus, quàm ſit mihi curta ſupellex. Non diffitebor equidem, me ſemper in eo contendiſſe, vt Ciceronis φράσιν quoad poſſem, exprimerem: quanquam nec illius tantùm, ſed ex Liuij ad filium præcepto, quicunque eſſet ei ſimillimus, quíque caſtigatè, & Latinè ſcriberet. Verùm id ſi me aſſecutum eſſe glorier, planè impudens ſim. Quòd verò poſt P. Bunellum hominem Gallum, me effecturum eſſe dicis, vt Italiæ Gallia ſuos Bembos, Sadoletos, & Manutios non inuideat, id quidem à te ſincerè, & ex animo dici vix adduci poſſum, vt credam. Nam quantum ad hoſce Italos attinet, nota eſt omnibus illorum in literis præſtantia, & in Latina oratione elegantia: in quibus me illis multùm concedere libenter agnoſco. Quanquam Bunelli, & Manutij epiſtolæ, licèt prima ſpecie Ciceronianæ, vt liberè loquar, mihi non vſquequaque placent. Nam illorum ſermo

ſermo nimis laxus eſt & redundans: at *preſ-ſus, vt Plinio placet, epiſtolis maximè conuenit.* Tum epiſtolas plerumque ad familiares dandas, magno conatu conſcribunt, nec ſecus verbis adornant, ac ſi non eſſent epiſtolæ, quæ accuratè quidem, at ſine moleſtia ſcribi debent, ſed orationes de rebus grauiſſimis compoſitæ. Manutio verò non poſſum quin ſuccenſeam, cùm in quadam ad Saulium epiſtola lego prædicantem, *ſe multùm Bunello debere, quòd cum Politianis, & Eraſmis neſcio quibus miſerè errantem, in rectè ſcribendi viam primus induxiſſet.* Nam cum eiuſmodi viris errare malim, quàm cum Bunello ſapere: quorum epiſtolas non adeo fortaſſe verbis, at rebus certè Ciceronianas longè pluris facio, quàm Bunellianas, aut Manutianas, rerum plerumque inopes, verbis canoras. Sed de illis ſatis: quos doctos quidem viros agnoſco, & purè loquentes (quanquam ne hoc quidem Lipſius pleriſque illis Italis planè concedit.) ſed meo iudicio nimiùm ſuperſtitiosè Ciceroni addictos, vt qui nuſquam ab eo recedere, & nullum verbum niſi ei vſitatum vſurpare audeant. quod idem de Longolio ſentio, docto quidem viro & eloquente, ſed qui, ſi quis alius, hoc morbo

Digitized by Google

maximè laborauit. In quo iudicio fortaſſe errare poſſum : ſed hæc mea ſententia eſt, quam refelli non ægrè feram : quanquam in eadem fuit Eraſmus, de quo libellum conſcripſit, & alij docti viri. Ad te verò, vir erudite, iam tempus eſt vt veniam, (quoniam de me, & de Ciceronianis ſatis iam dictum eſt) quò teſter me tuam in ſcribendis verſibus facilitatem, imò potiùs granditatem, (nam in pleriſque aſſurgis) magni æſtimare. Quod quidem non nunc primùm cognoui: antea enim omnino abſoluta, & caſtigata tua carmina legeram. Sed te tantum Poëtam euaſiſſe iam minùs miror, cùm tum primùm, vt exiſtimo, adoleſcens ea ſcripſeris, quæ ad me nuper miſiſti, ante annos triginta compoſita, Deus bone, quàm terſa, & elaborata! Non poſſum verò facere, quin admirer inuentionis tuæ acumen, in eiuſmodi argumentis, quale eſt quod ad me miſiſti, quæ in veſtratibus illis Poëtarum certaminibus præſcribuntur : in quibus certus verſuum numerus, & aliqua hiſtoria, aut fabula ſemper eodem modo accommodanda exigitur. Videram etiam antea Arionis ſiue fabulam, ſiue hiſtoriam à te egregio carmine expreſſam, & eidem ſacro argumento adaptatam.

Digitized by Google

In his planè, vt dixi, mirandum eſt, quàm nihil coactum appareat, ſed omnia fluere videantur, ac ſi libera, & ſoluta eſſent, nec ex præſcripto, & certa regula carmen componeretur. Hæc, quales etiam ſunt verſus ἀντιστρέφοντες, ἀκρόστιχοι, Echoïci, ἀναγραμματισμοὶ, hæc inquam omnia Martialis *difficiles nugas vocat; ſtultum verò laborem ineptiarum eſſe* ait. Et inepti quidem ac barbari fuerunt, qui eiuſmodi Poëtis argumenta propoſuerunt: ſed minimè inepti ſunt, qui, cùm opus eſt, rem licèt ineptam minimè ineptè tractare norunt. Poſteriorum ſæculorum hoc inuentum fuit: qui cùm ad illam antiquorum in verſibus maieſtatem aſpirare non poſſent, ad eiuſmodi ineptias deſciuerunt. Quanquam iam tum Martialis tempore tales ingeniorum luſus, apud quoſdam in vſu erant, quos ille emunctæ naris, & recti iudicij Poëta meritò irridet, atque exagitat, & vt illepidos ad imperitorum circulos ablegat. Inſulſis enim, & è plebe hominibus maximè congruit talibus rebus capi, quæ prima ſpecie ingenij aliquid oſtentant, cùm reuerà nihil ſint aliud niſi meræ quiſquiliæ: recta verò, & minimè vulgaria ingenia iſtiuſmodi compedes detrectant,

Digitized by Google

& liberè ingredi amant. Idem enim Martialis appoſitè,

Quid ſi per graciles vias Petauri
Inuitum iubeas ſubire Ladam?

Simmias etiam quidam Rhodius in eiuſmodi nugis antea luſerat, ad oui, fiſtulæ, & aliarum rerum figuram verſus concinnando. Sed ſæculo demum barbaro, poſtquam vera poëſis prorſus erat abolita, in hiſce illius imitamentis, ſeu potiùs dehoneſtamentis multùm eſt deſudatum. Inde verſus condi cœpere, quos Leoninos dixerunt, ſimiliter deſinentes, aut in medio, & fine in eundem cadentes ſonum: vnde vernacula poëſis, quæ apud omnes Europæ gentes hodie viget, originem duxit. Tu verò, vir doctiſſime, non circa hæc occuparis, vt apud indoctum vulgus ingenioſi famam aſſequaris: ſed quoniam hæc eſt lex certaminis, illi te accommodas, oſtendíſque magna ingenia nihil non efficere poſſe, eúmque, qui in antiquis Poëtis contritus eſt, & ad eorum imitationem ſe compoſuit, etiam circa hæc minuta verſari, & in hiſce coactioribus argumentis, ſi quando neceſſitas incidat, poſſe ludere. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. IOANNI FRANCISCO SARACENO S.

Epistola V.

De vitarum ſcriptoribus agit, quales eſſe debeant : ad quod ſcribendi genus Saracenum hortatur.

QVOD Regiæ proſapiæ Principi præſtas obſequium, vir amœni, & elegantis ingenij Saracene, vereor, ne ſtudia tua interrumpat, & dum nos amici priuatim tibi auctam dignitatem gratulamur, eodem tempore literarum vicem cum omnibus dolere cogamur. Vix enim tibi à negotiis tantum otij ſperare poteris, vt aliquot Principum vitas, quas ſcribere exorſus eras, ad exitum perducere liceat. Hiſtoriam quidem ſiue ſuæ ætatis, ſiue ex antiquis repetitam temporibus ſcribere, viro prudenti ſimul, & eloquenti, qualis es, maximè conuenit. At id in diſcurſatione, & tumultu aulico, quis etiamſi acri ſit ingenio, & ſummâ vigilantiâ, attentare audeat ? Verùm breuem aliquam hiſtoriam, qualis eſt Salluſtij Catilina, & Iugurtha, quale etiam eſt de Dunkerkana

Digitized by Google

obſidione, quod nuper publicaſti opuſculum, vir induſtrius etiam in aula agens poteſt ſcribere: vitas quoque magnorum virorum, & bello præcipuè illuſtrium componere: quæ publicas quidem res, & bella ab iis geſta, ſed in tranſcurſu tantùm attingere debent, (ea enim omnia annalibus, & hiſtoriis luculenter exponenda ſeruare oportet) vberiùs verò exequi, qualis fuerit interior, & familiaris vita, qualis forma, cultus, mores. In quibus ne minima quidem omittenda eſſe monet grauis auctor Plutarchus: quoniam ex iis quæ domi, & inter ſuos geſſerint, ſæpe magnorum Imperatorum meliùs mores deprehenduntur, (qui præcipuus eſſe debet τοῦ βιογράφου ſcopus) quàm ex illis quæ in publico, & in magna luce egerint: in quibus diſſimulare naturam ſuam, & animi habitum occultare amant. Idem tamen Plutarchus à propoſito ſæpe digreditur, & in aliqua re ex Phyſicis deſumpta, aut morali documento tractando exſpatiatur, ſimilitudines quoque, & graues ex antiquis ſcriporibus γνώμας contra morem hiſtoricorum interſerit: ſed tanta cum iucunditate, tantáque vtilitate, vt quantumuis properans lector, & hiſtoriæ cupidus

hiſce ſibi moram iniici non moleſtè ferat. Suetonius quidem omnibus numeris abſoluti vitarum ſcriptoris exemplar eſſe poteſt. Vt enim omittam quòd emendatiſſimus eſt, & elegantiſſimus, quódque ordine egregio ſingula exponit, ſummatim tantùm bella, & cetera palàm geſta attingit, ac tribus verbis de I. Cæſaris bellis omnibus agit: quæ verò ad vitam priuatam, quæ ad ſtudia, quæ ad mores pertinent, ea pleniùs exequitur. Habemus etiam egregium de vita excellentium Imperatorum libellum, quem vt aliûs eſſe credam, quàm Corn. Nepotis, animum inducere non poſſum: quippe cetera congruunt, ſed præcipuè inſcriptio ad Atticum, & terſum valde, & elegans ſcribendi genus, quod non alij ſæculo conuenit, quàm, vt ita dicam, puro puto Latino, quale fuit Nepotis. Sed is contractiùs ſcripſit, réſque ſummorum Ducum magnas, & illuſtres breuiore ſpatio incluſit: vberiùs verò, & elegantiùs, vt mihi videtur, vitam Pomponij Attici amici ſui proſequutus eſt: qui quamuis à magiſtratibus abſtinuerit, in priuata tamen ſorte maximis Imperatoribus propter ſummam animi moderationem, prudentiam, aliáſque virtutes mihi non infe-

rior videtur. Ad eam autem formam non te, mi Saracene, voco, præſertim cùm paucorum tantùm vitas ſcribere aggreſſus ſis. nec exigo, vt qui in eo ſe genere exercent, ita ieiuni ſint. Id non fert hodierna conſuetudo, quæ à ſicco, & contracto antiquorum ſcribendi more, qui tamen Atticus eſt, & verè ſanus, longè abhorret, nec breuitati fauet, quam excellentiſſimi hiſtorici Salluſtius, & Tacitus tantopere adamarunt. Nec rurſus illos probo, qui vitæ alicuius Ducis, quam ſcribendam ſuſceperint, vniuerſam rerum illius tempore geſtarum, quibus ex parte tantùm interfuerit, hiſtoriam admiſcent, & obliti muneris ſui, nec, quod quidam monuit inter ſcribendum frequenter eſſe faciendum, quem titulum operis ſui eſſe velint, nec quid aggrediantur, ſatis memoriæ infigunt: nec ſe non annalium, ſed vitæ alicuius ſcriptores tantùm eſſe, cum animo ſuo reputant. Spero autem te in tuo opere id temperamenti ſeruare, vt nec nimia prolixitate faſtidioſum, nec breuitate minùs iucundum ſit futurum. quod ſi per negotia licebit abſoluere, non ſummum modò Principem, cui te addixiſti, cuiúſque in gratiam ſuſceptum eſt, ſed omnes etiam

curioſos domeſticæ hiſtoriæ Gallos demerebere. Vale.

ROL. MAR. CLAVDIO SARRAVIO SENATORI PARISIENSI S.

EPISTOLA VI.

Longa inſtituitur comparatio inter Plautum, & Terentium, cui palma adiudicatur: tum breuiter Propertius, & Tibullus inter ſe comparantur.

VERBVM eſt, vt opinor, Iuriſconſultorum, *comparationes hominum inter ſe eſſe odioſas.* Quod equidem de viuis verum eſſe confiteor: propterea quòd per ambitum plerunque, nec ſine gratia, aut odio fieri ſoleant. Verùm inter æuo functos, qui nobis ſint nec beneficio, nec iniuria cogniti, non video quid inſtitui comparationes vetet: cùm nempe nulla ſubeſt cauſa, cur aut his fauere, aut illis obtrectare debeamus. Quapropter nemini verti vitio debet, ſi quis antiquos ſcriptores ὁμοτέχνους inter ſe committat, & de illis iudicium ferat: cùm grauis auctor Plutarchus rem longè audaciorem attentarit, omnis ſcilicet æui illuſtriſſimos domi, militiæque viros

Græcos, & Romanos inter ſe conferre, & de iis pronuntiare. Quod nunc facere mihi viſum, & antea à multis agitatam inter duos, qui ſoli nobis ſuperſunt, Comicos collationem retrectare. Quanquam, vt ab initio, quid ſentiam, aperiam, hæc mihi ſatis iniqua eſſe comparatio videtur, & Terentius longè omnibus numeris Plauto antecellere, & contrà ſentientibus Catullianum iſtud ſtatim occlamare libet:

Tecum Lesbia noſtra comparatur:
O ſæclum inſipiens, & inficetum!

Inter quos virum tam politi, & limati iudicij reperiri I. Lipſium ſanè mirarer, niſi cuiuis manifeſtum eſſet, quid eum in ſuffragio dando corruperit. Mirum enim in modum archaiſmi morbo laborauit: quod omnia eius ſcripta exoletis, & reconditis vocibus inquinata veriùs quàm exornata oſtendunt. Quod profectò minùs mirabitur, qui meminerit ex ſimili antiquitatis amore Hadrianum Cæſarem Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtio Cælium: alios eidem Virgilio Lucretium, Horatio Lucillium prætuliſſe. Cùm igitur Lipſius Plautum Poëtam planè archaicum in manibus haberet, quòd eo delectaretur, ſimul vt ex deprauatiſſimo emen-

Digitized by Google

datiorem redderet: inde ille vehemens in eum amor. Qui etiam morbus Varronem tenuit: cùm tamen Ciceronis æuo, quo ſermo tam cultus erat, & nitidus, & rudis illa antiquitas defricata, viueret. Inde Plautum vbique in teſtimonium adducit, cuius etiam fabulas recenſuit, rarò Terentium, & priori in ſermonibus pàlmam adiudicat. Quanquam non video, cur etiam hac in parte Terentio anteponi debeat, tam puro Latinitatis auctori, & tam eleganti, cuiúſque ideo verbis frequenter vtitur Cicero. Plauto quidem ſermonis Latini proprietatem ineſſe confiteor, & eo nomine, ſuo æuo & paulò pòſt maximè commendatum fuiſſe. Sed nunc præ Terentio, Cicerone, & aliis eius ætatis illius ſermo adeo priſcus videtur, addo etiam, ob deprauationem turbatus, vt eos quoque, qui illi plurimùm fauent, eo in totum vti velle minimè exiſtimem. Terentium verò à Iulio Cæſare puri ſermonis amatorem dictum, qui etiamnum ſequatur, cum omnino Latinè, & eleganter ſcribere nemo infitias ibit. Sed Plauti ætati adſcribamus, quòd in quibuſdam durior eſt, & nimis priſcis verbis vtitur. neceſſe enim illi fuit eo ſermone vti, quo tum

Romæ vtebantur : quinetiam in hoc eos inter ſe pares faciamus. Certè in aliis Comici dotibus, quæ longè potiores ſunt, in ethesin nempe, & in arte inueniendi argumenta, & diſponendi quanto interuallo Plautum antecedit Terentius? τὰ ἤθη illi tribuit Varro ſummus alioqui Plauti fautor, quæ vltimo adimit Criticorum acutiſſimus Horatius in his verſibus,

——— aſpice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis Ephebi,
Vt patris attenti, lenonis vt inſidioſi.

Hæc enim ſine dubio in illius vituperationem, tanquam minimè perſonarum decorum ſeruantis, non in laudem ſumenda ſunt. At in hac parte mirus eſt omnino Terentius, cuius ideo omnes Comœdiæ moratæ appellari debent: & graphicè expreſſit eum à quo fere omnia ſumpſit, Menandrum, de quo verè dixit Ariſtophanes Grammaticus,

ὦ Μένανδρε καὶ βίε,
πότερος ἄρ' ὑμῶν ὁπότερον ἐμιμήσατο;

Incredibili enim cum lepore, & iudicio ille Afer vitam hominum depinxit, & mores omnium perſonarum, cuiuſcunque ætatis & ſexus aptè, & accuratè deſcripſit. Nec abs re idem Horatius artem illi tribuit,

quæ in argumentorum, vt dixi, inuentione, & œconomia conſiſtit. Omnia enim apud eum ita inter ſe apta ſunt, & connexa, vt nihil non optimè cohæreat, & argumentum à principio ad finem ſummo cum artificio euoluatur, & explicetur, ita vt

Primo non medium, medio non diſcrepet imum.

Alter verò non admodum ingenioſus eſt in argumentis inueniendis, aut è Græcis Comicis deſumendis: in diſponendis verò ἀνοικονόμητος, nec valde curat antiquorum regulas de vnico die, & vnico ſcenæ loco obſeruare,

Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.

Sed præter ſermonem, cuius proprietatem illi concedunt, video quid illum tantopere apud quoſdam etiamnum commendet: ſales nimirum ſunt, & ioci: in quibus tamen, tanquam id vnum ſibi propoſuiſſet, & eum eſſe Comici finem putaſſet, riſum mouere, immodicus eſt, & nimius: & talibus plerumque vtitur, qui plebeculæ magis quàm eruditis viris placeant: eos ex quacunque re aucupans, & fere è verbis captãs, quod dicacitatis genus ſæpe frigidum eſt: quæ etiam frequenter nouat, & coniungit ridiculè. Inde fit, vt in ſcurriles iocos, & obſcænos ſæpe delabatur, & in ea incur-

Digitized by Google

rat vitia, quæ in Ariſtophane, cui ſimilior eſt, quàm Menandro, Plutarchus notauit. Contrà Terentius hac in re optimè ſibi moderatur, feſtiuos iocos ex rebus, non ex verbis petitos hîc & illic tanquam condimentum admiſcens, itaut vrbanus vbique appareat, & ingenio prorſus liberali, cùm alter aliquantùm ſeruili videatur. qui etiam vt doctrinam oſtentet, crebras hiſtorias, & fabulas tangit. quod ſæpe obſcuritatem parit, & cùm fit frequentiùs, in vitio eſt. Sed vt rem abſoluam, reſtat vt Lipſio, & aliquot è Germania antiquariis, qui cùm toti in Plauto emendando eſſent, nimio illius ſtudio flagrarunt, doctos viros opponam, Heinſium, qui Horatij iudicium de eo tuetur, & Andream Nauagerium. Franciſci enim Aſulani nomine præfixa vni Terentij Aldinæ editioni præfatio, ab eo viro eloquente propter elegantiam putatur eſſe ſcripta. Contra Volcatium autem Sedigitum ineptum illum Comicorum iudicem, quibus tam peruersè, & imperitè ſedes aſſignauit, vt etiam, ſi Deo placet, Atilium, quem Tullius duriſſimum ſcriptorem vocat, Terentio præpoſuerit, Afranium egregium Togatarum auctorem ſtatuo: cuius de eo vulgatus eſt iſte verſiculus.

Digitized by Google

Terentio non ſimilem dices quempiam:
Et inprimis Horatium, qui tam rectè de Poëtis Latinis iudicauit. Quibus etiam addere poſſum Donatum eximium Grammaticum, qui quædam Terentij exponens, *Hæc Plautina ſunt*, inquit, *cùm in iiſdem longa ſit diſputatio: ſed mirè à Terentio afferuntur ad eius exemplum, & quod eſt plus, carent Plautinis nugis.* Ceterùm non hæc eò ſcripſi, vt Plautum doctum, feſtiuum, & Latinæ proprietatis ſeruantiſſimum Comicum à manibus hominum excutiam: ſed quòd Terentium tam venuſtum, tam abſolutum Comœdiarum ſcriptorem, *per quem dulces Latini leporis facetias enituiſſe* Paterculus ſcribit, *& cuius fabulæ*, vt ait Cicero, *propter elegantiam à Lælio ſcriptæ putabantur*, illi contumelioſè poſtponi dolebam. Porrò breuis quoque coronidis vice mihi viſum eſt aliam inter præſtantiſſimos Elegiæ Latinæ ſcriptores Tibullum, & Propertium comparationem adiicere. de quibus primùm Quintiliani verba apponam, *Elegia*, inquit, *Græcos prouocamus, cuius mihi terſus, atque elegans videtur auctor Tibullus: ſunt qui Propertium malint.* Durum mihi quidem eſt ab acris iudicij Critico diſcedere, qui Tibullum

videtur præferre. Sed tamen in iis me eſſe fateor, qui Propertium malint. Quamuis enim Tibullus mirè ſit iucundus, & elegans, Latinæ etiam proprietatis amantior, quàm alter, qui ſæpe Græciſſat, & in carmine exactior, & rotundior: tamen Propertius illum eruditione, & ingenij ſuauitate videtur ſuperare, blandus omnino; & lenis in affectibus: in quibus etiam exprimendis nonnunquam, tanquam calidus amator, & amore deperditus, vehementior fuit. Hæc autem ad tuum tribunal, Senator clariſſime, diiudicanda defero; qui non tantùm lites ciuiles, quas quotidie magna cum æquitate, & induſtriæ laude terminas, iudicare potes, ſed etiam de interioribus literis, & politioribus, ad quas tanquam ad amœnum à forenſibus negotiis diuerticulum te identidem referre ſoles, optimè ſententiam ferre. quam ſi in hac controuerſia tuleris, in eam me pedibus iturum, meámque, ſi opus ſit, mutaturum polliceor. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. FREDERICO GRONOVIO S.

EPISTOLA VII.

De duobus Critices generibus agit, nempe reſtituendorum auctorum, & ſtudiorum methodi tradendæ: In quorum priore Gronouium egregiè verſatum eſſe: poſterius verò ſe tractare ait.

ALIQVOT ſunt anni, vir doctiſſime, cùm epiſtolam ad te ſcripſi, quam vt tibi curaret reddendam, clariſſ. Senatorem Cl. Sarrauium rogaueram: eam ad te non eſſe perlatam arbitror. qua enim es humanitate, aliquo ſaltem reſponſo me, opinor, dignatus eſſes. Illi annexa erat emendationum in primum, & ſecundum T. Liuij librum ſcheda, quas eo ipſo tempore, quo tuas ſanè mirandas legebam, non quidem ex manuſcriptis libris, ſed ex ingenio tantùm, experiendi gratiâ erueram. Eas autem, quæ ad te ibant, iudicium tuum ſubituræ, ad te non perueniſſe gaudeo. nunc enim me illarum pudet, pigetque, qui nunquam antea Criticum egeram. Ab eo tempore, vt ex libello meo cognoſces, animi cauſâ alij Criticæ generi me dedi; quod ſi rectè, & ab homine ingenio pariter, & doctrinâ, ſed

Digitized by Google

præcipuè iudicio præſtanti tractetur, non minimas ſanè ſtudioſis vtilitates afferre poſſit. Quas quidem dotes, quanquam in me non agnoſco, tamen pro viribus conatus ſum ego quoque hac in parte ſtudiis iuuandis aliquid conferre. Criticum igitur ago non quidem manuſcriptos codices excutiendo, ex iiſque antiquos ſcriptores emendando: ſed de ratione ſtudiorum, circa literas præſertim humaniores ſcribendo: nempe quid in illis ſequendum putem, tum quod ad auctorum lectionem, tum quod ad ſtilum attinet: quid de ſcriptoribus quibuſdam antiquis, & nouis ſentiam: denique cetera de genere hoc perſequendo, qualia & hic libellus continet, aliique, quos eadem de re Deo fauente editurus ſum, complectentur. Non dubium eſt autem, quin tu Criticæ potiſſimam, & fructuoſiſſimam partem ſuſceperis, reſtituendorum ſcilicet, quoad eius fieri poteſt, integritati ſuæ librorum. Quod munus, erudite Gronoui, præclarè ſuſtines, vt ex Liuianæ hiſtoriæ emendatione meo iudicio optima, & abſolutiſſima abundè patet; & recèns ex Senecæ editione, ad quem corrigendum tua etiam induſtria quod Mureto, Lipſio, aliiſque tam multis viris doctis adde-

ret, inuenit. Abſque enim illa opera eſſet, quam à ducentis annis viri docti in bonis auctoribus inſtaurandis poſuerunt, nunc omnino ſuſpenſis veſtigiis per illos ambularemus: tot locis antea offendicula iter remorantia reperiebantur: & niſi medicas manus vulneribus, quæ tam diuturna barbaries inflixerat, Æſculapij illi adhibuiſſent, vix nunc optimos ſcriptores tractandi nobis copia eſſet; tot vlceribus vndique ſcatebant. Optima igitur gratia illis debetur, quorum ſtudio, & diligentiâ conſequimur, vt ferme inoffenſo pede in antiquorum libris pergamus: quorum optimis quibuſque ſuo nitori reſtituendis vltima fere manus impoſita eſt, tantum bonæ operæ illis inſumptum eſt. Et quidem Grammaticorum ſemper officium fuit libros caſtigare, & mendas, quæ illis tempore inoleuerant, tollere. Sic Homeri caſtigationes plures fuere: ſed id leue erat, & minoris longè negotij priſcis temporibus, quàm noſtris. tum enim ſola fere librariorum ignorantia, aut incuria, qui tamen literati erant, mendas libris inurebat: poſteaquam verò Gothica barbaries literas pæne omnes internecioni dediſſet, Bibliothecæ magna ex parte clauſæ, certè ſitu, & puluere oppletæ fuerunt; in quibus quas

Digitized by Google

ſtrages caries, & blattæ tineæque ediderint, quiuis facilè coniicere poteſt. Sed longè ſæuiorem peſtem intulit librariorum inſcitia, qui diu non alij fere fuerunt, quàm Monachi. illi enim tum pæne ſoli literas colebant; quas ſanè mirum eſt, quomodo in tam profunda barbarie conſeruare, & nobis quaſi per manus tradere potuerint. Alterum verò illud Criticæ genus quod tracto, nimirum de methodo, & via ſtudendi, ſatis quidem multi ſparſim & carptim attigerunt: ſed, vt verum fatear, animo meo non ſatisfaciunt. Nam quod ad ſingulas diſciplinas attinet, varij de iis tradendis ſic egregiè ſcripſerunt. Cuius conſilij quis non ſummam vtilitatem videt, in præeundo viam ſcilicet, humanas, & ingenuas artes ſeriò capeſſere volentibus? hoc nimirum eſt hominibus in vniuerſum conſulere, cùm alij Critici ſingillatim tantùm & per partes iuuent, nempe in hoc aut illo ſcriptore reſtituendo. Atque vtinam id argumentum ſuſcipere Eraſmo, Ioſepho Scaligero, Lipſio, tantis viris in mentem veniſſet. Eraſmus quidem ea de re pauca quędam ſcripſit. Lipſius de inſtitutione iuuentutis librum promiſerat, quem aliis occupatus non compoſuit. At optarim profectò, vt hunc

Digitized by Google

potiùs, quàm alios aliquos ſcripſiſſet. Tu verò, vir erudite, ſi fortè tot manu ſcriptis exemplaribus inſpiciendis, & auctoribus emendandis defeſſus es, huic negotio manum admoue, quod non tanto labori tibi, ſed fortaſſe non minori laudi, aut aliis vtilitati futurum eſt. Interim cum libello obſequium meum tibi defero: quorum vtrumque æqui, boníque conſulas rogo. Vale.

ROL. MAR. NICOLAO TROIO S.

EPISTOLA VIII.

De linguæ Græcæ cognitione, quam literato omnino neceſſariam affirmat, & de ſcribendo Græcè agit.

LINGVÆ Græcæ cognitio quantas in literis habeat commoditates, imò potiùs quàm ſit neceſſaria, nemini mediocriter docto ignotum eſſe puto, nedum tibi, vir ornatiſſime, qui in ſtudiis humanioribus, omnibúſque adeo ingenuis artibus à teneris, vt Græci dicunt, vnguiculis diligentiſſimè verſatus es. Quæ enim ſcientia ſine huius adminiculo plenè, & abſolutè addiſci poteſt, cùm ipſarum etiam ſcien-

Digitized by Google

tiarum, & eorum fere omnium, quibus illæ conſtant, nomina Græca ſint, & præſtantiſſimi artium auctores Græcè ſcripſerint? quos non ſuâ linguâ loquentes, ſed tantùm verſos, quàm non tutum ſit legere, docti ſciunt, qui in quales, quámque pudendos errores incurrant, qui verſionibus tantùm nituntur, quotidie vident. Porrò etiamſi aliqua verſio poſſit eſſe tuta, & auctoris ſui ſenſum planè aſſequi, tamen vix eſt, vt illius veneres omnes, & elegantias reddat; quibus ſemper in transferendo aliquid decedit, maximè ſi auctor multum ornamenti in opus ſuum contulerit. Poëtæ certè mihi nequaquam pari venuſtate, & elegantia reddi poſſe videntur, ac ſcripſerunt. quod pariter de Oratoribus, & elegantioribus Hiſtoricis dicendum eſt, qui vt eleganter transferantur, non minùs doctos, & diſertos, quàm ipſi fuere, interpretes poſtulant. quod fruſtra ſperes. Nam qui tales ſunt, ij profectò non aliorum operibus conuertendis, ſed propriis condendis operam malunt impēdere. De linguæ verò Græcæ neceſſitate non neceſſe eſt plura addere: cùm hæc mea ſententia clarè hoc argumento teſtata ſit, quòd profunda barbaries, & craſſa ignorantia, quæ tamdiu literas ob-

Digitized by Google

ſedit, magnam partem ex eius ſermonis inſcitia mihi manaſſe videatur; cùm vbi Græca in aliquo auctore occurrerent, appingi ſolebat, *Græcum eſt*, *non legitur*. Hîc verò mihi reputare ſubit, quo caſu tantum in literas commodum à duobus ſæculis inuectum ſit. Nempe, vt damnum vnius lucrum eſt alterius, ex clade Græciæ, & excidio Byzantino linguæ Græcæ notitia per exules Græcos, qui patriæ excidium effugerant, in Italiam primùm, deinde in reliquam Europam illata eſt; & ipſa auctorum exemplaria importata, vt quos priùs tantùm conuerſos habueramus, tum demum ſuâ linguâ loquentes videre liceret. Cùm igitur manifeſtò pateat huius linguæ vtilitas, dolendum eſt profectò, tam paucos nunc huic ſtudio incumbere; quod etiam qui attingunt, id leuiter tantùm, & perfunctoriè faciunt; nunc adeo cùm tot extent virorum doctorum in eam linguam commentarij, tot præcepta Grammatica, quæ illius ſtudioſos multùm iuuare poſſunt, ac pæne omnes ſcriptores Græci, ſaltem præcipui, in Latinum ſermonem tranſlati ſint: cùm è contrario quo tempore iſtud ſtudium renouatum eſt, viri literati, etiam magna ex parte hiſce præſidiis deſtituti, tanto ardo-

re id perſequerentur. Sed hæc querela non in Græca tantùm, ſed etiam in Latina lingua locum habet, quàm nunc, vt reliquas item bonas artes magno cum dedecore negligi videmus. Itaque hæc miſſa faciamus, & in reliqua epiſtolæ parte prauum meo iudicio morem, qui in ſcholis inoleuit, attingamus: ſcilicet, vt priùs pæne quàm Grammaticam pueri didicerint, & Græcè mediocriter intelligant, eâ linguâ ſcribere iubeantur. Abſurdum autem mihi videtur, eo quemquam ſermone ſcribere, quem non aliquatenus nouerit; in quo cùm progreſſum aliquem fecerit, tum demum non valde laborioſa exercitatione ad ſcribendum ſe comparare poterit. Quanquam aliàs Græcè ſcribere non admodum neceſſe eſſe arbitrer, & longè ea in re diſſimilis ſit ratio iſtius linguæ, ac Latinæ. Hæc enim cùm ab antiqua poſſeſſione non exciderit, vt Europæ fere omni ſit communis, ſi colloqui cum exteris, aut ad illos ſcribere velis, magnopere vtilis eſt: ſi verò quid ſcribas, & id toti orbi commune eſſe cupis, tum planè neceſſaria eſt. Græca verò nunc ab ipſis Græcis, vt puto, vix intelligitur, quod vt conſequantur, à magiſtris diſcenda eſt: à qua nimirum tantùm fere ipſorum verna-

Digitized by Google

cula deſciuit, quantùm à Latina Italica. Igitur cùm pueros gloriantes video, quòd Græcas orationes componant, quorum plerique magiſtri non dico Demoſthenem, aut Thucydidem, ſed Iſocratem, aut Lucianum ſcriptores magis apertos, & faciles vix interpretari poſſint, riſum continere nequeo. Sed etiamſi magno ſtudio, & longa exercitatione alicui contingat, vt Græco ſermone purè, & eleganter ſcribat, quæ ex hoc labore ad ipſum gloria, ad alios vtilitas peruenire poteſt? Cùm ipſi Græci auctores nunc vix legantur, aut certè cum tanto faſtidio legantur, & ipſius etiam Budæi in Græcis poſt Græcos doctiſſimi epiſtolæ licèt ἀττικώταται, nunc non ſint in eruditorum manibus: tantùm ſufficiat in epiſtolis ad familiares inſerere poſſe verbum aliquod Græcum, quod plus, quàm Latinum elegantiæ habeat, aut plus polleat. Nec verò probo Canuſini more bilinguis ſcribere, (quod Caſaubonus in quibuſlibet ſcriptis nimiùm frequenter facit) tanquam magnum ſit Latinis verbis Græca miſcere, & ea non τῇ χειρὶ, ſed ὅλῳ τῷ θυλάκῳ, vt aiunt, inſpergere. Quòd ſi Græcè ſcribere oporteat, verſiculos tantùm componi velim, & epigrammata, quæ quò breuio-

ra ſunt, eò ſunt argutiora, & iucundiora: quorum vis omnis, & elegantia non in clauſula arguta, & aculeata, vt apud Martialem, conſiſtat, ſed in natiuo quodam lepore, & gratia, quæ ex more ipſorum Græcorum per totum epigramma diffundatur. Nec mihi etiam placeat ex Poëtis Latinis carmina in Græcam linguam conuertere; cùm ſemper receptum ſit ex minùs nota lingua in notiorem transferre. quod tamen fecit Ioſephus Scaliger, quamuis optimè, tamen ſatis inutiliter. Sed de his ſententiam meam tam liberè aperire fortaſſe veritus fuiſſem, niſi te mecum facere ſenſiſſem, qui legitimus earum rerum iudex eſſe potes, vt qui totâ vitâ Græcos auctores ſedulò contriuiſti, verſus etiam Græcos ſcribis, quíque ex Luciano tam amœno & elegante ſcriptore aliquid in Latinum ſermonem conuertiſti. quod vtinam in publicum edere in animo tibi eſſet. à tam docto enim, támque probi iudicij viro nihil non eximium, & ex omni parte abſolutum expectare par eſt. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. HENRICO VALESIO SVO S.

EPISTOLA IX.

Hac ætate plurimos ſcriptores doctos inueniri, paucos elegantes: cuius rei cauſas aſſignat.

A duobus ſæculis poſt reductas tanquam ab exilio literas, ſcriptores docti in omni genere extiterunt innumerabiles. Sed non omnes profectò in ſcribendo iudicium adhibuiſſe, nec eloquentiam, quid eloquentiam? imò verò nec ſermonis elegantiam cum doctrina coniunxiſſe, ſi verum amamus, fatebimur. Rectè enim, & eleganter ſcribere niſi cum magno labore, & cum ſumma animi contentione non contingit. Quas res cùm ex iſtis plerique in ſcribendo non adhibeant, nihil mirum ſi libros non admodum egregios ſcribunt. Et certè quamuis in legendo, & in addiſcendo præſertim difficiliores ſcientias non minimus labor ſit, tamen in commentando, & ſcribendo longè maior mihi eſſe videtur, tum enim ingenio maximè contendimus, cùm ex nobis aliquid producimus, & tanquam parturimus. Sed quis dicat eos

animo valde contendere, qui de ſermonis proprietate, & venuſtate non valde anxij, nec quid, aut quo ordine ſcribant, tantùm infinitos auctorum locos vndique colligunt, quos nullo fere iudicio in libros congerunt. Ex veterum certè libris vix vllus nobis ſupereſt, in quo ſi minùs eloquentia, at ſaltem ſermonis nitor, & aliqua elegantia non inſit. Nos verò fere negligenter, & ſordidè ſcribimus. quod ex eo manare credo, quòd poſtquam aliquantum operæ literis dedimus, & aliquos auctores veriùs deuorauimus, quàm legimus, planè ſcribendi rudes alicui nos operi accingimus: cùm antè diu nos exercuiſſe, & ex Fabij conſilio viciſſim nunc legere, nunc ſcribere deberemus. quod Cicero cùm eſſet adoleſcens facere ſolebat, vt ipſe refert in Bruto, *quotidie & ſcribens, & legens, & commentans*. Nec verò hîc me quiſquam incuſet, tanquam infelicitatis noſtra, & ſuperiora ſæcula damnantem. Non ignarus enim ſum quamplurimos fuiſſe, & etiamnum eſſe, qui minimùm antiquis ſcribendi gloriâ concedant. Sed id volui tantùm, longè maiorem eſſe numerum eorum qui nullo adhibito iudicio, ac ordine, & ſermone inquinatiſſimo ſcribant. Porro hæc mi-

Digitized by Google

hi in mentem venerunt, nuper libros quorumdam inter recentiores πολυγραφωτάτων legenti, quos ſi nominem, eorum fortaſſe famæ obtrectare videar. Illi mihi eruditiſſimi viſi ſunt, imò totius eruditionis, etiam reconditioris promptuarium, & eorum ſanè πολυμάθειαν, variámque lectionem admiratus ſum, vt qui nihil in omni pæne ſcientia inexcuſſum reliquiſſent, ſcriptores quoſuis, etiam ignobiles tractauiſſent, infinitos libros manuſcriptos ad inueſtigandam veram auctorum lectionem contriuiſſent. Sed idem indignor, cùm alium negligenter, & confusè, prauóque ordine, imò nullo ſcribere video; alium, quæ magna pars eſt, aggerendæ materiæ intentum id ſolum curare, vt libri moles creſcat, multa quæ ad rem parum faciunt afferentem, ita ut in eo memoriam ſuam, ſed iudicij expertem oſtentet. Eos equidem, de quibus innominatis ago, aliquantùm ſcriptores vtiles eſſe iudico, omnino bonos vt appellem vix inducor, qui numeris omnibus non ſint abſoluti. Nam iis aſſentiri non poſſum, qui quemuis ſordidum, & indigeſtum ſcriptorem, modò ex eo poſſis aliquid excerpere, inter bonos numerant: cùm nullum tam malum librum eſſe, vt non aliqua ex parte

prodeſſet, Plinius Maior dicere ſolitus ſit. Quin verò in iis rebus quas ſuperiùs attigi, mi Valeſi, mecum facias, non ambigo. tua enim ſententia ex libris clarè patet. In iis ſiquidem quos ſcripſiſti commentariis nihil ἀπροσδιόνυσον, nihilque non neceſſarium affers, & vbique iudicium cum doctrina coniungis. Sed vtinam oculorum tuorum imbecillitas publico non inuideret lucubrationes, quas affectas habes. quanquam ne in ea quidem difficultate tibi dees, ſed indefeſſo ſtudio, quantum per anagnoſten licet, literis vacas, continuóque in cœptis operibus aliquantum promoues: quæ aliquando ſpes eſt ad calcem perductum iri. quod vt acceleres, ſine tuo tamen incommodo, ego inter eruditos minimus te eorum nomine enixè rogo. Vale.

ROL. MAR. HADRIANO VALESIO SVO S.

EPISTOLA X.

Vnam artem eſſe colendam vt in ea excellas: item vni literarum generi incumbendum.

NVNQVAM in ea fui ſententia, mi Valeſi, in qua quoſdam eſſe video,

Digitized by Google

qui liberos vixdum natos, nondum perſpectâ eorum naturâ, & indole, alicui vitæ generi deſtinant, ſtudiiſque ab eorum genio, ingenióque alienis ſe applicare cogunt. Vt enim ait Poëta ſatyricus:

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Quapropter poſt perceptas vtcunque in ſcholis liberales diſciplinas, cùm adulti ſe ſuámque naturam aliqua ex parte nouiſſe cœperint, tum demum diuerſis propoſitis ſtudiis, & inſtitutis, quod vitæ genus eligant, conſiliis eorum relinqui debet. quod enim tum liberè, nec vlla vi, aut minis ſubacti elegerint, ſpes eſt poſtea ad id ſeſe totis viribus, atque omni animi contentione applicaturos, modò in iis aliqui virtutis, & egregiæ indolis igniculi ſubſint. nam veriſſimè eſt dictum, *nihil inuitâ Mineruâ fieri.* Tantummodo monendi ſunt, vt quam maturo iudicio profeſſionem ſuſceperint, eam poſtea animi inconſtantia, & amore nouitatis ne deſerant, ſed vt quam nacti ſunt ſpartam ornent, iuxta elegantiſſimum verſiculum,

Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat:

néve variis ſimul rebus, & artibus ſtudeant, ſed in vna, quod non parum eſt, excelle-

re omnibus ingenij viribus contendant: quoſdam enim videas, qui nihil non affectant, & ſtudiis inter ſe diuerſiſſimis ſe applicant, in quibus peræquè excellere non licet. vt enim iuxta Martialis dictum *nuſquam habitat, quiſquis vbique habitat*: ita qui per varias artes diſcurrit, in nulla eximius eſſe poteſt: & rarò accidit, vt operæpretium faciat, qui pluſquam vni deditus eſt. cui vitio nos Gallos eſſe obnoxios communi prouerbio iactatur, ex omnibus ſcilicet rebus aliquid ſcire cupere, quod ferme ad nihilum recidat. Nec ſine cauſa Archidamus Ageſilai filius Periandrum irriſit, quòd cùm bonus eſſet Medicus, Poëticæ vacaret, & mala ſcriberet carmina. Idem de iis dicere poſſum, qui libros componunt; quibus ſuaſerim, vt aliena à ſua profeſſione non ſcribant: vel ſi nullam ſequantur, & animi tantùm cauſâ ſtudiis dent operam, vt vni alicui literarum generi potiſſimùm ſe addicant, ad quod omnia referant, & in quo ceteris antecellere ſatis honorificum eſſe exiſtiment. Quamuis enim etiam hodie homines reperiantur ſimiles priſcis illis tantopere celebratis Platoni, Ariſtoteli, aliiſque in omni literarum, ſcientiarúmque genere verſatis, qui itidem nihil igno-

ignorent, infinitos libros legerint, & cùm res pæne omnes mente comprehenderint, de iiſdem rectè poſſint ſcribere: tamen id admodum rarum eſt, & miror à Quintiliano Cornelium Celſum virum mediocris ingenij appellari, quem de omnibus pæne artibus ſcripſiſſe ipſe fatetur. id enim non vulgaris eſt ingenij, ſed valde eximij, cui adiuncta ſit ſumma memoria, & ſingularis doctrina acceſſerit. quæ dotes cum iudicio coniunctæ, quod rarò contingit, ad præclarum aliquod ingenij non communis ſpecimen componendum concurrant ſimul neceſſe eſt. Quapropter poſtquam quis liberalibus diſciplinis, & iis artibus aliquantùm excultus fuerit, quas qui tenent, eruditi vocantur, debet ſe alicui diſciplinæ ſtudioſè mancipare, vt in ea demum excellat, potiùs quàm animo deſultorio per omnes volitare, & de omnibus velle ſcribere. Quod videmus hodie facere quoſdam viros ſanè multiplici doctrina, itaut πολυίστορες, φιλόλογοι, viri priſci illi Eratoſthenes, Gyginus, Ateïus appellari mereantur, ſed non tanto iudicio inſtructos: qui de rebus inter ſe longè diuerſiſſimis, de Mathematicis ſcientiis, de Medicina, de Iure libros componunt: cùm de quauis earum rectè ſcribere ſatis

Digitized by Google

ſupérque eſſe debeat. Id vidiſti, vir erudite, qui cùm ſis in Philologia egregiè verſatus, & varia eruditione repletus, tamen ad vnam hiſtoriam te contuliſti: cuius cùm virtutes omnes veterum Hiſtoricorum lectione perceperis, res Francorum ab ipſius gentis origine ſcribere aggreſſus es. quod quàm vaſtum ſit, quantámque populorum qui rebus noſtris immiſti ſunt, & Romanum imperium in varia regna diſtraxerunt, omniúmque eius temporis hiſtoriarum cognitionem exigat, nemini dubium eſſe poteſt. cui vnico ſtudio cùm incumbas, nihil mirum, te ea ſcribere quæ omnium admirationem mereantur. Ego quoque, vt de me aliquid dicam, cùm iis rebus, quæ ad ſcribendum valent, doctrinâ & memoriâ non admodum ſim inſtructus, huic vni tantùm de ſtudiorum ratione ſcriptioni me applicui: in qua an operæpretium faciam, aliorum eſto iudicium: certè hoc ſcribendi genere otium meum oblectare, ſimúlque obiter minùs doctos in ſtudiis aliquatenus adiuuare conſilium fuit. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. CAROLO FERAMVSIO IN SENATV PATRONO.

EPISTOLA XI.

Optimè Feramuſium facere, quòd forenſem laborem Poëticâ exemplo veterum releuet.

CICERO in ea oratione, quam pro Archia Poëta habuit, dicit ſe *hoc homine delectari, quia verſibus ſuis ipſi ſuppeditet, vbi & animus ex forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures conuitio defeſſæ conquieſcant: nec ſe ferre tantam iudiciorum contentionem poſſe, niſi eiuſmodi doctrina relaxetur: Quare neminem ſibi ſuccenſere debere, ſi quantum aliis temporis ad voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur, tantum ipſe ad hæc ſtudia recolenda ſumat.* Quod Quintilianus confirmat, cùm ſcribit, *attrita quotidiano actu forenſi ingenia optimè Poëtarum blanditiâ reparari.* Quòd ſi M. Tullius poſt laborem forenſem hac carminum legendorum remiſſione ſibi opus eſſe dicit; quis te, Feramuſi, reprehendat, aut quis tibi iure ſuccenſeat, ſi animum inſpiciendis litigatorum tabulis, atque inſtrumentis perplexis, & intricatis defeſſum, libelliſque, & chartis pæne in-

finitis defatigatum verſibus factitandis reficias, atque recrees? cùm meo iudicio longè maior ſit, & moleſtior hac tempeſtate, quàm olim Aduocatorum labor. Quamuis enim à Romanis Oratoribus magnum ſtudium, ſummáque diligentia in commentandis orationibus adhiberetur, quia tum apud Prætorem, alióſque iudices cauſæ non ſine pompa & apparatu dicebantur; tamen hic labor non erat quotidianus, ſed magnis interuallis diffindebatur, ſummóque opere liberalis erat, & non parua iucunditate demulcebatur: hodiernus verò apud nos eſt, moleſtiſſimus. Nam præter cauſas agendi laborem, nunc perpetua domi Aduocatorum occupatio eſt in excutiendis chartis plerumque difficilibus, & obſcuris, & in euoluendis libellis, qui etiam in lite minima mole magna tument, & in immenſum creſcunt. noſtris enim moribus maiori ex parte iudicia non palam, & in propatulo ex tribunali, ſed poſt tabularum, & inſtrumentorum inſpectionem quaſi priuatim redduntur, & litigia ſæpius Patronorum ſcriptis, quàm orationibus finiuntur. Qui labor cùm ſit iniucundiſſimus, vtpote à quo feriari fere non liceat, cum ratione *te carmine remittis, non continuo, &*

Digitized by Google

longo, vt Plinij verbis vtar, *ſed arguto & breui, quod aptè quantaſlibet occupationes, curáſque diſtinguit*, ode nimirum aliqua, in quo genere excellis, aut poëmatio, quo te, ſimúlque amicos oblectes. omnis enim ſeria occupatio iucundâ aliquâ, & amœnâ remiſſione interpungi debet: nec animi noſtri longam alioqui contentionem ferre poſſunt. nam verè dictum eſt,

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Itaque *ſummi Oratores*, vt idem Plinius ait, *verſibus pangendis ſe aut exercebant, aut delectabant, imò delectabant exercebántque*. & ille ipſe eo modo ſæpe ſe oblectauit, vt videre eſt in eius epiſtolis, librúmque hendecaſyllaborum, qui verſus ſunt molliculi, emiſit. Quare non ſine exemplo veterum Patronorum facis, quòd negotia eiuſmodi otio diſpungis, tempúſque, quod alij aleâ, variiſque ludis fortaſſe fallunt, carminibus condendis inſumis: nam, vt exiſtimo,

Eſt tibi charta nuces, atque eſt tibi charta fatillus.

Vale.

ROL. MAR. CÆSARI ESTRÆO LONGIPONTIS ABBATI.

EPISTOLA XII.

Quibus ſcientiis ornatum eſſe conueniat Theologum oſtendit : iis omnibus illuſtriſſ. Abbatem excellere.

MVLTA in Theologo requiri non te fugit, Abbas nobiliſſime, cùm ipſe, licèt admodum iuuenis, ſis inter eximios Theologos, nempe vt ſit vndique perfectus, & ad priſcos illos tam celebres proximè accedat. Sed inpræſentia de moribus, & vita, quæ ab omni vitiorum labe pura, ac immunis eſſe debet, nimirum vt ſit ἀνεπίληπτον, qualem eſſe Epiſcopum iubet Apoſtolus, dicere ſuperſedebo. De doctrina tantùm agam, quibúſque diſciplinis ornatum eſſe conueniat eum, qui ex eiuſdem Pauli præcepto velit eſſe διδακτικός: quod profectò fieri nequit, niſi ipſe ſit doctus. Primùm igitur inſtitutus eſſe debet liberaliter educatione, doctrináque puerili : quæ in humaniorum literarum, linguarúmque notitia conſiſtit, quibus liberales, atque adeo reliquæ artes veluti fundamen-

to innitantur. Poſtquam verò edidicerit Philoſophiam Ariſtotelicam, conſuetudo inualuit, vt Theologiâ, quam vocant Scholaſticam, ad plenum imbuatur: quæ cùm res diuinas quaſi in artem redegerit, vtilis eſt ſanè. licèt enim verborum elegantiæ ſecura ſit, verumtamen acriter inquirit, & res methodo exactiſſimâ tradit. Verùm vt modum nulla in re tenere nouimus, innumeris diſputationibus in tantum excreuit, vt iam mole laboret ſua. Nam cùm ad hanc Petri Lombardi collectanea ſufficere viderentur, qui primus illius quaſi auctor eſt, quíque huc pertinentia ex veteribus doctoribus, & præcipuè ex Auguſtino collegit, & ex his aphoriſmos, & quas ipſe vocat ſententias confecit: præſertim cùm Thomas Aquinas multa, eáque egregia his adieciſſet, accidit, vt Petri liber infinitos libros pepererit, & etiamnum pariat, qui nonnunquam quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide, vt ait ſuprà dictus gentium Doctor. At hîc vitium, de quo admonet Cicero, vitandum erat, *ne nimis magnum ſtudium, multámque operam in res obſcuras, at difficiles, eaſdémque non neceſſarias conferamus.* Sed vt ad rem redeam, ſacris etiam voluminibus danda

eſt opera, præcipuè nouo quod vocant, Teſtamento; quæ tanquam Theologiæ fontes, pæne memoriter addiſcenda ſunt. Ad illorum verò illuſtrationem veteres potiùs interpretes, quàm nouos aſſumendos eſſe cenſeo. quoniam hi magna ex parte priores compilarunt, & raro aliquid ex ſeſe afferunt: illi verò, qui non tam propter antiquitatis, quàm ſanctimoniæ venerationem Patres appellantur, cùm ob eadem iſta, tum propter ſingularem, & variam eruditionem euolui merentur, non ſolùm in his, quæ tanquam ſcripturæ ſacræ interpretes ſcripſerunt, ſed etiam in concionibus ad populos, aliiſque quibuſcunque diſſertationibus. Nihilo ſegniùs hiſtoria ſacra eſt ediſcenda, ſacri doctoris maximè propria, vtpote quæ Chriſtianæ Religionis initia, progreſſus, ſeriémque omnem continet, vna nouis opinionibus refellendis idonea: quam qui attentè volutarit, nunquam ſe ab vllis errorum procellis tranſuerſum abripi ſinet: in qua denique animus literarum ſacrarum lectione fatigatus, rerúmque ſublimium meditatione quodammodo exhauſtus, iucundè ſimul, & ſalubriter acquieſcat. Concilia etiam legenda, illius hiſtoriæ pars non poſtrema, in quibus ea quæ ab

Digitized by Google

Eccleſiæ proceribus vndique congregatis circa doctrinam ſtatuta ſunt, tanquam certa, & indubitata proponuntur. Quam verò hîc abſoluti doctoris imaginem delineaui, Abbas eruditiſſime, ea mihi longè petenda non fuit. In te enim tanquam in perfectum Theologi ſpecimen, tuáque ſtudia intuens, quarum rerum cognitio in Theologo requireretur, facilè cognoui. Quippe cùm humanitatis ſtudiis non leuiter, vt aſſolet, incubuiſſes, Philoſophiámque penitus edoctus eſſes, ad Theologiam illam ſcholaſticam gnauiter te accinxiſti. In qua, reliquíſque Theologo dignis ſcientiis, propter admirabilem prorſus mentis tuæ celeritatem, & ſingulare acumen ita excellere viſus es, vt primam lauream, ſi nomen tuum inter candidatos profiteri voluiſſes, ſine dubio relaturus fueris, etiamſi non aliàs natalium ſplendore ceteris præcelluiſſes. tam eximia enim eruditio niſi per ſummam iniuriam debito honoris titulo defraudari non poterat. Ceterùm poſt labores in palæſtra Theologica feliciter conſummatos, honoréſque inde deportatos, otio, aut deliciis te nequaquam corrumpendum tradidiſti: ſed ſtudia iam parta, aliorum gradum faciens, nihil eorum, quæ Theologum ſci-

Digitized by Google

re par eſt, tibi vis eſſe ignotum. libros enim ſacros, & eorum veteres interpretes diligenter conteris: & in hiſtoria ſacra ſedulò verſaris. Sed ex ſuprà memoratis, ea quæ res Theologicas ſpectant, in ſat multis noſtri temporis Theologis fortaſſe inuenire licet. qui verò politioris literaturæ, Græcæ præſertim tantum poſſideant, quantum hactenus inter grauiora ſtudia parauiſti, paucos certè reperias. Quibus ſingularibus ornamentis cum eximia morum comitate, & humanitate coniunctis, cùm inſuper familiæ tuæ nobilitas tanquam lux, quò ſplendeant magis, ſuperfundatur, & te aliàs vitæ integritas præſertim commendet, nullum' eſt in Eccleſia faſtigium, quò tu, ſimul atque ad legitimos annos perueneris, meritò adſpirare non poſſis. Vale.

ROL. MAR. IACOBO SIRMONDO SOCIET. IESV THEOLOGO.

EPISTOLA XIII.

Sirmondo gratulatur, quòd corpore, & animo validus, cùm tamen ſit admodum ſenex, etiamnum literis vacet Eccleſiaſticæque hiſtoriæ: in eo ſtudium & notitiam commendat.

CVM eò ætatis proceſſeris, optime, & eruditiſſime Sirmonde, quò pauci

Digitized by Google

perueniunt, tibi ex animo gratulor, quòd memoria, quæ ſenibus plerumque debilis eſt, tibi firma ſit, nec minùs ingenium conſtet, ſenſúſque adeo ſint integri, vt non ſecus atque olim cùm iuuenis eſſes, indefeſſè ſtudiis literarum vaces. quod tamen non adeo mirum videri debet. *Manent enim,* vt ait Cicero in Catone Maiore, *ingenia ſenibus, modò maneat ſtudium, & induſtria.* In quo mihi refers Platonem, *qui*, vt ibidem legimus, *vno & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt, & Iſocratem, qui eum librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur: cuius magiſter Gorgias Leontinus centum & ſeptem compleuit annos, neque vnquam in ſuo ſtudio, atque opere ceſſauit.* quo quidem nomine te beatum prædico. *Si enim*, vt idem inquit Cicero, *habet aliquod tanquam pabulum ſtudij, atque doctrinæ, nihil eſt otioſa ſenectute iucundius.* Nec verò tu leuioribus ſtudiis animum detines, ſed iis quæ Theologum maximè decent, Eccleſiaſticâ ſcilicet hiſtoriâ, cuius cognitio maximi eſt in rebus Theologicis ponderis. Eius hiſtoriæ te eſſe peritiſſimum, quos paſſim edidiſti libelli affatim oſtendunt, multæque annotationes, & commentarij, quibus antiquorum libros partim per te reco-

Digitized by Google

gnitos, partim primùm publicatos illuſtraſti. quamplurima enim veterum Eccleſiæ ſcriptorum opera, quæ in bibliothecis inedita ſitus informis premebat, & deſerta ſenectus, vt ait ille Poëta, tu magno labore, & ſtudio exſcripſiſti, correxiſti, explicaſti. quod quid eſt aliud quàm iſtis ſcriptis vitam conſeruaſſe? quam forſitan amiſſura erant, poſtquam diu cum tineis, blattiſque conflictata eſſent. At verò iſtud officium qui bonis ſcriptoribus præſtant, eâ, quæ in te eſt, eruditione ornati, quíque parem tuæ diligentiam adhibent, luculentiore plerumque beneficio homines demerentur, quàm ſi nouos ſuo marte libros conderent. vix eſt enim, vt ad antiquorum præſtantiam accedamus: nec alioqui metus eſt, ne libri noui quotidie excuſi nos deficiant; cùm tot vbique ſcriptoribus occurras, nec vilior vllius rei ſit, quàm chartæ iactura: quam tamen plerique non ſolam, ſed ſimul cum fama perdunt. Verùm id de tuis, tuorúmque ſimilibus ſcriptis intelligi nolo, quæ cum priſcis eruditione, & elegantiâ certare poſſunt. In alienis verò à te editis te patriæ amantiſſimum ciuem oſtendiſti, quam maximè commendari cuperes. Non alia enim fere quàm

Digitized by Google

Gallorum opera publicaſti. quod etiam manifeſtiùs teſtatur præclarum Gallicanorum Conciliorum corpus tuâ curâ, & labore congeſtum, & digeſtum. In quo dum Gallicæ conſulis hiſtoriæ, id eſt gloriæ, quòd nempe apud nos tot, & tam ſancta habita ſint Concilia, nos, poſteróſque noſtros eo nomine tibi æternùm deuinxiſti: ſimúlque in iis, quas adiecisti notis te rerum noſtrarum eſſe ſcientiſſimum, & in noſtra hiſtoria diligenter volutatum eſſe, planum feciſti. Voto finienda eſt epiſtola, vt ætatem quam tam bellè fers, Deus tibi adhuc in longum tempus proroget. Nec verò tibi Tithoni ſenectutem precabor, de qua tanquam infelici Græcorum eſt prouerbium, ſed Gorgiæ illius, qui, vt antè dixi, centeſimum annum exceſſit, etiamtum ſtudiis vacans: non poteſt enim eſſe minùs longa illius hominis vita, qui eam totam ad hominum vtilitatem confert. Vale

Digitized by Google

ROL. MAR. DIONYSIO PETAVIO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

EPISTOLA XIV.

Dicit rarò nunc contingere, vt aliquis ſimul ſit in Philoſophia & Philologia egregius. quod tamen apud antiquos fuiſſe vulgare, & in Petauio reperiri.

VVLGO per ſcholas iactari ſolet, vir erudite, eum qui bonus ſit Grammaticus, malum Philoſophum; & contrà, qui bonus ſit Philoſophus, malum Grammaticum eſſe conſueuiſſe. quod verbum nimis quàm verum eſſe quotidiano experimento comprobatur. hac enim tempeſtate qui ſe in linguarum, & Grammaticæ cognitionem penitus inſinuant, vix vnquam ad ſublimiores Philoſophiæ ſpeculationes animum attollunt. contrà verò Phyſicis, Dialecticæ, Metaphyſicis, & quæ ab his initium capit, Theologiæ prorſus dediti, rarò ſe ad politiores literas conuertunt, aut aliquam antiquitatis notitiam ſibi comparare, & quæ ſunt Philologiæ propria tractare curant. Quod profectò fieri non debuit. mirus eſt enim quidam omnium qua-

Digitized by Google

ſi conſenſus doctrinarum, atque concentus: quarum qui orbem illum non tenuerit, is inter abſolutè eruditos locum obtinere nequaquam poterit. & noſtrâ quidem ignauiâ factum eſt, vt artes, quæ vno quodam ſocietatis vinculo continentur, ſeparentur, ac diſſocientur. Ex antiquis enim qui docti haberi volebant, quamuis ſe alicui ſcientiæ potiſſimùm addicerent, tamen reliquas non ſpernebant, nec cum iis inimicitias exercebant. quod nunc pæne fieri peſſimo ſanè exemplo videmus. Tales fuerunt apud Græcos Plato, Ariſtoteles: apud Romanos Varro, Cicero, & alij innumerabiles variis ſcientiis exculti, & in omnium pæne rerum cognitione conſummati: ex quibus Cicero licèt Oratoriæ arti præcipuè ſe mancipaſſet, tamen nulli non Philoſophiæ parti vacauit, nec quicquam omnino, quod eſſet cognitione dignum, ignoraſſe viſus eſt. Apud recentiores verò non ita multos reperire eſt, qui ſublimes ſcientias, & literas humaniores pari ſtudio, & diligentiâ proſequuti ſint. acre enim diſcidium inter eas interceſſit, ita ut qui his faueat, pæne illis bellum indixiſſe videatur: cùm tamen inter Philoſophiam, & Philologiam ſumma debeat eſſe concordia, quæ vt voce parum

Digitized by Google

diſtant, ita mutua ope indigent, & Philo-ſophiæ ſit ornamento Philologia, illa au-tem huic firmamento. Iam verò noſtra æta-te cùm tam multi ſint, qui Theologi, & Philoſophi dici volunt, quotuſquiſque ex his Philologiæ bonam dedit operam, & optimos ſcriptores diligenter contriuit? Ex aduerſo cùm nunc ſint tot Grammatici, & Critici, in linguis, & antiquitate diligen-ter volutati, quotuſquiſque ex his vel leui-ter eſt omnibus Philoſophiæ partibus im-butus? paucis certè contigit, vt Aſteropæi more ſint ἀμφιδέξιοι, hoc eſt, Grammati-ci ſimul, & Philoſophi, paucis, inquam,

———queis arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Qui cùm ingenio, & memoriâ valerent, quibus qui careat, ei certè literis interdici debet, nec iudicio carerent, hiſce naturæ dotibus vehemens ſtudium, & indefeſſum laborem adiunxerunt. qua ratione factum eſt, vt nulla eſſet literarum, nulla ſcien-tiarum pars, quam non perdidicerint, & animo complexi ſint. Turnebus noſtræ Galliæ æternum decus, qui ſuperiore ſæ-culo vixit, quicquid ad antiquitatem, quic-quid ad Grammaticam, quicquid denique ad interiores literas ſpectat, id omne ſtu-

diosè

Digitized by Google

dioſè perdidicerat, & in numerato habebat. quod eius aduerſaria, verè omnis eruditionis pandectæ comprobant. Idem tamen in Mathematicis ſcientiis, & in omni Philoſophiæ parte detritus erat. quod quædam de ea diſſertationes editæ liquidò oſtendunt, & Græcarum literarum profeſſionis permutatio cum Lambino Philoſophiæ profeſſore facta, cui alioquin iſte non valde idoneus videbatur. Cuius vt id obiter dicam, Philoſophiæ inſcitia Ioſepho Scaligero doctiſſimo aliàs viro, ab obtrectatoribus obiecta eſt. Sed cur ab alio ſæculo virorum, non minùs reconditioribus, & altioribus, quàm humanioribus diſciplinis eruditorum exempla arceſſam; cùm tu nobis hodie, Petaui, viuus vidénſque in oculos incurras, in omni literarum genere conſummatiſſimus? quas etiam propemodum omnes ſcriptis tractaſti. orationes enim diſertiſſimas ſcripſiſti: varia etiam vtrâque linguâ poëmata. Quid de tot Græcorum ſcriptorum in Latinum ſermonem conuerſionibus dicam? quid de Pſalterio Græcis verſibus poſt Apollinarem reddito? quid de tot eruditis in varios auctores commentariis? Sed hæc, quanquam ſunt magna, tanquam minora omitto, vt ad maiora veniam.

Digitized by Google

Sanè quæ de temporum doctrina ſcripſiſti, talia ſunt, & tam multa, vt ea vni homini ſcripſiſſe ſatis ſupérque eſſe poſſit. quorum rationario edito magnam ab omnibus, etiam à doctis, iniiſti gratiam, quibus vniuerſam eam doctrinam velut in indice breuiter ob oculos poſuiſti. Sed rurſus ea omnia quanquam eximia, parua videri poſſunt ad ingens, & præclarum de Theologicis dogmatibus opus: cuius partem edidiſti, partem adhuc præ manibus habes. quod quidem omnium huiuſce argumenti ſcriptorum inſtar eſſe poterit; quo nempe continebuntur quæcunque ad rem Theologicam pertinent, & in ea tractari, & agitari poſſunt: eáque non ex recentium Theologorum lacunis hauſta, ſed ex puriſſimis veterum Eccleſiæ Doctorum fontibus deprompta, neque rudi, & illoto ſermone, qualis vulgarium Theologorum eſſe ſolet, ſed puro, & terſo ſcripta. In eo opere verò vt omnium præſtantiſſimo, tuorum ſcriptorum catalogus finiatur. nam omnia perſequi prope infinitum ſit. Quæ cùm ita ſint, meritò te inter eos qui boni Philoſophi ſimul & Grammatici fuerunt, quíque non modò multùm, ſed etiam optimè ſcripſerunt, quod non paſſim contingit, numerare poſſumus. Vale.

ROL. MAR. IOANNI FRATRI S.

EPISTOLA XV.

Fratris dotes tractat; vt ad Chlodoueum illius poëma epicum veniat: vbi de Poëtis epicis loquitur.

VELLEM, frater cariſſime, otij, quod mihi ſupereſt, portio aliqua tibi contingeret: vt legendi, ſcribendi, & ea quæ in feliciſſimo, & fœcundiſſimo ingenij tui ſolo proueniunt, expromendi tibi facultas eſſet. Fatendum eſt enim te iis à natura dotibus eſſe ornatum, quæ ad ſcribendum non parum conferunt: inuentionis primò felicitate, quod in ſcriptis, præſertim poëticis caput eſt rei: deinde eloquij ſuauitate, & facilitate: poſtremò deſcriptionum ornatu, & magnificentiâ, ſine quibus poëſis, quæ pictura loquens dicta eſt, hunc titulum tueri non poteſt. Quæ ad ſcribendum ſubſidia tam vbertim tibi contigiſſe minùs mirabitur, qui nouerit etiam alias dotes à natura in te collatas, quibus cum poëſi omnino conuenit: Muſicam inprimis illius germanam ſororem, cùm olim iidem eſſent vates, & cantores, quam non vulgariter

didiciſti, vtpote αὐτοδίδακτος: Picturam, quam ſimili modo edoctus es, quæque poëſis muta dicta eſt, in deſcriptionibus maximi adiumenti: Architecturam, cuius ope tam admirabiles ædificiorum formas in libris tuis deſcripſiſti. Quæ ingenij ornamenta inter ſe conuenientia, & ex eadem animi facultate naſcentia qui poſſident, eum non Muſis iratis natum, ſed ab iiſdem ad poëſim omnino factum iure merito dicere poſſumus: de qua Cicero verè dixit, *ceterarum rerum ſtudia, doctrinâ, præceptis, & arte conſtare, Poëtam naturâ ipſâ valere, & mentis viribus excitari, & quaſi quodam ſpiritu diuino afflari.* Verùm neſcio quo fato factum eſt, vt tibi difficilium negotiorum mole ſemper obruto, vix vnquam tantiſper ſtudiis vacare licuerit: nec etiam nunc fortuna felicibus ingeniis nunquam ſatis æqua tantùm tibi temporis, & otij indulget, vt varia, quæ incœpta habes opera, poſſis ad calcem perducere. Inter quæ minimè licere Chlodoueo tuo manus interdum admouere, non tibi tantùm, ſed etiam omnibus Gallis dolendum eſt. in eo enim poëmate patriæ decus cum gloria tua coniunctum eſt: ad quod perficiendum animo aliquantùm defæcato, curiſque libero opus eſſet. poëma nam-

que epicum, qui eſt ſummus poëſeos conatus, non leui brachio tractari debet; in quo nempe tot requiruntur, cuique ingenti ſpiritu proſequendo tam pauci etiam ex antiquitate ſuffecerunt. Poſt Homerum enim, & Virgilium, alióſque nonnullos, quis epici Poëtæ nomine propriè dignus eſt? ſiquidem Lucanus, & Silius, quanquam aliàs boni Poëtæ, vix in eo numero reponi debent. Lucanum dixit Martialis quibuſdam ſua ætate non viſum Poëtam. Quintilianus *Oratoribus magis quàm Poëtis annumerandum*. Silius maiore cura quàm ingenio carmina ſcripſit, & hiſtorico pæne filo bellum Punicum ſecundum verſibus compoſuit, pauca hiſtoriæ figmenta admiſcens. At, vt ait Petronius, *non res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod longè meliùs Hiſtorici faciunt, ſed per ambages, Deorúmque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt ſpiritus: vt potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides*. Statius vtroque ſublimior, vel potiùs tumidior, vt in argumento fabuloſo plura quàm illi, adhibet figmenta. Sed Hiſtoricorum more, non Poëtarum, qui ſyſterologiâ fere vtuntur, carmen conſcripſit, à diſcordia fratrum exordiens, & ad eorum exitium, bellíque exi-

Digitized by Google

tum rem deducens. Ex recentioribus duo Itali, Arioſtus & Taſſus, in eo genere maximè excellere viſi. Prior multa habet egregia, in argumentis inueniendis valde ingenioſus, in carmine mirè ſuauis, & iucundus: ſed idem multa intexit lyrica, & quædam κωμικώτερα, adde etiam obſcæna, carminis epici ſeueritati minùs congruentia: & ex vno argumento in aliud ſtatim deſilit, excurſus tantùm breues tentat. Taſſus multorum iudicio aliquantùm ad antiquos acceſſiſſe, & eorum artem ſatis videtur ſeruaſſe, niſi quòd acuminibus ſententiarum, & argutiis à recentioribus vſurpatis nimis indulſit, quæ non ſatis poëmatis grauitatem decent, quam vbique ſeruare oportet. Nos vnum habemus Ronſardum, eximium ſanè Poëtam, qui id animi, & ſpiritus ſumpſerit, vt poëma epicum ſcribere aggrederetur. Sed minimè expectationi, quam de eo reliqua opera fecerant, reſpondiſſe viſus eſt, & prudenter incœptum abrupit. Certè multa eo in opere reprehenduntur: primùm ibi inuentio, quæ potiſſima eſt, friget, nec quæ fingit, magnopere legentibus arrident: vbique nimiùm ſeruiliter antiquis Poëtis, vt in reliquis ſcriptis, addictus, nunquam ab eorum veſtigiis latum vnguem

diſcedit. quod cùm aliquando ſit laudabile, tamen ſi ſemper, & extra rem ſeruetur, putidum eſt. Orationes adeo longæ ſunt, quod & in Claudiano vitium notaui, vt Poëtam ex ſua perſona loqui putes: in quibus etiam comparationes, ſi Deo placet, amplificandæ rei cauſâ admiſcet: alicubi fingit prædici regibus nondum natis euentura; quæ ſingillatim tanquam Hiſtoricus pertexit, non tanquam à vate prænuntiari facit. Cetera prætereo. Sed, vt ad te tandem veniam, Chlodouei baptiſmum, réſque eius præcipuas bello geſtas, carminis argumentum optimo conſilio videris ſumpſiſſe: in quo patriæ tuæ immortali gloriæ non parum tua Muſa ſubſeruit, Virgilij exemplo, qui Æneam Romanæ gentis, ſimúlque Iuliæ familiæ auctorem celebrandum ſuſceperat. Nam rex ille egregius fuit, & multa præclarè geſſit, is qui primus noſtrorum Principum veram Religionem amplexus ſit, Galliarum maximam partem ſubactis incolis occuparit, Alamannos acie victos domuerit, Gothicúmque Imperium in Aquitania euerterit. Harum rerum hiſtoria antiquiſſima, vtpote à mille & ducentis annis repetita, multa fabuloſa, quæ poëmati inſerantur, admittit. quod in

Digitized by Google

rebus recentibus non perinde licet. quid, quòd ipſa ex ſe quædam habet fabulis propiora, vt de liliorum inſigni è cælo delapſo, & aliis quæ Poëta ingenioſus oblata non ſibi excidere patitur, ſed mirum in modum amplificat, & exornat. In eo opere epici poëmatis leges ſatis exactè videris obſeruare. Ibi enim omnia ex illarum præſcripto, quanquam temporibus diſiuncta, anni ſpatio includuntur, & per ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς referuntur: quamplurima meo iudicio ſatis appoſitè finguntur, & iucunda ἐπεισόδια exornandæ rei, & delectando lectori paſſim adiiciuntur. quid de deſcriptionum varietate dicam? quid de comparationum magnificentia, quas ſuis locis venuſtè admiſces? non iam de verſuum rotunditate, verborúmque granditate loquor. quibus omnibus virtutibus qui careat, is epici carminis maieſtatem dedecorat, & verſificator potiùs quàm Poëta nominandus eſt. *Effugiendum eſt enim*, vt ſuprà dictus Petronius ait, *ab omni verborum vilitate, & ſumendæ voces à plebe ſummotæ, vt fiat, Odi profanum vulgus, & arceo.* Ad hæc exequenda non malum exemplar tibi propoſuiſti Virgilium: quem tamen non ſeruiliter imitaris: quod quidam fecerunt, per ſingula il-

Digitized by Google

lius veſtigia euntes, quódque ipſi Virgilio in Homero imitando obiectum eſt: ſed eius generalem ideam, & colorem, quantum in te eſt, exprimis. Verùm de tuo poëmate alij incorruptiùs iudicabunt. ſentio enim me fraterno amore abreptum in tuis laudibus longiùs quàm putaram proceſſiſſe. Vale.

ROL. MAR. PETRO MARCÆ CONSORANNENSI EPISCOPO illuſtriſſimo S.

EPISTOLA XVI.

Fructum præcipuum doctrinæ, vtilitatem publicam eſſe ait: ac proinde illuſtriſſ. Epiſcopum commendat, quòd non ſibi ſolùm ſit doctus, ſed etiam aliis doctrina ſua proſit: deinde eius varia munera recenſet.

SCIENTIA res eſt profectò præclara, cuiúſque poſſeſſio meritò quibuſuis rebus etiam pretioſiſſimis anteponi debeat. Sed illa diuerſis ex cauſis ambitur. alij enim ſtudiis nauant operam, vt rem ſuam familiarem conſtituant, & quæ vitæ ſunt neceſſaria, inde comparent. quod propoſitum humile eſt, & illiberale, nec ſatis literarum

Digitized by Google

nobilitate dignum. alij trahuntur ad ſcientiæ cupiditatem, quâ nihil eſt hominibus iucundius, vt animos ſuos varia rerum cognitione paſcant, quæ cauſa eſt legitima. alij literis exornari cupiunt, non ſolùm vt doctiores, ſed etiam potiſſimùm vt meliores fiant, rectiúſque & tranquilliùs viuant. qui ſcientiæ parandæ finis maximè ſpectandus eſt. ſtudia enim noſtra magis huc tendere debent, vt animum virtute, quàm doctrinâ inſtruant. Sed meo iudicio ij omne punctum tulere, qui ſcientiam ſuam ad actionem, aliorúmque vtilitatem referunt. Et reuera generoſum eſt, & magnificum, literarúmque gloriæ conueniens, hominem doctrinâ ornatum, quæ ex ea acceperit, in publicum conferre, ſiue bella geri oporteat, ſiue legatione graui pro rep. fungi, ſiue prouincias adminiſtrare. Talis es hodie inter nos, vir præſtantiſſime; qui cùm variis ſcientiis animum excoluiſſes, tibi tantùm videri ſtuduiſſe noluiſti, ſed hanc cognitionem ad publicam vtilitatem contuliſti. quod certè recto iudicio, & generoſo propoſito à te factum eſt. Vt enim ait Cicero, *veri inueſtigandi ſtudio à rebus gerendis abduci contra officium eſt. virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit.* Itaque primùm in ſupre-

ma patriæ tuæ Curia Præſidis honorifico munere functus es: cùm eam dignitatem tibi natalium ſplendor, Iuríſque peritia, & virtutis fama à Principe conciliaſſent: ex qua ius dicendo, litéſque terminando magnam æquitatis, & iuſtitiæ laudem reportaſti. Deinde cùm Benearnia angulus ille Galliæ, non ſatis amplum virtuti tuæ eſſet theatrum, nominis tui fama latiùs emanante, idem Princeps euocatum te in Conſiſtorium allegit: in quo grauiſſimis rebus tractandis magis magíſque prudentia tua, & ſagacitas enituit. Demum cùm quærceretur aliquis animi, ingeniíque magnitudine præditus, & populos regendi arte inſtructus, qui Cataloniâ recèns in noſtram fidem receptâ, Barcinone negotiis publicis præeſſet, eámque gentem nobis non ſatis fidam in obſequio contineret; tu ſtatim occurriſti, qui tam difficile munus optimè obire poſſes. quod omnino præſtitiſti, & populum factionibus ſciſſum, rerúmque nouarum expectatione ſuſpenſum vſque adhuc in officio, & noſtri imperij beneuolentia retinuiſti. Quod verò in te maximè miror, inter difficillima negotia, grauiſſimáſque occupationes ſtudia nunquam intermittis, ſempérque tibi ſunt aliquæ horæ

ſubſeciuæ, quibus tibi, literiſque vacas.
——————*animúſque viciſsim*
Aut curam impendit populis, aut otia Muſis.
Quin etiam, quod adhuc mirabilius eſt, nullâ negotiorum incuriâ, nullo reip. damno libros ſcribis, qui variam tuam eruditionem, & diligentiam arguunt. doctos enim, vberéſque commentarios, quibus antiquitates patrias tam enucleatè explanas, compoſuiſti, aliiſque lucubrationibus in lucem editis, tum de concordia ſacerdotij & imperij: tum de primatuum origine, tuam in vtroque Iure, & in reconditiore Eccleſiaſtica antiquitate peritiam oſtendiſti. In quo mihi ſummos illos Romanos viros refers, qui in caſtris, in prouinciis, in vrbanis magiſtratibus declamabant, ſtilo operam dabant, libros componebant: vt Cæſaris exemplo patet, qui libros de Analogia in tranſitu Alpium, Anticatones ſub tempus Mundenſis prælij fecit. Nam de Commentariis mentionem non facio, quos facilè & celeriter, vt ait Hirtius, ſcripſit. Sed, vt ad epiſtolæ finem veniam, reſtat conſiderandum, vt Deo, rerúmque diuinarum contemplationi vergentem tuam ætatem dicaueris. quod exemplo item magnorum virorum feciſti: qui egregiis rebus

geſtis ætatis clauſulam Deo conſecrarunt, & poſt actuoſæ, & exercitæ vitæ tempeſtates in portu mori optarunt. Verùm ne tum quidem Princeps te tibi tantùm vacare permiſit, ſed te etiam aliis conſulere voluit. ſiquidem Epiſcopum renuntiauit. quoniam quem publica, & ſecularia negotia tam integrè, & prudenter adminiſtraſſe cognouerat, res quoque ſacras, & Eccleſiaſticas non minore probitate, & ſolertiâ geſturum iudicauit. quanquam Cataloniæ tempora dura & difficilia huc vſque non ſunt paſſa te licèt valde cupientem iſto munere defungi: nec Rex ex prouincia diſcedere permiſit, cùm eam exiſtimaret breui amiſſum iri, ſi tuo gubernaculo in tantis procellis deſtitueretur. Sed hæc ſatis. benefacere enim, quàm benefacta tua audire te malle planè confido. Itaque valebis, méque tuæ virtutis, doctrinæque admiratorem in numero tuorum habebis. quod vt facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. IACOBO GAVDINO DOCTORI THEOLOGO, & Regio Philoſophiæ Profeſſori.

EPISTOLA XVII.

Gratulatur de noua Philoſophiæ Regia profeßione, ſuadétque vt nouam ineat eam docendi rationem.

ANTEA ad te ſcripſi, mi Gaudine, de prauo, vt mihi quidem videtur, Dialecticam docendi more, qui ab aliquot ſæculis in ſcholis inoleuit: quaſi animo præſagiens te aliquando honeſtiore conditione, & maiore mercede, quàm antea fuiſſes, eius ſcientiæ magiſtrum futurum: non quidem quòd eiuſmodi monitis opus haberes, qui verum Logicæ vſum probè animo perceperis; ſed tantùm vt meam ea de re ſententiam aperirem. Et antea quidem cùm eſſes Theologiæ candidatus, Philoſophiam vſitato iampridem more docuiſti, ſcilicet vt potiſſimùm iis inſeruires, qui ad Theologiam ſe conferre vellent. In præſenti verò cùm regiis ſtipendiis ſis Philoſophiæ Profeſſor inſtitutus, nouam tibi eius docendæ rationem exponere volo. quamuis ve-

rò fortaſſe dicturus ſis, ſus Mineruam, vt eſt in prouerbio:

————tamen aſpice, ſi quid
Et nos, quod cures proprium feciſſe, loquamur.

Conſilio vtêris tuo arbitratu. Cùm tot ſint in vrbe magiſtri, qui diſcipulos ſuos ex more antiquitus recepto σοφιστικῇ & ἐρι-στικῇ illâ Philoſophiâ inſtituant, & id tantùm ſpectare videantur, vt eos ſtudiis Theologicis præparent, quæ nunc tota ex argutatrice illa Philoſophiâ pendet; tu, ſi me audias, aliam viam inſiſtes, verámque, nec adulteratam Dialecticam, reliquáſque pariter Philoſophiæ partes docebis; nec quicquam ex lacunis recentium Philoſophorum, ſed ex ipſo Ariſtotelis fonte omnia hauries; ſermonéque puro, & terſo quantum materiæ difficultas patietur, vtêris, & paſſim ex bonis auctoribus huc pertinentia admiſcebis, reciſis infinitis quæſtionibus, quæ irritum tantùm acumen exercent, & ad rem parum faciunt: demum ita te in docendo comparabis, vt qui ſe foro præparant, aut liberalia ſtudia, politioréſque literas conſectantur, te libenter audiant, malíntque ex te legitimam Philoſophiam, quæque in ea Ariſtoteles vir tantæ ſubtilitatis, & doctrinæ inuenit, addiſcere, quàm

Digitized by Google

ROL. MAR. IACOBO GAVDINO DOCTORI THEOLOGO, & Regio Philoſophiæ Profeſſori.

EPISTOLA XVII.

Gratulatur de noua Philoſophiæ Regia profeſſione, ſuadétque vt nouam ineat eam docendi rationem.

ANTEA ad te ſcripſi, mi Gaudine, de prauo, vt mihi quidem videtur, Dialecticam docendi more, qui ab aliquot ſæculis in ſcholis inoleuit: quaſi animo præſagiens te aliquando honeſtiore conditione, & maiore mercede, quàm antea fuiſſes, eius ſcientiæ magiſtrum futurum: non quidem quòd eiuſmodi monitis opus haberes, qui verum Logicæ vſum probè animo perceperis; ſed tantùm vt meam ea de re ſententiam aperirem. Et antea quidem cùm eſſes Theologiæ candidatus, Philoſophiam vſitato iampridem more docuiſti, ſcilicet vt potiſſimùm iis inſeruires, qui ad Theologiam ſe conferre vellent. In præſenti verò cùm regiis ſtipendiis ſis Philoſophiæ Profeſſor inſtitutus, nouam tibi eius docendæ rationem exponere volo. quamuis ve-

rò fortaſſe dicturus ſis, ſus Mineruam, vt eſt in prouerbio:

——————tamen aſpice, ſi quid
Et nos, quod cures proprium feciſſe, loquamur.

Conſilio vtêris tuo arbitratu. Cùm tot ſint in vrbe magiſtri, qui diſcipulos ſuos ex more antiquitus recepto σοφιστικῇ & ἐριστικῇ illâ Philoſophiâ inſtituant, & id tantùm ſpectare videantur, vt eos ſtudiis Theologicis præparent, quæ nunc tota ex argutatrice illa Philoſophiâ pendet; tu, ſi me audias, aliam viam inſiſtes, verámque, nec adulteratam Dialecticam, reliquáſque pariter Philoſophiæ partes docebis; nec quicquam ex lacunis recentium Philoſophorum, ſed ex ipſo Ariſtotelis fonte omnia hauries; ſermonéque puro, & terſo quantum materiæ difficultas patietur, vtêris, & paſſim ex bonis auctoribus huc pertinentia admiſcebis, reciſis infinitis quæſtionibus, quæ irritum tantùm acumen exercent, & ad rem parum faciunt: demum ita te in docendo comparabis, vt qui ſe foro præparant, aut liberalia ſtudia, politioréſque literas conſectantur, te libenter audiant, malíntque ex te legitimam Philoſophiam, quæque in ea Ariſtoteles vir tantæ ſubtilitatis, & doctrinæ inuenit, addiſcere, quàm

ad alios Philoſophos βαρβαρίζοντας accedere. Etenim, ſi verum amamus, iſte mos diſputandi, & altercandi priſcis Peripateticis fuit incognitus: & quæ nunc inualuit Philoſophia, parum mihi videtur legitima. præſertim verò Dialectica longè ad aliud inſtituta eſt, quàm vt de ea ſine vllo quæſtionum fine, aut modo argutemur, quæ tanquam ὄργανον reliquis artibus addiſcendis inſeruire debet: ſi verò malè doceatur, nec eius præceptiones ad vſum reuocentur, remora potiùs eſt, & in percipiendis ſcientiis impedimentum. Quare Simplicius rectè monet, *ne diſcipulus Ariſtotelicus in texendis argutiis, & ſophiſmatis Logicæ vſum poſitum eſſe putet, ſed potiùs in præceptorum Logicorum ad res quæ in diſciplinis tractantur, accommodatione, vt ſophiſta potiùs euadat, quàm ſincerus Philoſophus:* Seneca quoque, & Quintilianus pariter docent, *in Dialectica non eſſe ad minimam anxietatem, & ineptas cauillationes deueniendum: concidere enim illas ingenia, & comminuere generoſam indolem in eas argutias coniectam.* Itaque ſi viam iſtam tritam reliqueris, exquiſitioréque, & elegantiore modo philoſophari inſtitueris, non dubius ſum, modò in munere tuo aſſiduitatem, & diligentiam, quàm nunc aſſolet, maiorem adhibeas,

Digitized by Google

hibeas, quo es ingenio, doctrinâ, iudicióque præditus, quin te docente non minor futura ſit auditorum in ſchola Regia frequentia, quàm olim Turnebo, Lambino, aliiſque doctis viris profitentibus fuit. Cuius ſcholæ cùm incredibilem ſolitudinem conſpicio, cauſáſque tantæ mutationis apud me exquiro, Plinij verba in mentem veniunt, de ſui temporis negligentia circa agriculturam querentis: *huius ſomni cauſas quis alias, quas publicas mundo inuenerit? nimirum alij ſubiere ritus, circáque alia mentes hominum detinentur, & auaritiæ tantùm artes coluntur.* quanquam ſunt aliæ præterea cauſæ, quas hîc non libet commemorare. Sed tu, & aliquot, qui etiamnunc eſtis docti Profeſſores, ſi veſtro officio defungi feriò vultis, auditorio celebritatem reddere poteritis. Quare, vt epiſtolam claudam, de munere in te collato non tam tibi gratulor, quàm ſcholæ Regiæ. per te enim, illóſque Profeſſores antiquum eam decus, priſtinámque gloriam recuperare poſſe fortaſſe non eſt deſperandum. Vale.

ROL. MAR. CLAVDIO HARDIO IN PRÆTORIO PARISIENSI Conſiliario S.

EPISTOLA XVIII.

De litium multitudine, quæ vbique, ſed præcipuè in Gallia viget; queritur quam magna ex parte Iuri Romano acceptam refert.

VEHEMENTER nonnunquam obſtupeſcere ſoleo, vir clariſſime, quî tanta labes, & corruptela in noſtros mores inuecta ſit, vt inter nos tot litibus omnia ferueant: quæ variis hominum inde quæſtum captantium artibus ſæpe plures in annos protrahuntur, itaut litigantium res longo litis ſufflamine, vt ait Iuuenalis, atteratur. quanquam nec apud nos ſolos vigent lites, & in vſu frequenti ſunt, (apud quos tamen væna litas magiſtratuum multùm ad earum propagationem facit) ſed etiam apud omnes fere Europæ gentes, quas eodem laborare incommodo videmus, licèt non omnino tam graui. Vt enim Medicorum multitudo iuxta Arceſilai verbum morbos parere dicitur: ſic Iudicum, Patronorum, Procuratorum, & aliorum huiuſmodi foro

operam dantium turba, quæ apud nos quotidie augetur, quò nummos in officiorum emptionem impenſos reficiat, litibus gignendis, ac multiplicandis non parum confert. Cúmque in hoc maximè reges inſtituti ſint, vt populis ius dicant, & eorum lites quàm citiſſimè, & nullo cum impendio finiant, eæ iam nullum finem habent, & apud nos eò deuentum eſt, vt qui nummos non habet, ei ius denegari iure poſſit, licèt etiam parentem ſuum interfectum eſſe conqueratur, & apud iudicem cum ſicario actione expoſtulet. quam barbariem moribus noſtris eſſe receptam vix credituri ſunt etiam barbari. Sed huc non vnis gradibus deſcenſum eſt, & pedetentim morbus iſte, vt etiam alij complures, inualuit. quod Gallici imperij ſenectutem arguit, cuius diſciplina longo annorum curriculo labefactata ſit. Alia quidem apud alios populos in iure dicundo deſiderata ſunt, & etiamnum deſiderantur: ſed hæc vitia, & incommoda leuia ſunt, ſi comparentur venalitati apud nos iudiciorum. quæ tamen tolerabilior eſſet, ſi ea propter lites breuiori tempore ad exitum deducerentur. Verùm contrà euenit. lucri enim cupiditas facit, vt illis multiplicandis, & in longum tempus proferen-

Digitized by Google

dis, omnibus technis, & artibus ſtudeatur: itaut mirari interdum ſubeat, multos non inueniri, qui malint litem perdere, quàm baſilicas palatinas cum tot moleſtiis tamdiu frequentare, tantiſque impenſis iudicio contendere, & Martialis cum ratione exclamaſſe in Gargilianum mihi videatur.

Ah miſer & demens! viginti litigat annis
Quiſquam, cui vinci, Gargiliane, licet.

Quæ peruicacia, & in litigando obſtinatio in eo eſt deteſtabilior, quòd ſacris literis inter nos lites exercere vetamus, & ei qui iudicio nobiſcum volet contendere, & tunicam noſtram poſcet, etiam pallium dimittere iubemur: quódque profanos, & noſtræ Religionis hoſtes fere à litibus abſtinere videmus: itaut Clenardus, qui in Africa fuit, illic prouerbio iactari referat, Chriſtianos opes litibus perdere, Iudæos feſtorum dierum conuiuiis, Mauros celebrandis nuptiis: nec illic vllas fere alias eſſe lites, niſi de diuortiis: quæ tamen in foribus templorum ſtatim, & de plano terminantur. Apud Turcos etiam ius confeſtim dicitur, aliquando fortaſſe iniquè: ſed id non tanti eſt. ea enim iudiciorum iniquitas contra ſingulos, vtilitate publica rependitur. Nec eam conſuetudinem improbo, quæ apud quaſ-

Digitized by Google

dam gentes in vſu eſſe dicitur, vt viatores orent ius ipſis dicere, & quomodocunque libeat, cauſas ipſorum componere. quomodocunque enim litibus abſolui ſatius eſt, quàm eis tot annos cum tædio, & labore diſtineri. Audio etiam alicubi eum eſſe morem Nundinarum die aliquem eligi, qui ciuium controuerſias ſummo cum imperio tollat, à quo non ſit prouocatio. ad quid enim tot prouocationum, & iuriſdictionis gradus, niſi vt cum damno temporis, & pecuniæ, incommoda, itinera, & immenſi labores ſuſcipiantur? Nam cauſæ toties agitatæ, & diſcuſſæ non æquiùs iudicantur. Sed vnde hęc peſtis Galliam potiſſimùm inuaſit? Vt liberè dicam quod ſentio, licèt fortaſſe irritaturus crabrones, opinor inter ceteras mali cauſas eam eſſe non poſtremam, quòd nunc non tantùm flagitiis, ſed etiam legibus laboramus: ex quarum multitudine litium examina naſci ſolent, vt ſcripſit Plato, vitáque, & mores praui exiſtunt. nec ſatis nobis conſuluiſſe Philippum Pulchrum exiſtimo, qui poſtquam Academias Iuris inſtituiſſet, baſilicam etiam adeo magnificam Lutetiæ extruxerit, vbi ius à iudicibus ea in vrbe perpetuò commorantibus diceretur. nam antea fixas ſedes non habebant,

Digitized by Google

ſed per prouincias vagabantur, plerumque, vt puto, in comitatu regio. Lipſius certè epiſtolâ ad Robianum Senatorem dicit, *dubium eſſe bone-ne conſilio ius Iuſtinianæum in vitam, & uſum à Lothario Imperatore reuocatum ſit: quòd ſeminarium eſſet ingeniis, ad calumnias, fraudéſque pangendas.* Vt enim Cæcias ventus nubes quas debet pellere, attrahit, ſic leges iſtæ, quæ tollendis diſcidiis, & controuerſiis collectæ erant, contrà eas alere videntur. Certè quibus in regionibus ius iſtud magis in vſu, & pretio eſt, ibi quoque lites maiorem in modum ſuccreſcere, & pullulare videmus: quæ è Iuſtiniani libris naſcuntur, non ſecùs atque è ſparſis à Cadmo ſerpentis dentibus armati homines ſuboriebantur. quod illuſtri patuit exemplo, cùm Matthias Coruinus Pannoniæ rex celebres Iuriſconſultos ex Italia euocauiſſet. cùm enim ex iſtis legibus magnam ad ſuos vtilitatem redituram putauiſſet, contrà euenit; ſtatímque in regionem litium ſemina per eas inuecta ſunt. quod vbi rex prudentiſſimus perſpexiſſet, continuò Iuris Antiſtites illuc, vnde malum pedem intulerant, redire iuſſit. *non quin illis legum voluminibus multa inſint bona, & à ſæculo veteri*, vt idem Lipſius ait: *ſed rurſus quàm mul-*

Digitized by Google

ta ſunt quæ vſum non habent, quàm multa implicata, quàm multa inter ſe pugnantia! ex illis quidem Iuriſconſultorum reliquiis antiquitatis cognitio, ſermonis Latini elegantia, egregiæ ſententiæ, & decreta ex intima Philoſophia deprompta, quæ quibuſlibet inſtitutis accommodantur; multa etiam Iuris Romani propria, quæ ſapienter fuerunt inuenta, peti poſſunt. Sed minima quæque tanto ſtudio, tantáque ſcrupuloſitate expendere fortaſſe minùs neceſſe ſit; cùm pleraque ſint obſcura, & nullius apud nos vſus, vtpote à noſtris conſuetudinibus valde abhorrentia, multa ante Iuſtinianum toties immutata, multa ab ipſo deníque abrogata. Sed plura non auſim contra homines formularum peritos, qui mihi ex facili dicam impingant, maximè cùm illos

Defendat numerus, cinctæque vmbone phalanges.

Quanquam quod hîc affero, non tam ex meo, quàm ex ſummorum virorum ſenſu promo, Iuſti Lipſij, quem ſuprà nominaui, viri doctiſſimi, & prudentiſſimi, Franciſci Hotomani, & aliorum: qui quidem Hotomanus cùm eſſet Iuris conſultiſſimus, in quo nempe totum vitæ tempus contriuerat, tamen vi veritatis adactus, & re doctus libellum compoſuit Antitribonianum nomi-

ne: quo verè aureo libello probare nititur ius Iuſtinianæum longè à noſtro recedere, & planè diſcrepare, ideóque nobis eſſe inutile, imò fortaſſe noxium, ob lites, quas ex eo oriri teſtis eſt experientia: quod ſi non ita eſſet, tamen ex eiuſmodi centonibus parum inter ſe cohærentibus, nec ſatis rectè conſarcinatis ius Romanum ediſci non poſſe: ideóque in eo docendo malè conſuli iuuentuti, quæ tot per annos, tantáſque vigilias res addiſcere compellatur, quæ iam tum Iuſtiniani æuo magna ex parte eſſent antiquatæ, quæque hodie ad vſum vix referri poſſint. Quam ſuam ſuper his ſententiam cùm magno Galliæ Neſtori Michaëli Hoſpitali approbauiſſet, vir ille ſummus, & ipſe Iuris peritiſſimus dicitur, ſi per turbas licuiſſet, in animo habuiſſe, quod de Cæſare refert Suetonius, ius noſtrum ciuile ad certum modum redigere, atque ex immenſa, diffuſáque legum copia optima quæque, & maximè neceſſaria in pauciſſimos conferre libros. Ad te verò, de his rebus, vir doctiſſime, pluribus ſcripſi, quoniam cùm iudicandi munere magna cum integritatis, & induſtriæ laude fungaris, tamen non ſoli, quod huc confert, ſtudio deditus es, vt nimis auſtero, & minùs amœno, ſi non alias

Digitized by Google

ſimul literas tractes : ſed poſtquam quotidiano munere defunctus es, in bibliothecam libris omnis generis refertiſſimam te abdis, ibíque animum varia lectione paſcis, vt qui non vulgatis iſtis literis tantùm, ſed etiam Mathematicis ſcientiis inſtructus es ; neque ſolùm linguis, quæ nunc triuiales habentur, Græca, & Latina, aliiſque vſus vulgaris, ſed etiam planè exoticis, quæ Orientales dicuntur, es eruditus ; quarum ope quidquid quâcunque linguâ ſcriptis proditum eſt, ſine interprete intelligis. Qua in re prudentiſſimè facis, quòd actuoſæ vitæ otioſam grata, commodáque viciſſitudine interponis, & cùm aliis ius dicendo proſpexeris, tibi etiam iſto labore ſolutus vacas. Quod cùm rarum ſit in tuæ conditionis hominibus, quorum plerique non alias fere chartas, quàm litigantium excutiunt, & inſpiciunt, nec libros, ſed libellos, vt ait Martialis, legunt, eo te illis ſapientiorem, ac proinde beatiorem eſſe iudico. Vale.

ROL. MAR. HIERONYMO BIGNONIO REGIS IN SENATV PARISIENSI Aduocato S.

EPISTOLA XIX.

Regij fiſci Patroni munus commendat, & in quo ſitum ſit demonſtrat: tum in Bignonij laudes exſpatiatur.

EX omnibus ſupremarum Curiarum magiſtratibus, nullus eſt dubio procul, qui tantam difficultatem, parémque induſtriæ laudem habeat, atque is quo tu, vir ampliſſime, fungeris, & qui proinde cum eo meritò comparari debeat. ſiquidem non eſt alius in quo ingenij, doctrinæ, iudiciíque dotes magis explicari poſſint. qua enim ingenij celeritate præditum eſſe conuenit eum, qui innumerabiles cauſas quotidie in mente & memoria habere cogatur, de quibus ſæpe non præmeditato, ſed fere ex tempore dicendum ſit? quo doctrinæ penu inſtructum, qui de quacunque controuerſia ſententiam exponere ſemper paratus ſit? quo iudicio ſubnixum, qui iudicibus quid ſequantur, præire ſoleat, in cuius verba

Digitized by Google

ſæpe Senatuſconſulta fiant? nam mitto qua auctoritate, & dignitate ſpectabilem eſſe deceat eum, cuius verbis à iudicibus indubitata fides habeatur, cùm litem, quæque inter litigatores tranſacta ſunt, refert. Quid verò dicam de Cenſoris officio, quod quaſi perpetuò exercet, non quidem cum poteſtate decernendi, ſed referendi? dum quaſi βασίλεως ὄφθαλμος, ſemper vigilat, & diligenter obſeruat, ne quid in moribus labet, neu quid contra regis regníque iura, quorum Patronus eſt, ſenſim irrepat & inducatur. Hoc tam difficili, tantæque dignitatis munere, quod viri præſtantiſſimi Menilij, Mariones, Seruini magna cum laude exercuerunt, tu non minore fama, vir clariſſime, defungeris. In eo ſiquidem integritatem, prudentiam, illáſque animi opes, & ingenij dotes exeris, quæ cùm tibi tam cumulatè à natura tributæ eſſent; poſtea ab optimo, & doctiſſimo patre ſedulò excultæ, maximam de te adhuc puero expectationem concitarant: quam quidem non fefelliſti, ſed potiùs viciſti, tecum ipſe certando. nihil enim quod ad abſoluti Patroni officium pertineret, tib i ignotum eſſe paſſus es. Iuris ſiquidem Romani, quod tam vaſtum eſt, tibi omnes amfractus

perſpectos eſſe voluiſti: Pontificium etiam, cuius in foro multus eſt vſus, apprimè calles: nec eam ſolùm Theologiam, quæ cauſis Eccleſiaſticis diiudicandis inſeruire poteſt, ſed etiam vniuerſam didiciſti. Nam ius quo regimur, legéſque noſtras municipales, actionúmque formulas, & fori vſum noſſe hominem tanto ingenio, qui ſe huic ſtudio penitus dediderit, minùs mirum eſt. Sed præterea, quod in quouis non temerè reperias, tu antiquitatis omnis es ſciens, & illius præcipuè quæ citeriora tempora ſpectat, cuiúſque cognitio rebus quoque hodiernis poteſt eſſe vtilis: de qua etiam iamdiu in Marculphum commentariis ſcripſiſti. Hîc verò animum ſubit illa conſideratio, num optabilius eſſet te à publico munere vacantem libros ſcribere, an, quod facis, officio tam præſtanti fungentem pro tua ciuili parte remp. iuuare. Non dubium certè eſt, ſtudioſis vtilius futurum fuiſſe, te à rep. feriatum ſcribendo dare operam, & antiquitatem doctis commentariis illuſtrare. Sed profectò tibi pulchrius eſt, & honorificentius, Regno verò etiam ſalubrius, & fructuoſius, te foro quaſi præſidentem moderari iudicia, & in iudicando iudicibus eſſe velut ducem: denique bo-

num, vigilantémque eſſe fiſci regij Patronũ, quàm totos dies in bibliothecam abditum, librîſque inuolutum commentari, & ſcribere. Veriſſimè enim Euphrates Philoſophus Plinio Minori apud illum querenti de ſuis occupationibus, *quòd ſederet pro tribunali, ſubnotaret libellos, conficeret tabulas, ſcriberet plurimas, ſed illiteratiſſimas literas, affirmauit eſſe hanc Philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere, & exercere iuſtitiam, quæque ipſi doceant, in vſu habere.* quod cùm tanta cum tua gloria, & regni vtilitate facias, optandum eſt, vt ſenectus tua ſemper viridis ſit, ac vegeta, & ferendæ muneris tam laborioſi moli ſufficiens, cui etiam immori glorioſum eſt. Vale.

ROL. MAR. OLIVARIO PATRV IN SENATV PATRONO S.

EPISTOLA XX.

De malis hodiernis ſcriptoribus agit, qui cogitationes ſuas nec bene diſponere, nec illuſtrare norunt, nec delectare lectorem: deinde alia etiam eorumdem vitia notat.

NVPER incidi in Ciceronis locum, in quo conſiderando aliquantùm immo-

Digitized by Google

ratus ſum : quòd in hodiernorum ſcriptorum vulgus non malè quadrare, & eos ſatis inſignitè notare, & ſuis coloribus depingere mihi videretur. Eſt autem talis. *Mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis otio, & literis.* Nam, quod hodie faciunt plerique homines malè feriati, qui multos, magnóſque libros edunt, id nónne, amabo te, eſt otio ſuo, & literis abuti? Quotus enim quiſque ex his, priuſquam operi manus admoueat, diu apud ſe voluit, & meditatur, quid velit, & in animo habeat? quotuſquiſque omnem extruendo operi materiam priùs vnum in locum comportat? quotuſquiſque ſumma rerum capita rudi quaſi penicillo delineat, partéſque omnes ſi minùs in charta ſaltem in animo diſpoſitas habet? plerumque è portu ſoluunt

Incerti quò fata ferant, vbi ſiſtere detur:

cùm priùs apud ſe non ſtatuerint quo pede ſint progreſſuri, quem operi finem impoſituri. Iam quod ad illuſtrandas cogitationes attinet, quàm pauci ſunt, qui id præſtare queant? quod certè ſine aliquo Rhetoricæ auxilio fieri non poteſt, quæ docet de rebus ſubiectis copiosè, & ornatè dicere: cùm ea

nunc non diſcatur; & locutio emendata, ac Latina (nam de Latinis potiſſimùm ſcriptis mihi eſt ſermo) quod eſt quaſi ſolum, & fundamentum Oratoris, in pleriſque non reperiatur. Nam quod ad delectationem ſpectat, quæ ex orationis genere venuſtatis & argutiæ pleno, exempliſque, & aliis lectu iucundis petitur, quàm multos hodie libros eâ ſcatere dicemus? imò complures omni venere deſtituti, nõne ſtatim, & prima tantùm fronte inſpecti abiiciuntur, nec tantillùm lectorem remorari poſſunt? Porrò eiuſmodi opera, ſine ordine, ſine venuſtate, & elegantia, vtplurimùm nihil aliud ſunt, quàm centones ex variis pannis conſuti, locorum nimirum ex diuerſis auctoribus collectorum congeries; qui plerumque longè petuntur, nec ad rem multum faciunt; inter ſe verò non valde cohærent, ſed tantùm arguunt ſcriptorem ſarcinatorem eſſe ſummum, centonem conſuere optimè, vt ait Lucillius, & multa quidem legiſſe, iudicium verò nihilo magis ex hac multiplici lectione inſtruxiſſe, nec ſaltem mediocrem ſcribendi facultatem ſibi comparauiſſe: quæ congeries ſæpe magna ex parte conſtat ex Græcorum auctorum locis Latino operi inſertis. quod ſi crebriùs vſurpetur, oratio-

Digitized by Google

nem nimis variam efficit. quod idem Cicero ſummopere cauit. quæ enim aliunde citat, non aliâ quàm ſuâ linguâ citat, niſi fortè in epiſtolis, & ſemper à ſe conuerſa affert, & alicubi ſcribit *ſe Græcè loqui in Latinis non plus ſolere, quàm in Græcis Latinè*. Quid de iis dicam, qui Hebraïca, & Arabica, ſcilicet vt πολύγλωττοι videantur, admiſcent, quæ ipſa characterum nouitate, & inſolentia lectorem abſterrent, & ab iis etiam quæ intelligit, propemodum refugere cogunt? Quibuſdam etiam ſolemne eſt in medium ſermonem criticas quiſquilias, & Grammaticales, ſi Deo placet, nugas ex gloſſariis vt plurimùm deſumptas infulcire. cùm talia in aduerſaria ſint reiicienda (quod optimo iudicio fecit vir eruditiſſimus Hadrianus Turnebus) commentariiſque, & eiuſmodi Grammaticis ſcriptis reſeruanda: at in perpetua oratione, quæ omnes minutias reſpuit, & voluptate aliqua condîta eſſe debet, diligenter ſunt fugienda. Sed quando iam bis Ciceronem laudaui, vt tota epiſtola non aliunde conſtet, hoc etiam in malos huiuſce temporis Oratores afferam, qui nulla dicendi neceſſitate adſtricti orationes habent, quod ille de quodam declamatore Catulum dixiſſe

refert,

Digitized by Google

refert, *eos ſtultitiæ ſuæ teſtes quamplurimos domeſtico præconio colligere.* Nam quos officij ſui ratio in publico verba facere cogit, ipſa ſanè neceſſitas excuſat. Sed quis præcipuè veniam tribuat eaſdem, quas habuerunt, orationes publicantibus? Ad id certè non coguntur. qui, ſi ſaperent, infantiam ſuam noſſe deberent, non verò eam magis magíſque ſcripto traducere. Nam dicta citò præteruolant, nec orationes ſemper attentis, & vigilantibus animis excipiuntur: ſcripta maturiùs, & cum iudicio expenduntur. Ad te verò viſum eſt ea perſcribere, vir diſerte; quòd inter Patronos plurimùm eloquentiæ ſtuduiſti; quam, quotieſcunque cauſas agis, luculenter oſtendis: & ſimul quia, cùm fert occaſio, tersè omnino ſcribis. quod ſi per forenſes actiones liceret, frequentiùs fortaſſe faceres. nihilominus tamen aliquod ingenij tui, & eloquentiæ monimentum poſteris relinquere debes, maximè cùm etiam aliquod tibi contingat otium, eo tempore, quo rebus prolatis ruſticari ſoles. quod vt aliquando facias, te nomine multorum rogo. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. IOANNI TRISTANO SANCTAMANTIO S.

EPISTOLA XXI.

De monumentis antiquitatis agit, & præcipuè de nummis: tum Triſtanum laudat ob editam Imperatorum ad Iouianum vſque cum Gallicis commentariis ſeriem.

TANTA eſt veterum Græcorum, & Romanorum apud omnes antiquitatis ſtudioſos veneratio, vt etiam viliſſimas res, quia illorum fuerint, magni æſtiment, & inter pretioſa κειμήλια apud ſe religiosè aſſeruent. Et Romanorum quidem, vtpote rebus geſtis, opibúſque magis illuſtrium, & recentiorum, quamplurima adhuc extant monumenta: quod minùs mirum, cùm ipſa etiam illorum imperij caput Roma ſuperſit; Græci verò tot, tantíſque cladibus ſint attriti, vt in ipſa Græcia nunc Græciam quæras. Inde illa multorum cupido Romam videndi, non tam vt beatorum Apoſtolorum limina adeant, & ad ſanctorum Martyrum ſepulchra procumbant, quàm vt Romanæ magnificentiæ reliquias, & in ruderibus ipſis adhuc ſpiran-

tem illius terrarum, gentiúmque deæ maieſtatem quaſi venerabundi aſpiciant. Inter quos laudandi, qui peregrinantur, non tam vt oculos inani ſpectando voluptate paſcant, quàm vt antiquitatis peritiores euadant, & quæ legerint, cum eorum, quæ etiam nunc ſuperſunt, operum fragmentis ſtudiosè comparent. Nec verò Romæ tantùm, ſed in reliqua quoque Italia, aliíſque prouinciis multa cernuntur. Templorum, amphitheatrorum, thermarum, porticuum, & eiuſmodi ſubſtructionum reliquiæ, quæ doctos valde delectant, & ad intelligendos veteres ſcriptores magno ſunt vſui. Extant etiam, aut eruuntur quotidie omnis generis inſcriptiones, quæ rem literariam mirum in modum iuuant: curâ doctorum virorum in locos communes digeſtæ, complectentes ea quæ ad opera, ſiue ædificia, quæ ad res diuinas, quæ ad Imperatores, ad Conſules, & ad reliqua eiuſmodi pertinent; quarum ope multa in antiquitate perplexa, & intricata enodantur, multa in hiſtoriâ dubia, & obſcura explicantur. Illa verò inſcriptionum monumenta quid ſunt ad nummos antiquos? Nam, vt ille ait,

Mors etiam ſaxis, nominibúſque venit.

At nummi vt diutiùs incorrupti, & integri

Digitized by Google

manſerunt, ita maiorem antiquitati lucem videntur afferre. Vt enim delectationem quæ capitur, omittam, ora vultúſque intuendo, ſimul cum variis figuris ab optimis artificibus ſcitè effictos, ſummorum illorum virorum, qui ſtante Rep. tantas res geſſerunt, & Imperatorum, de quibus tam multa eſt in hiſtoriis mentio: quanta iiſdem accedere lux ex nummis poteſt, cùm Romani quæ apud ſe annalibus digna acciderent, vt eorum memoriam conſeruarent, numiſmatibus tanquam æternis tabulis mandarent? quot etiam in eorum moribus, & inſtitutis antea non ſatis aperta, ex numiſmatum diligenti inſpectione erui poſſunt; ſiue res ſacras, & religionem ſpectes, in qua ſunt ſacrificiorum ritus, veſtes, vaſa: ſiue rem militarem conſideres, ad quam pertinent arma, naues, machinæ, ſigna, vexilla, trophæa: ſiue rem politicam, in qua ſunt ſenatuſconſulta, leges, magiſtratus, officia? Hinc etiam iuuatur Grammatica per ὀρθογραφίαν, quæ ex nummis tanquam ex indubitatis teſtibus certò peti poteſt. Addo & Geographiam, in qua multa ex veteribus nummis reſtitui poſſunt: in quibus multarum prouinciarum, vrbium, fluuiorum nomina reperiuntur. Quæ cùm

ita ſe habeant, optimo ſanè conſilio à viris doctis nummorum notitia vnà cum linguis, & humanitatis ſtudiis reducta eſt: cuius beneficio tot alioquin in libris difficilia explicantur, tótque res, & tam iucundæ in Romanorum hiſtoria, & inſtitutis addiſcuntur. Et in eo quidem ſtudio ab eruditis viris, & multùm in antiquitate longo numiſmatum tritu, & inſpectione verſatis Ant. Auguſtino, Goltzio, Occone, Vrſino, Vico, & aliis laboratum eſt, qui omnis generis numiſmata variis in regionibus peregrinando, magno labore, & ſumptu congeſſerunt, & in libros, ſeu potiùs theſauros relata commentariis illuſtrauerunt: tu quoque, vir erudite, cùm eiuſmodi cognitionem noſtris hominibus vulgarem, & communem eſſe velles, omnium Imperatorum à Iulio Cæſare ad Iouianum Aug. ſeriem, cum ſuis, & vxorum gentibus, & familiis, qualem hactenus non habueramus, accuratiſſimè collectam edidiſti, cui addidiſti vberes commentarios, Gallicâ linguâ ſcriptos, variam, multiplicémque tuam doctrinam abundè teſtantes. In quo quotquot inter nos ſunt antiquitatis, & politioris eruditionis ſtudioſi, quibus potiſſimùm hæc elaboraſti, tantum demeritus es, vt eo

Digitized by Google

nomine immortales tibi gratias agere debeant. Vale.

ROL. MAR. LVD. CANTERELLO FABRO APVD SVESSIONAS Theſaurariorum Præſidi S.

EPISTOLA XXII.

Fabrum eo nomine laudat, & ſapientem iudicat, quòd negotiis dimiſſis literas colat, & libros ſcribat: actuoſorum verò hominum miſeriam ridet.

CVM te, vir clariſſime, in illa cruda, & viridi ſenectute literas colere, ac libros etiam componere video, non poſſum quin tam ſedulum, & pertinax ſtudium valde comprobem, ſimúlque mirer, vt actuoſæ vitæ hominibus, qualis ſemper fuiſti, omnino inſolens, & inuſitatum. Quis enim ex iſtis aliquando in portum ſe recipere? quis non tota vita ciuilibus vndis merſari, & laborioſis negotiis implicari cupit? quis ſibi ſaltem extremo tempore ætatis poſt tot tempeſtatum procellas vacare curat? eiuſmodi ſcilicet hominibus otium omne in negotio eſt, nec ſibi tradi, & cogita-

tionibus ſuis relinqui gaudent, mortuíſque haud abſimiles reputant eos, qui quietè agunt, & à rebus gerendis feriantur. Certè cùm te poſt magiſtratus cum laude geſtos, honorificáque munera obita, otium tuum literarum amœnitate oblectantem conſpicio, mihi Romanos illos patricios videre videor, qui poſt decurſos honores, egregiámque Reip. nauatam operam, ſiue mutatione temporum adacti, ſiue otij dulcedine pellecti, in literas ſe abdebant, & ſtudia propter occupationes aliquandiu intermiſſa recolebant. Sic Cicero poſt occupatam à Cæſare Remp. *Cùm*, vt ipſe ait, *non amicorum negotiis, non Reip. procuratione impediretur, nihil in foro agere liberet, Curiam aſpicere non poſſet, tum ad Philoſophiam ſemper antea ſibi cultam confugit*, & tot egregios de illa libros compoſuit Sic Silius Italicus poſt Conſulatum, Proconſulatúmque geſtum quieti ſe dedit, & carmina condidit à rebus omnibus feriatus. Sic tot alij otium cum dignitate obtinentes, in vrbe, vel in alicuius villæ amœno ſeceſſu, aut hiſtoriis rerum ſiue à ſe, ſiue ab aliis geſtarum ſcribendis, vel verſibus faciendis, aliiſve ſtudiis vacabant. Igitur ſapientiam tuam ſummè admiror, quòd cùm te vel honorum ſa-

Digitized by Google

tietas, vel quæpiam alia cauſa à rebus agendis retraxiſſet, in Muſarum ſinum confugiſti, & hiſtoriarum lectione temet oblectas, iam in portu nauigans,

Deſpicere vnde queas alios, paſſimque videre Errare.

Prudenter enim Seneca ad amicum ſuum ſcribit ipſe iam ſenex: *Satis iam multùm temporis ſparſimus, incipiamus in ſenectute vaſa colligere; in freto viximus, moriamur in portu.* Nec verò ſolùm lectioni das operam, ſed etiam ſcriptioni, idque non oſcitanter, aut vulgariter. Hiſtoriam enim noſtram, réſque Gallicas ſummo labore enucleaſti, aliorúmque in iis errata miro iudicio aperuiſti, ac correxiſti. quod vt poſſes, ex attenta, & diligenti Hiſtoricorum noſtrorum peruolutatione conſecutus es. Præterea vt patriæ amans ciuis iura Regum noſtrorum in Lotharingiam exactiſſimè rimatus es, de iiſque librum confeciſti. cuius rei eò maior tibi fuit facultas, cùm in ea regione cum poteſtate, nempe ærario præfectus, ſatis diu commoratus es. Sic enim tibi Ducum Lotharingiæ tabularia, & vrbium ἀρχεῖα excutere licuit. ex quibus eruta monumenta cum vulgatis hiſtoriis comparans, non paruam hiſtoriæ noſtræ lucem attuli-

ſti, Principúmque noſtrorum iura maiorem in modum confirmaſti, ac corroboraſti. Quid iam de Chronologia altero hiſtoriæ oculo dicam? in qua cornicum oculos confixiſti, & ſuperiorum errores, rem exactè ad calculos vocando oſtendiſti. quod opus iam non ampliùs premere tibi licet, eorum omnium, qui doctrinâ temporum impensè delectantur, ardentibus votis expetitum. Ex aduerſo verò cùm ploroſque è noſtris hominibus cerno ambitioni etiam nunc in ſenectute ſeruientes, & cùm omnibus copiis affluant, non minùs tamen congerendarum opum auidos, quàm cùm rem facere incipiebant, tanquam ipſa copia famem pariat, neſcio illorúmne ſtultitiam miſerari debeam, an ridere: vtpote quibus in iſta negotiorum ſollicitudine moriendum ſit. qui cùm totâ vitâ accumulandis diuitiis, & honoribus intenti nunquam ſibi vixerint, ne tum quidem cùm ſenectus receptui canere iubet, & ſaltem modicum tempus negotiis valere iuſſis, ſibi quemque vacare admonet, apud ſe eſſe, ſed in tumultu, ac ſemper nouis fluctibus mori præoptant. vir quidem bonus, & φιλόπατρις cùm ab eo difficillimis temporibus opem poſcit reſp. patriæ non deeſ-

Digitized by Google

ſe, & ſi in eius procuratione mors illum occupet, tum vitam bene impenſam exiſtimare debet. ſi verò operam illius non flagitet, aut ſi, cùm res nec ſatis rectè, nec ex voluntate geri videbit, ipſe honeſtam miſſionem impetrare poſſit, ſapientem iudicabo, ſi reliqua ætate ſibi viuat, prorſus autem fortunatum, ſi literas ſciat; *quæ*, vt ait Cicero, *adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant.* Quod quia, vir ornatiſſime, abundè conſecutus es, eo nomine te beatum prædico; otiúmque tuum literatum, aliorum actuoſæ, & exercitæ vitæ, quæ nunquam ſibi acquieſcit, longè præfero. Vale.

ROL. MAR. LVDOVICO NVBLÆO IN SENATV PATRONO S.

EPISTOLA XXIII.

Vt plures nunc quàm antiquitus, ita peiores libros componi: cui morbo per leges etiam occurrendum eſſe.

CONSIDERANTI mihi ingentem librorum multitudinem, quæ quotidie exit in vulgus, ſubit aliquando apud me exquirere, num ita paſſim, & promiſcuè, vt nos hodie, Græci, & Romani libros olim

ſcriberent. Sed cuiuis promptum eſt iudicare, per typographicam artem, quæ multos ad ſcribendum inuitat, multò plura hodie, quàm antiquitus volumina prouenire, & in lucem edi. In quo obiter indignandum eſt, vtiliſſimam, & excellentiſſimam artem, quæ ſimul cum renaſcentibus literis diuino beneficio in orbem venerat, vt eas iuuaret, aliqua ex parte ipſas non parum lædere, tot inſulſorum qui eduntur librorum, cum aliquot bonis permiſtione: qui quamuis ætatem non ferant, interim tamen indoctorum manibus teruntur; ex quibus magis, magíſque ſuam inſcitiam augent, & nihil ſapere diſcunt. Vt enim beatus Hieronymus ait, *nullus imperitus ſcriptor eſt, qui lectorem non inueniat ſimilem ſui, multóque maior pars eſt Mileſias fabulas reuoluentium, quàm Platonis libros.* Multò igitur nunc plures, ſed & peiores, & indoctiores quàm olim, libri componuntur. Cuius rei hæc mihi præcipua cauſa eſſe videtur, quòd non parem diligentiam, & ſtudium, ac veteres, in literis adhibemus; ad quas tamen addiſcendas maiora, quàm etiam nobis ſubſidia, breuior nimirum, faciliórque methodus, iis ſuppetebant. quanquam etiam frequenter eos de malis ſuorum temporum

Digitized by Google

libris, tanquam de magno aliquo malo conquerentes videmus, quos pæne omnes, perinde ac merebantur, ſimul tamen cum multis præſtantiſſimis, & immortalitate digniſſimis æuum aboleuit. nam ex ſat multis, qui nobis neſcio quo bono fato ſuperſunt, paucos habemus, qui lectu omnino indigni ſint. hodierni quoque ſcriptores non ſatis magnam ſermonis curam habent, nec ſtilo ſufficientem dant operam: (de vulgo loquor, nam præſtantiſſimos habemus) ſed plerumque, vt Græci dicunt, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνοντες, ab omnibus rebus imparati ad ſcribendum ſe conferunt, nec priuſquam ad aliquod opus ſe accingant, longa ſe ſcribendi exercitatione macerant, & exſcribunt veriùs quàm ſcribunt: ea quæ afferunt, aliunde ſumentes aliquando clam, plerumque palam: nec ſe in inueniendo multùm torquent, ab aliis dicta accumulare contenti: demum opera non ſatis compoſita, & elaborata temerario editionis honore vulgant, præcepti Horatiani de premendis in nonum annum ſcriptis immemores: quibus poſtea plurima per properationem emiſſa adiiciunt, multa mutant, ita plerumque in ſecundis editionibus omnia interpolantes,

vt alia opera videri poſſint. Quod ſcribendi cacoëthes à malis quidem eſt moribus, & malè affecti regni nota, in quo multi otio ſe dedunt, & bonas horas malè perdunt, futilia, & inutilia ſcripta componentes: proinde legibus, vt vineta egomet cædam mea, coërcendum: quæ cùm rectè exercentur, volunt vnumquemque etiam otij ſui rationem reddere. In malos certè Oratores ad Lugdunenſem aram dicentes hæc olim pœna erat inſtituta, vt ſcripta ſua ſpongiâ linguáve delerent, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent. quæ delendi pœna ſi mihi irrogaretur, non valde mihi eſſet laborandum. cùm enim ſcribo, chartæ, quantum poſſum, parco, &, ſi nugas ſcribo, ſaltem operam do, vt ſint quàm breuiſſimæ. Quòd ſi malos ſcriptores temeritatis ſuæ pœnas dare non placet; at ſaltem aliqui viri docti librorum cenſuræ præponi deberent, ex Platonis in ſua πολιτεία edicto, qui non ſolùm ſcripta religioni, boníſque moribus officientia edi prohibeant, ſed etiam libros, quales ego fortaſſe ſcribo, vel Eluuiones inconditos, & in quibus vix ſenſus communis nota reperitur, virgulâ cenſoriâ notent, & in ignem coniiciant. Verùm, opinor,

difficile eſſet inuenire homines; quibus abs re ſua tantum eſſet otij, vt tam prodigioſæ multitudini legendæ vacare liceret. Enimuerò non quibuſuis profectò etiam infeliciſſimis, & aduerſo Apolline natis ea licentia eſſe deberet, vt quidquid in mentem veniſſet, chartis illinerent, ſed tantùm præſtantiſſimis eſſet concedendum, ingenij ſui monumenta poſteris relinquere. Ceterùm quæ totâ hac epiſtolâ tractaui, te optimè perſpicere certò ſcio, doctiſſime Nublæe, querelámque meam de malis, qui nunc totum orbem inundant, ſcriptoribus iuſtam eſſe iudicare, qui antiquos auctores ſedulò contriueris, antiquitatémque omnem optimè calleas, ius Romanum præcipuè, cui te potiſſimùm addixiſti: quique, ſi in animum induceres cogitationes tuas mandare literis, & opus aliquod emittere, id rectè facere poſſes. Sed neſcio quo pacto fere accidit, vt qui ſcribendi munere optimè defungi poſſint, ab eo ſiue modeſtia, ſiue tædio laboris refugiant, & aliis minùs idoneis eas partes relinquant. Tua igitur modeſtia te adhuc in ſilentio tenuit: quam tamen fortaſſe aliquando precibus amicorum expugnari ſines: quibus etiam meas, ſi apud te ſatis valituras putarem, libenter adiungerem. Vale.

ROL. MAR. NICOLAO PERROTO ABLANCVRTIO S.

EPISTOLA XXIV.

De tranſlationibus agit, quales eſſe debent, vt placeant. Deinde monet Perrotum, vt poſt tot verſiones editas aliquid ex ſe componat.

ADMIRABILIS eſt prorſus illa tua φιλοπονία, mi Perrote, in tot ſcriptoribus in noſtrum ſermonem conuertendis, itaut vno abſoluto, alius continuò in manus ſumatur. Neque verò hanc operam præſtas in vulgaris notæ auctoribus, ſed in primariis, & intellectu, tranſlatúque maximè difficilibus. Certè Tacitus, quem Gallicè interpretatus es, propter obſcuritatem quæ in eo paſſim occurrit, mihi vix ſatis commodè poſſe conuerti videtur. Illa autem oritur partim ex auctoris deprauatione: qui licèt à quamplurimis viris doctis, & præcipuè à Iuſto Lipſio correctus fuerit, tamen in integrum adhuc non eſt reſtitutus: partim etiam procedit ex breuitate, quam affectauit æmulatione Salluſtij, quem ſibi ad imitandum propoſuerat, & ex ſenſuum profunditate, ſententiarúmque

robore: quas vt quis pari pondere, ac grauitate poſſit reddere, pari mentis vigore ei opus eſt, atque magnus ille Hiſtoricus, & πολιτικώτατος præditus fuit. Porrò hunc ſcriptorem tam excellentem, in quo quot verba, tot ſunt ſententiæ, ſed difficilem, ſolitâ illâ tuâ audaciâ optimè reddidiſti: quæ ſi in vllo alio, in eo maximè adhibenda fuit. nec ea libertas culpanda eſt, modò in licentiam aliquid auctori aut detrahendi, aut addendi non erumpat. nihil eſt enim ſimplici verſione putidius, cùm tanquam à fido interprete verbum verbo redditur. Audendum verò eſt in verbis, modò ſenſus ſit integer, & attendenda ſolùm eſt proprietas eius linguæ, in quam fit tranſlatio, & recedendum à conſuetudine alterius è qua transferimus. exemplum autem elegantis, fidæ tamen verſionis habemus in Cicerone, qui quotieſcunque locos adducit ex Platone, aut Xenophonte conuerſos, non videtur ex alio quid transferre, ſed ipſe ex ſe ſcribere: adeo nihil eſt inæquale, aut ſalebroſum; ſed omnia plana, & vno tenore fluentia. Idem quoque bene conuertendi præceptum dedit in præfatione, quam Demoſthenis, & Æſchinis orationibus contrariis à ſe exercitationis gratiâ conuer-
ſis

ſis præmiſit. ſic enim ſcribit: *Nec eas conuerti vt interpres, ſed vt Orator ſententiis iiſdem, & earum formis tanquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis, in quibus non neceſſe habui verbum pro verbo reddere; ſed genus omne verborum, vímque ſeruaui. non enim me ea lectori annumerare putaui oportere, ſed tanquam appendere.* Vt verò à noſtris non recedamus, habemus apud nos exemplar aliquantùm audacis, boni tamen, & egregij interpretis, Iac. Amiotum. Ille enim Plutarchum exprimit, virtutibus illius vtens omnibus, id eſt, ſententiis, & earum formis, & rerum ordine, verba eatenus perſequens, vt ea non abhorreant à more noſtro: quæ ſi è Græcis omnia conuerſa non ſunt, tamen vt ſint generis eiuſdem, elaborat, & cùm in ſcriptore difficili, & aliquantùm ſalebroſo verſetur, illam aſperitatem breui paraphraſi quodammodo emollit; demum efficit, vt opus non ex alio conuerſum, ſed ab ipſo ſcriptum eſſe videatur. Nam vt Poëta Philoxenus dicebat carnes maximè ſapere, quæ minimè viderentur carnes; ſic ea verſio, quæ minùs videtur eſſe verſio, meo iudicio excellit. Sed vt hunc de tranſlationibus ſermonem finiam, de quibus multa in epiſtolis meis di-

xi, volo tibi conſilium exponere, quo, ſi in hoc ſcriptionis genere me exercere vellem, vterer. Primo loco auctorem, quem vertendum ſuſcepiſſem, κατὰ πόδα & ad verbum interpretarer: poſtea cùm certus eſſem, me illius verum ſenſum expreſſiſſe, ex rudi, & incompta verſione alteram efficerem paulò liberiorem, & elegantiorem, quæ non iam verba auctoris attenderet, ſed idioma tantùm linguæ, quâ ſcriberem, ſequeretur. Iam verò, mi Perrote, ſatis huc vſque tot tranſlationibus oſtendiſti, quàm exactè linguam Græcam, & Latinam calleres, nec non in patria quantùm eruditus eſſes: quam etſi Cicero dicat *non tam præclarum eſſe ſcire, quàm turpe neſcire;* tamen ipſemet id non tam parui facit, quin multos in Bruto ex eo tantùm laudet, quòd Latinè eleganter dicerent. Nunc igitur ſcribe aliquid quod ſit verè tuum, & quo teſteris te tuis veſtigiis etiam poſſe inſiſtere, nimirum hiſtoriæ ſuperioris ætatis partem aliquam: nam res noſtrâ memoriâ geſtas proſequi vix incorrupta fide licet: vel vitas hominum domi, vel foris illuſtrium, aut in ſtudiis præſtantium compone. Certè vt alia argumenta deficiant, liberales doctrinas tractare, de naturis etiam rerum, de homi-

Digitized by Google

num moribus, de rebuſp. diſſerere licet. ex quibus ſcriptis fortaſſe gloria non minor eâ, quam ex tranſlationibus conſecutus es, quæ certè non minima fuit, ad te eſt peruentura. in quamcunque verò materiam incumbes, quæ ſcripſeris tibi honori futura certus eſſe potes. Vale.

ROL. MAR. MICHAELI MAROLIO VILLALVPENSI ABBATI S.

Epistola XXV.

Agit de tranſlationibus, & maximè Poëtarum, ac varias Abbatis nobiliſſimi verſiones connumerat. poſtremò probat, quòd opus de viris doctrinâ claris ſuſceperit.

QVi ſcriptoribus antiquis in vernaculum ſermonem transferendis nauant operam, ij profectò multùm publicæ vtilitati conſulunt, & ſuæ nationis homines linguarum ignaros magno beneficio ſibi deuinciunt; cùm egregia ſcripta, quæ in communi, quæ nunc regnat, inſcitiâ alioqui ignorarent, iis ignota eſſe non patiuntur. quanquam auctoribus Græcis, & Latinis in verſione multum gratiæ decedit: ex quibus ſunt, qui vix poſſe videntur reddi:

ij nimirum, quibus in ſermone plurimum ineſt leporis, & venuſtatis, vt ſunt ſummi Poëtæ: niſi fortè eam vſurpes licentiam, quæ veteribus in vſu fuit. Illi enim in conuertendo tantùm ſibi licere voluerunt, vt quædam coarctarent, quædam diffunderent, quædam omnino relinquerent. credo, quòd tractata poſſe niteſcere deſperarent, vt ait Horatius: demum multa ſuo arbitratu immutarent. quod manifeſtum eſt ex Ennij reliquiis, qui Euripidis tragœdias ſimili libertate tranſtulerat. Tu verò, Abbas nobiliſſime, quod fieri vix poſſe hactenus putaueram, ſummos Poëtas, Lucretium, Virgilium, Horatium, Catullum admirabili ingenij dexteritate ita Gallicè vertiſti, vt nihil ex eorum maieſtate, & ſuauitate periret. &, quod eſt magis mirandum, id proſâ, non carmine præſtitiſti: vt & olim fecit in Homeri Iliade, & in Heſiodi Theogonia, teſte Suida, Demoſthenes Grammaticus. Qua in re à tuis popularibus magnam iniiſti gratiam, qui per te tantorum Poëtarum lectione animos explere poterunt. Vt omittam quæ ex ſacris paginis vertiſti, Deus bone, quàm difficilia: ſed alio genere. Iſta enim profano ſublimia, hæc humilia videntur: quæ tamen expla-
Digitized by Google

natè reddere, propter ſenſuum altitudinem maximæ eſt difficultatis. In his præcipuè doctorum iudicio probari video nouum Teſtamentum, quod è Græcis fontibus ſummâ diligentiâ, & induſtriâ tranſtuliſti. Sed ne alienis tantùm veſtigiis inſiſtere videreris, nec ex te quicquam parere poſſe, ad aliud ſtudium animum applicuiſti, quod mihi ſummopere probatur. Scribendi enim argumentum ſumpſiſti vitas clarorum, ſed maximè doctrinâ virorum à primis vſque temporibus, quorum dumtaxat extent imagines. Sed de antiquis pleraque vulgata ſunt: quanquam ea non vulgariter, certò ſcio, tractabis. cui enim non noti ſunt Cicero, Virgilius? qui verò à duobus ſæculis poſt reſtitutas literas doctrinæ laude claruerunt, non perinde noti ſunt. Eorum mores, fortunam, opera noſcendi ſummo ſemper arſi deſiderio, quo factum eſt, vt quamplurimos leuiter ſaltem inſpexerim, qui de iis ſcripſerunt, ſeu βιογράφους, ſeu vt nunc vocant, quanquam minùs propriè, elogiorum ſcriptores. nam elogium inſcriptionem, & teſtimonium tantùm ſignificat non magis honoris, quàm vituperationis. Sed, vt liberè more meo quod ſentio aperiam, pauciſſimos inueni, qui in hoc ar-

Digitized by Google

gumento omni ex parte ſtomacho ſatisfacerent. Iouius in hoc genere aliquam laudem habet: ſed pauca, nec valde notabilia refert de iis quos recenſet. & eorum tempus mortis non anno, vt fieri ſolet, ſed re aliqua inter Franciſcum Regem, & Carolum Imperatorem tranſacta periphraſticè notat. Noſtrorum vitas Sammarthanus ſcripſit, verſu, quàm proſâ melior, cuius ſoluta oratio etiam poëſim redolet. Eæ fere ſunt vniuſmodi: & in doctorum catalogum multos è Senatu, & alios refert, qui nulla ſcripta reliquerunt, quique alioqui non magni fuerunt in literis nominis. Germani, gens laborioſiſſima, & ſtudioſiſſima, in eiuſmodi elogiis multi ſunt, & in ea materia, vt in aliis fere περίεργοι. Ex his quidam eorum, de quibus ſcribunt, parentes referunt, diem, & aliquando horam quâ nati ſunt, & talia quæ in Regibus ſolùm, & viris maximè illuſtribus requiruntur. In quo Suetonium optimum auctorem non ſequuntur, qui in libellis de claris Rhetoribus, & Grammaticis, relictis eiuſmodi inutilibus, ea tantùm, quæ ad rem faciunt, adducit, nempe de eorum conditione fortunæ, de ſcriptis, & aliis rebus maximè notabilibus. Tu verò, vir clariſſime, non mi-

Digitized by Google

hi dubium eſt, quin hac in re modum ſequaris, nihil ſuperfluum aggerendo, nihílque neceſſarium prætermittendo. Quapropter vt opus omnibus valde placiturum acceleres, te totius Galliæ nomine rogo. Vale.

ROL. MAR. HADRIANO VALESIO SVOS.

EPISTOLA XXVI.

De πολυγϱάφοις & centonum conſarcinatoribus agit, quos damnat: & ait attendendum, non quàm multùm quis, ſed quàm rectè ſcribat.

NVNQVAM ex iis fui, qui libros ex mole æſtimant, quíque ſcriptores ob id ſolùm quòd ſint πολυγϱάφοι magni faciunt: quòd compertum habeam, difficile eſſe magnum librum conficere, in quo multa, ſi non inepta, ſaltem inutilia non reperiantur. *Bonus quidem liber*, vt ait Plinius Minor, *melior eſt quiſque, quò maior, vt aliæ bonæ res: ſic Ciceronis orationum optima quæ maxima.* Sed non adeo multi ſunt Ariſtoteli ſimiles, qui complures libros compoſuit, vt ex eorum indice apud Diogenem Laër-

Digitized by Google

tium patet : in quibus ordo ob crebras partitiones planè mirus eſt, & quamuis nullus ſit adhibitus ornatus, tamen elocutio propter verborum proprietatem prorſus egregia eſt. Nec paſſim nunc naſcuntur homines Galeno ſimiles, qui tam multa de Philoſophia, & Medicina ſcripſit, quæ nec omnia extant, cùm eſſet ſummi iudicij, indefeſſi laboris, & doctrinæ incomparabilis. Et paucos habemus Ciceroni pares, *qui*, vt ipſe ait, *plura, quàm quiſquam ne in Græco quidem otio ſcripſit*, ſed omnia eruditè ſimul, & ornatè: quique in epiſtola quadam Attico ſuo affirmat, *ſe paruo temporis ſpatio plus ſcripſiſſe, quàm alius legere poſſet*. Illi multa quidem ſcripſerunt, ſed egregia: (quanquam ſi cum libris noſtrorum comparentur, pauca dicenda ſunt) & quæ ſcripſerunt, ex ſuo penu attulerunt, nec hinc, & inde corrogarunt; quod noſtri ſcriptores plerumque faciunt, qui veteres, & recentes etiam tantummodo compilant, multáque non ſcribunt, ſed veriùs exſcribunt. quod feciſſe etiam Chryſippus, ipſe πολυγράφος perhibetur, qui in quemdam ſuum librum totam Euripidis Medeam contulerat. quanquam diuerſam Epicuri rationem minùs probo, qui nihil aliunde in ſua ſcripta,

nulla exempla, nulla auctorum teſtimonia, congerebat, ſed omnia ex ſe proferebat. Quos verò ſuperiùs nominaui, Ariſtotelem, & Ciceronem, ſimiléſque amplector: qui cùm opus eſt, varia ex aliis loca adducunt, ſed tamen plurima ſuo marte conficiunt, magnámque ordinis, ſed & ſermonis, elegantiæque curam habent. Ex Chriſtianis verò ſcriptoribus multos habemus, & inter eos Hieronymum, & Auguſtinum, Deus bone, quales viros, quàm doctos, quàm diſertos! vt Latinos tantùm attingam, qui multa quidem ſcripſerunt, ſed ex ſe pleraque afferendo, non infinita aliunde accumulando, vt recentium plerique: inter quos quidam Hiſpanus duodecim ampliùs, quos nunc vocant, tomos de rebus Theologicis compoſuit: ex quibus ſi demas aliunde ſumpta, nihil fere reliquum ſuperfuturum ſit. Sed recentes πολυγράφους recenſere cui vacet, cùm ſint innumerabiles? vnum, aut alterum tantùm attingam. quamplurima Conradus Geſnerus in omni literarum genere, in Medicina præcipuè ſcripſit, etiam multa antiquorum ſcripta in lucem protulit, aut in Latinam linguam conuertit; quorum omnium catalogum, qui verè libellus eſt, ipſe contexuit, cùm

Digitized by Google

tamen ad quinquageſimum annum non peruenerit. Idem de omnium animalium hiſtoria fuſiſſimè ſcripſit: quam ſimiliter materiam Vlyſſes Aldroandus immanibus voluminibus proſecutus eſt. Sed, liberè dicam, Plinij paucos de animalibus libros pluris fecerim, quàm iſtorum de iiſdem infinitos. Plinius enim omnia egregio ordine complexus eſt, & ſingula in ſuas claſſes aptè diſtribuit: quæ verò ex aliis excerpſit, digeſta, & ſtilo quaſi concocta, ſua quodammodo fecit. Geſnerus verò ex ſcriptis non tam ingenij, quàm laboris & induſtriæ laudem tulit, vt ſunt omnes Germani in ſtudiis laborioſiſſimi: quippe tranſcripſit quæ priores de his rebus dixerant, & ipſis eorum verbis retulit. Sed inter recentes, qui multa egregiè ſcripſerunt, nemo meâ ſententiâ Eraſmum præceſſit, ſiue iudicium, ſiue eruditionem, ſiue eloquentiam ſpectes, quem non verear cum quouis antiquorum conferre: qui, ſi totâ vitâ cum Theologis quibuſdam, & Monachis conflictatus non fuiſſet, meliora etiam quàm edidit, orbi communicare potuiſſet; & ſi tam mordax, aut in quibuſdam tuendis tam pertinax non fuiſſet, nihil in eo viro illa ætas quod deſideraret, habuiſſet. Hæc au-

Digitized by Google

tem ad te viſum eſt perſcribere, mi Valeſi, quoniam tu in ea ſententia mihi eſſe videris, vt rectè ſcribere tantùm probes, multùm verò nihil moreris, vt de ſe refert Horatius. quod in tuis hiſtoriarum libris cernitur, quos diligenti ſtudio perficis, & perpolis, nihil præcipitans, ſed omnia ſingillatim ſub incudem reuocans: in quibus non id curæ habes, vt mole magna tumeant, multis etiam non neceſſariis referti; ſed vt reſectis eiuſmodi, ea tantùm quæ ex lege hiſtoriæ notatu digna ſunt, contineant. In qua ego quoque ſum ſententia, neſcio enim quomodo à magnis libris abhorreo: ſiue hoc mihi naturâ contingat, ſiue memoriæ imbecillitate, quæ vix etiam puſillis retinendis ſufficit: & ſemper in animo meo obuerſatur illud antiquorum prouerbium, *magnus liber magnum malum:* propterea quòd fere contingere ſoleat, vt tales libri multis inutilibus, aliquando etiam inſulſis rebus ſcateant. quod in libris recentiorum vtinam non tam paſſim eſſet obuium: quotiéſque ingentia illa volumina conſpicio, Perſianum illud in mentem venit, *Quis leget hæc!* Cum iactura enim temporis eiuſmodi libri fere leguntur, quod ſapientiſſimus quiſque, cùm res ſit longè pretioſiſſi-

ma, optimè diſpenſabit. Sed de his ſatis: quanquam vix ſatis dici poteſt. Vale.

ROL. MAR. NICOLAO HEINSIO S.

EPISTOLA XXVII.

Heinſio gratias agit, quòd libellum ſuum Suecorum Reginæ tradiderit: deinde petit, vt ſuam epiſtolam eidem reddat; poſtremò exquirit, qui nunc ſint in Batauia, & omni tractu Septentrionali viri docti.

OFFICIOSÆ tuæ ſedulitati multùm me debere fateor, humaniſſime Heinſi, quòd libellum meum illuſtriſſimæ Reginæ captata tam opportuna occaſione reddideris, cùm illa animi relaxandi causâ deambulatum proceſſiſſet, & num quid libelli tecum attuliſſes, quæſiuiſſet: optimi prudentiæ, & vrbanitatis magiſtri Horatij in hoc conſilium ſequutus, qui Vinnium Aſellam monet, vt libellos ſuos Cæſari reddat,

Si vacuus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet.

Sed cùm eam audaciam non omnino malè ceſſiſſe viderem, ecce tibi aliud factum longè inuerecundius, vt culpa laudata, vel certè condonata aliam facilè prouocat. Ad

ipſam enim Reginam epiſtolam ſcripſi, quâ gratias illi ago, quòd libellum meum euoluere dignata ſit, ſimúlque data occaſione, in illius laudes excurro, quantum capere potuit epiſtola, ſatis quidem longa: nam eas omnes ne iuſtum quidem volumen complecti poſſit. Vereor autem quorſum id acceptura ſit. fortaſſe enim ita iudicabit, me non ſatis pudentem, nec meæ tenuitatis, illiúſque maieſtatis gnarum, temerario auſu ipſam ſcripto compellaſſe. ſed hîc habes epiſtolam, quam concerpes, aut donabis Veneris marito, vt temeritatis pœnas luat, ſi eam fortè Reginæ diſplicituram cognoueris: quanquam cur diſpliceat? illius certè laudes continet, modò ne, vt ait idem Horatius, eas culpâ ingenij detriuerim. Sed hæc ſatis. Quoniam verò me hortaris, vt in meo inſtituto epiſtolas philologicas ſcribendi pergam, méque amicè inuitas, vt ad te ipſum ſcribam, epiſtolæ reliquum inſumam, vt à te exquiram, quinam docti viri nunc Batauiam veſtram, atque adeo totam illam Septemtrionalem plagam incolant. Nam iis in locis frigidiſſimis Muſæ quæ alibi frigent, ſatis calere videntur: apud vos iamdiu ſatis, apud Suecos verò non ita pridem, ex ſtudio & liberalitate ſereniſſ. Chriſtinæ.

Sola etenim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit.
Noui equidem quotquot apud nos ſtudia literarum elegantiorum tractent: quorum numerus quotidie decreſcit, aliis ſtudiis nunc hominum mentes occupantibus. Italia vix credere eſt, quantum à vetere ſua laude deſciuerit, cùm Politianos, Barbaros, & his recentiores Victorios, Sigonios oſtentabat. Nuper quidam Italus tres libros de viris illuſtribus edidit, fere omnibus Italis, qui his quinquaginta annis circiter vixerunt. Inter hos vix quinque ſunt in literis ſaltem Latinis tolerabiles. Hiſpania quidem olim viros literis celebres tulit, ſed paucos: nunc fere non alios habet niſi in barbara Philoſophia, & Scholaſtica, quam vocant, Theologia contritos. Anglia quos doctos habeat neſcio. illud ſcio in tanta rerum perturbatione vix illic Muſis otio gaudentibus locum eſſe poſſe. Nam quid hîc recenſeam Germaniam, quæ huc vſque tot homines tulit in ſtudiis exercitatiſſimos, qui indefeſſis ſuis vigiliis, & prodigioſis laboribus rem literariam multùm iuuerunt? ea calamitate belli per ampliùs triginta annos continuati ſic afflicta eſt, vt pauci ſuperſint, per quos nunc cùm pace

refloreſcere incipit, literas inſtaurare poſſit. Scribes igitur, ſi graue non eſt, qui ſint iſtic literarum columina; ſed me præcipuè certum facies, quid mediteris, num Ouidio tandem ſupremam manum imponere licuerit, inter Regiæ inaugurationis pompas & apparatus. Epiſtolâ, vt antè dixi, vtêris tuo arbitratu, ſiue Reginæ reddendam iudicaueris, ſiue non. De cetero me amare perges, qui te ex intimo affectu diligo. Vale.

ROL. MAR. CHRISTINÆ SERENIS SVECORVM REGINÆ S.

EPISTOLA XXVIII.

Reginæ Chriſtinæ pro euoluto ſuo libello gratias agit. Inde captata occaſione breui quaſi panegyrico in eius laudes excurrit.

CVM libellum meum ad N. Heinſium tranſmitterem, quem, ſi ei videretur, maieſtati tuæ offerret: vix tantum mihi, & ab operis, & ab auctoris tenuitate polliceri auſus eram, vt à te inſpiceretur, aut attingeretur. Verùm cùm idem Heinſius mihi reſcripſiſſet, te, cùm fortè extra vrbem deambulandi gratiâ progreſſa eſſes, librum

ſat opportuno tempore oblatum in nemore euoluiſſe: ad tam inſperatum nuncium exilui gaudio, fateor, & præ immodica lætitia pæne mihi excidi: cùm ſcilicet cogitatem te tantam Reginam, nec tam ſcepτro, quo tamen latè dominaris, quàm virtute, & doctrinâ conſpicuam haſce nugas Philologicas eo honore dignatam, vt non obiter inſpiceres, ſed euolueres: præſertim inter tot curarum, ſollicitudinúmque moles, quibus comitiorum regni tempore, quæ de grauiſſimis rebus habebantur, vndique diſtringebaris. Cùm verò prius factum licèt ſatis audax, & improbum non malè ceſſiſſe mihi viderem, aliud longè audacius, quæ mea temeritas fuit, in me ſuſcipere non ſum veritus. Hanc ſiquidem epiſtolam ad ſerenitatem tuam exarare non dubitaui: quâ tantæ benignitati tuæ, & humanitati ex intimo affectu gratias agerem: ſimúlque, vt nunc fert occaſio, fauſtis populorum tuorum in tua auguſta inauguratione acclamationibus vota mea è longinquo adiungerem: quibus tibi, regnóque tuo proſpera omnia ex more precarer. Quæ quidem non vanè, nec inani coniectura augurari videbor, ſi modò Plato tantus Philoſophus non falsò dixit, *tum demum reſpu-*

blicas

Digitized by Google

blicas beatas fore, quando reges philoſopharentur. Nam cùm tibi in purpura naſci contigiſſet, & antè reginam nuncupari, quàm per ætatem quid eſſet imperium ſcire poſſes: tamen in illo literarum neglectu, qui fere aulas comitari ſolet, ſtatim ab ætatis initio tanto ardore ſtudiis incubuiſti, vt per liberalium artium gradus ad omnium reginam Philoſophiam tu hoc ætatis perueneris: quam qui reges optimè animo comprehenſam in conſilium rerum ſuarum adhibent, ij ſapientiam ſolio ſuo ſemper aſſiſtentem ſe habere meritò gloriari poſſunt: quâ edocti tum ſibi, tum aliis meliùs conſulant, vitámque beatam exigant, ſubiectiſque gentibus eam felicitatem conficiant, vt dum ipſi ſuperſunt, tanquam præſentiſſima numina colantur, cùm verò è viuis exceſſerint, in animis hominum nihilominus, & memoria perpetuò viuant. Ad animum verò Philoſophiâ imbuendum optimum magiſtrum, nempe Platonem, aſſumere mihi viſa es. (nam hunc propter Græcæ linguæ cognitionem, quam Latinæ adiunxiſti, familiariter à te teri, qui in aula tua degit Voſſius, nobis retulit.) Ille ſiquidem Philoſophorum Homerus, & diuinus vocitatus, ſermones vel priuatim ad mores vniuſ-

cuiuſque fingendos, vel publicè ad imperia rectè adminiſtranda vtiliſſimos ſcripſit, vel ex hac πολιτεία, quam ingenio finxit, complura peti poſſunt, quæ reges, & rerumpublicarum moderatores in vitam, & vſum optimè traducant. hoc igitur prudenti iuxtà, & fideli monitore vteris. Nec dubius ſum, quin Xenophontem illum Socraticum, bonum pariter & Ducem, & Philoſophum diligenter euoluas: cuius παιδεία Κύρου, quam non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad iuſti imperij effigiem ſcripſit, ſemper in manibus Principum eſſe debet: vt & Ageſilai ἐγκώμιον, in quo propiùs ad verum expreſſam omnibus itidem numeris abſoluti Principis imaginem effinxit. Nam Plutarchum tam excellentem Philoſophum, & βιογράφον te aſſiduè euoluere certus ſum, (vt Homeri poëmata Alexander ceruicali ſubiecta ſemper habuit) reliquóſque vtriuſque linguæ Hiſtoricos, nec minùs etiam ætatis mediæ, vel infimæ quoſcunque alios. Hiſtoriarum enim lectio Regum eſt maximè propria: ex quibus conſilia capiant, ſiquando vſus ſit, exemplo Imperatoris Alexandri, qui, teſte Lampridio, *conſiliis togæ, & militiæ literatos adhibebat, & eos maximè qui hiſtoriam nouerant.* Accepimus quoque te

Tragicorum præſtantiſſimos Sophoclem, & Euripidem præcipuè in deliciis habere: ſed maximè Euripidem ob ſententiarum grauitatem Scenicum Philoſophum appellatum: *cuius ſingulos verſus ſingula eſſe teſtimonia* putabat Q. Cicero. In quo eximium tuum iudicium admiror. nuſquam enim alibi γνῶμαι inueniuntur, quæ meliùs vitam, & mores hominum inſtruant: præſertim Regum, quorum funeſti caſus, & miſerabilia infortunia in ſcenis exhibentur. quos minimè ob regnum faſtu turgere, & proſperis inſoleſcere ſub grauibus exemplis tragœdiæ docent. Sed iſta non vulgaris eruditio, licèt in te alioqui omnibus regiis virtutibus ornata ſummè ſit commendabilis; tamen etiam ſine hac incredibilis erga literatos viros beneuolentia, & liberalitas toti te orbi commendare poterant: vt quidam Principes aliàs haud valde ſuſpiciendi, ob iſtam tantùm animi propenſionem, perpetuæ hominum memoriæ traditi fuêre. quorum etiam aliqui bibliothecas libris vndique conquiſitis adornarunt: vt Ptolemæi, & Attalici Reges, fortaſſe in pompam, *& ſtudioſæ*, vt appellat Seneca, *luxuriæ oſtentationem*. Tu verò inſtruis bibliothecam, & codicibus manuſcriptis,

Digitized by Google

aliiſque pretioſis, & inuentu raris locupletas, non per ambitionem, ſed in vſum tuum. quanquam etiam hoc elegantiæ tuæ, curæque egregium opus, aliorum vtilitatibus deſtinatur. quam in rem quidquid vſpiam eſt in hoc genere rarum, & eximium per homines eruditos vndique corradis, nullis ſumptibus parcens. quod ſtudioſæ magnificentiæ monumentum ad tui nominis immortalitatem plus collaturum eſt, quàm vllæ aliorum operum moles, aut palatia regali ſumptu exſtructa. Tantus verò eſt ille tuus in literas, literatóſque amor, vt è Gallia noſtra, & Batauia viros literarum gloriâ florentes, ad te arceſſas, vt eorum iucundo colloquio, literatiſque ſermonibus fruaris, ad te proficiſcentes amplo viatico dones, à te diſcedentes lauto congiario proſequaris. quæ præmia quanquam ſunt regia, & tuis opibus digna, tamen vt ad te accedant, non tam his docti viri ducuntur, quàm cupiditate ſereniſſimum, & auguſtiſſimum tuum vultum contemplandi, & in puellari ætate tantam prudentiam cognoſcendi, quódque noſtra ætate omnino viſendum exiſtimant, in principali culmine tantam eruditionem aſpiciendi. quamuis enim quamplurimas antiquitus fœminas doctri-

nâ, & literis excelluiſſe ſciant, & etiamnum aliquot excellere compertum habeant; tamen in iis reginas fuiſſe, aut regiis domibus oriundas admodum paucas meminerunt. Ex his enim pleræque corporis, quàm animi maiorem ſemper curam habuerunt, præoptarúntque pulcritudine, quàm literis cenſeri. Tu verò licèt in aula regnatrice educta, tamen virilibus curis fœminarum vitia exuiſti, luxum, & delicias. nec te palatinis delenimentis, & illecebris corrumpi ſiuerunt primùm egregia tua indoles, ad omnem virtutem compoſita: deinde Guſtaui patris exemplum, qui tanquam alter Hercules, aut Alexander ſpretis regiæ aulæ voluptatibus, ad immortalitatem virtutis via graſſatus eſt: poſtremò ingenium gentis, quæ ex cælo ob Septemtrionis vicinitatem horrido mores trahit, non quidem feros, aut truculentos, ſed ad ſeueram grauitatem, rigidúmque animi robur compoſitos. quæ quidem animi dotes, prudentia nimirum in regni adminiſtratione ſupra ſexum, & ætatem, voluptatum legitimarum abdicatio, ſupra verò omnia incredibile literarum, & optimarum artium ſtudium, vndique doctorum præcónia, & laudes quanquam minimè à te ambitas ex-

citarunt, itaut nulla non in parte orbis ſonet nomen Chriſtinæ eruditorum fautricis, & in qua nunc pæne ſola, ſpes, & ratio ſtudiorum ſita eſt: tuáque Holmia tanquam alteræ Athenæ omnium ſcriptis celebretur. quæ licèt in Septemtrionali littore poſita ſit, tam literatam, támque omni virtute excultam Reginam tulit: vbi nunc Muſæ iamdiu è Græcia expulſæ, & in ipſa Italia, & alibi non ſatis honoratæ, tutum, & honeſtum perfugium habent. Porro quamquam tantopere es literis dedita, tamen ex illarum contubernio vitia, quibus ſtudioſi neſcio quomodo eſſe obnoxij videntur, non contraxiſti, inertiam, & deſidiam: ſed ſtudiis exercitia propè militaria aptè interponens, equitationem, venationem, aliáque eiuſmodi, vtriuſque Palladis ſacra vicibus colis, doctæ nimirum, & armatæ. Quapropter appoſitiſſimè ſub eius habitu in numiſmate es effícta. Sed ne peccem in publica commoda, ſi longiori ſermone morer ſacras tuas occupationes, ſereniſſima Chriſtina, nihil mihi aliud ſupereſt, quàm populorum tuorum felicitati ex animo gratulari: quibus tanto Rege in medio victoriarum ſuarum curſu extincto orbatis tam benigna, támque ſapiens Regina obtige-

Digitized by Google

tis: quæ patris licèt abſolutiſſimi Principis vt deſiderium minus eſſet, effeceris, ſapientiſſimos, & nobiliſſimos Sueciæ ſenes in conſilium adhibendo: nec hos ſolos, ſed etiam mortuos, quos Rex ille optimos Conſiliarios eſſe dicebat, à quibus, cùm neque fallant, neque adulentur, ſemper optima conſilia ſumere licet. Ab his edocta, ingeniique dexteritate, & iudicij firmitate adiuta, Germanico bello flagrante, in puellari etiamnum ætate tantæ rerum moli ferendæ par fuiſti, vt de L. Lucullo ſcribit Cicero, *qui rebus geſtis legendis factus Imperator in Aſiam venit, cùm eſſet Româ profectus rei militaris rudis.* Tu iiſdem Conſiliariis vſa, in mediis ſucceſſibus victoriæ tuæ moderata es, & non minùs prudenti, quàm benigno conſilio pacem petentibus hoſtibus conceſſiſti, cùm quaſcunque liberet, pacis conditiones præſcribere liceret, in mente habens hos excellentiſſimi Poëtæ verſus:

Tu regere imperio populos Romane, memento:
Hæ tibi erunt artes, pacíque imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Nam, vt ait Liuius, *in bonis tuis rebus, hoſtium dubiis tibi ampla, ac ſpecioſa danti pax eſt.* Ea igitur de cauſa tibi gratulor, bello

Digitized by Google

ingenti, quod magnus Guſtauus pater tuus inclytæ memoriæ, cum tanta fortitudinis gloria geſſit, te non minore moderationis fama glorioſum finem impoſuiſſe. Voto epiſtola iam nimis longa finienda eſt, quo Deum precer, vt Sueciæ hunc ſtatum perpetuum, hanc pacem firmam eſſe velit, tibique, optima Regina, hoc ſtatu, hac pace longùm frui concedat. Vale.

ROL. MAR. PET. HALÆO POETÆ, ET INTERPRETI REGIO S.

EPISTOLA XXIX.

Hæc epiſtola vniuerſam puerorum in literis inſtitutionem continet.

MARCVS TVLLIVS ad M. Varronem ſcribens illum hortatur, *vt ſi nemo ipſorum operâ vtetur, vnà ſecum in ſtudiis viuat, & ſcribat, & legat πολιτείας: & ſi minùs in Curia, atque in foro, at in literis, & libris, vt doctiſſimi homines fecerunt, nauet operam reip. & de moribus, ac legibus quærat.* Hoc certè præſtare poterant homines excellenti ingenio, & in rep. verſati. Ego verò illis tanto inferior, & reip. expers, quid aliud in hoc meo literario otio in commune

conferre queo, niſi conſilia quædam, quæ ſtudioſos iuuenes in literarum ſtudiis aliquantùm iuuare poſſint? vt hacce, quam ad te do, mi Halæe, epiſtola, pueros à primo vſque literarum tirocinio, donec illud deponant, inſtituere mihi deſtinatum eſt. quæ quidem præcepta magnam partem noua quadam ratione, meóque arbitratu trado: ſed quæ, opinor, non magis valitura ſint, (neque enim ſum Academiæ rector, aut legiſlator) quàm Platonis πολιτεία, quæ nullam ciuitatem inuenit, quæ eius legibus vti vellet. Initio igitur cuperem, reiectâ illâ, quæ iamdiu in ſcholis obtinuit, Grammaticâ, vt prolixâ, obſcurâ, &, quod eſt importunius, Latinè ſcriptâ, vel eam ſubſtitui, de qua antea ad te ſcripſi, quæque mihi vſus valde commodi eſſe videtur, vel ſimilem: quæ pueros nec prolixitate, nec obſcuritate offendat, quæque Gallicè ſcripta ſit. in quo non parum momenti poſitum eſſe exiſtimo: quoniam præcepta Gallicè ſcripta faciliùs addiſcent, cùm non ſit opus interpretatione, & fideliùs retinebunt: & in eo non minimum temporis, rei pueris præſertim pretioſiſſimæ, fiet compendium. Cùm verò ad auctores Latinos aditum habebunt, tum illis vehementer inculcandum

eſt, vt orationem, quæ in ea lingua inuerti ſolet, per ἀνάλυσιν grammaticam exactè reſoluant, & verba omnia in ſuo ordine collocent. Nam perſuaſum habeant oportet, ſine ea exercitatione nullum auctorem à ſe rectè intelligi poſſe. At poſt aliquantum temporis, & aliquem in ea lingua progreſſum, verba ipſis noua, & quæ adhuc non legerint, quotidie in commentariolo ſcribant, quæ identidem relegant. ſic fiet, vt intra vnum, aut alterum annum magnum vocabulorum numerum in memoriæ theſauro reconditum habeant. Nam morem receptum, iam tum à principio phraſes, vt vocant, colligendi minimè probo: tanquam id vnum ſtudeant magiſtri, vt diſcipuli pæne priùs Latinè loquantur, aut ſcribant, quàm intelligant. quod ſanè præpoſterum eſt, & ridiculum. Ego verò ita ſentio, primum in docendo ſcopum eſſe oportere, vt Latinè ſciant, auctoréſque rectè interpretari poſſint. cuius rei cùm erunt compotes, tum demum minimo negotio, & paruo temporis ſpatio Latino ſermone ſcripturos eſſe, & locuturos arbitror. & alioqui pauci ſunt, quibus vſuueniat Latinè loqui, aut ſcribere: Theologi nimirum, qui tamen non exquiſito, ſed rudi, & im-

pexo ſermone vtuntur, & Medici. Nam in Germania peregrinantibus illotus ſermo, vt facilior, magis quàm terſus, & elegans ad colloquendum eſt idoneus. quæ non in medium affero, tanquam barbariei fautor, & ſermonis amator horridi, ac ſordidi, quive quemquam à Latinè ſcribendi exercitatione abducam. Id enim à mea mente longè eſt alienum: ſed vt oſtendam, vt prius eſt Latina intelligere, quàm ſcribere, ita antiquius & potius eſſe debere: nec ſtatim pueros ad id eſſe cogendos, quod propter difficultatem eos à ſtudiis, in quæ ſuapte naturâ non nimis propendent, auertere poteſt, priuſquam linguæ mediocrem notitiam adepti ſint. Quod ad confabulationes, quæ eo ſermone fiunt, attinet, eas puerorum cum præceptoribus, non ipſorum inter ſe eſſe velim. alioqui barbarè loqui, non Latinè aſſueſcent. Porro interim nos eſſe Gallos meminerimus. quapropter liber aliquis Gallicè ſcriptus à magiſtro in manus aliquando ſumendus eſt: in quo prælegendo linguæ noſtræ proprietates, & elegantias doceat, quid cum Græca, quid cum Latina conueniens, quid diſcrepans habeat: in qua admiſſos ſolœciſmos non minùs ſedulò arguat, nec minùs ſeuerè pu-

Digitized by Google

niat, quàm in Latina. certè apud Romanos linguæ ſuæ, quàm Græcæ potior erat cura: cui omnes, ſaltem honeſto loco nati ſub doctis Grammaticis non perfunctoriam operam dabant. Illud verò repetens, iterúmque, iterúmque monebo, vt quæ ſemel ipſis prælecta fuerint, ita inculcando frequenter, & repetendo memoriâ teneant, vt nunquam excidant. id in primis erit vtile. Nam ſi exempli cauſâ quinque, aut ſex Ciceronis libros firmiter in mente habeant, nullibi in eo deinceps hærebunt: raróque quid in Latinioribus ſcriptoribus occurret, quod non intelligant: nec fere quicquam erit, quod Latino ſermone purè, & eleganter exprimere non poſſint. Et in vniuerſum apprimè vtile eſſe arbitror, bonis aliquibus auctoribus ſe potiſſimùm addicere, quos ſemper in manibus habeas, & pæne ad verbum ediſcas: vt ſuprà dicto Ciceroni, cuius aliquot libri memoriter ſunt addiſcendi, & Terentio, cuius paucas tantùm Comœdias habemus, tam bono Latinitatis auctori, omniúmque venerum patri: quem, opinor, Eraſmus aliquoties exſcripſerat, & totum memoriâ tenebat, vt Thucydidem Demoſthenes octies deſcripſerat, & Tacitus Salluſtium, quem ad

Digitized by Google

imitandum ſibi propoſuerat, diligentiſſimè videtur euoluiſſe, cuius infinita verba, & loquendi genera exprimit. quod non eò dico, vt excludam alios. vagandum eſt enim per omne ſcriptorum genus: ſed vt paucis egregiis præcipuè inhæreamus, quos legendo conteramus, & ediſcamus. Quod ad linguam Græcam attinet, eam Muſarum alumno ita neceſſariam iudico, vt ſi illius expers ſit, vix in eo numero cenſeri mereatur, nec vnquam eruditi nomen aſſequi poſſit, ſed in literis cæcutire, & frequenter impingere cogatur; cùm Latina lingua magnam partem ex ea deſumta ſit, & ſcriptores, quos etiamnum præſtantiſſimos habemus, Græci ſint. Ergo poſtquam pueri aliquantùm in Latini ſermonis cognitione progreſſi fuerint, tum ad Græci elementa acriter ſunt inſtigandi: quæ, ſi dum in ſcholis ſunt, neglexerint, poſtea cùm adulti erunt, iis aliquam operam impenſuros nulla ſpes eſt reliqua. Et inde oritur quæ nunc paſſim regnat inſcitia, quòd adoleſcentes ſcholas relinquunt, Grammaticæ præceptis, & linguarum cognitione non ſatis inſtructi, ita ut poſſint nare ſine cortice, & claſſicos auctores ſine interprete intelligere: ad quæ tanquam puerilia, & ipſis non conue-

Digitized by Google

nientia, ſiue pudore, ſiue ſocordiâ poſtea recurrere nolunt. Itaque mirum non eſt, ſi nunquam poſtea ad ſolidam eruditionem peruenire poſſint, & in multarum rerum ignoratione verſentur: cùm iis elementis, quæ ſunt velut ſcientiarum fundamenta, deſtituantur. Sed iam locus eſt de proſodia dicendi: quæ cùm planè neceſſaria ſit, cùm ob accentuum rationem, in quibus ſi quis offendit, ſtatim literarum ignarus deprehenditur, tum vt verſuum menſuras, & genera dignoſcas, Poëtáſque meliùs comprehendas, quorum intelligentia ex ea aliquando pendet, ſedulò addiſcenda eſt. Nam quantum ad verſus factitandos attinet: ad eos quidem omnes adhortari, ſed neminem compellere oportet. Nam in iis natura multùm valet, quæ, ſi te deſtituat, fruſtra elabores. Deinde nihil eſt paſſim malis Poëtis frequentius. quanquam ad id luſûs genus eos qui in eo naturâ aliquid poſſunt, omnibus modis adhortor, tanquam omnino liberale, aptúmque animos grauioribus ſtudiis feſſos ſuauiter reficere, & demulcere. Figuras etiam, & tropos addiſcere prorſus neceſſe eſt, in quibus omnis orationis ornatus conſiſtit, ſaltem præcipuos, vt apud Poëtas, & Oratores, quibus

frequentiores ſunt, alióſque ſcriptores agnoſci poſſint: quos, qui poſtea pleniùs cognoſcere volent, Fabium adibunt, qui eos copiosè perſecutus eſt. Qui autem hodie ſeruatur ordo poſtulat, vt de Rhetorica hoc loco dicam, quæ ſcilicet poſt partam qualemcunque linguæ Latinæ cognitionem doceri conſueuit, ſed meo iudicio, aut antiquorum potiùs, præpoſterè, quia præproperè. Illi enim variarum rerum ſcientiâ inſtructi, ad Rhetores ſe planè adulti conferebant. Nam quid pueri commentari, & ex ſe ſcribere poſſunt, in omni genere artium rudes, qui nullum Poëtam nouerint, nullum legerint Oratorem, nullum Hiſtoricum attigerint? nihilominus tamen ab eis aliquando exiguntur orationes, qui vix ſententias, chrias, & ethologias ſubiectis dictorum rationibus poſſint componere. Primò igitur Latina ſcripta in Gallicum ſermonem conuertant, & vice verſa vernacula in Latinum. Deinde in eiuſmodi dicendi primordiis, ſeu progymnaſmatis, qualia ſunt quæ Aphthonius compoſuit, Rhetoricæ tironibus aptiſſima, ſe exerceant. Nam alioqui, per Deum immortalem, quæ eſt iſta, quæ nunc docetur Rhetorica à præceptoribus, qui ne elo-

Digitized by Google

quentiæ quidem vmbram fortè viderunt, ipſi plerumque infantiſſimi? Itaque ſtudiis abſolutis, tum demum more veterum adoleſcentes Rhetoricæ incumbant, cùm ex varia lectione aliquem doctrinæ penum ſibi comparauerint. quam in rem Ciceronis partitiones oratoriæ præſertim, & reliqua eiuſdem argumenti opera, Quintilianíque inſtitutiones, ſi aliquam dicendi facultatem parare volent, ſunt euoluendæ. quanquam nunc fere nullibi eſt eloquentiæ locus. Nam in iudiciis res agitur formulis per procuratores, & aduocatos: quibus, quando cauſas orant, vtique longum perorare non datur. Conſilia de rep. per homines habentur, in quibus plus eſt prudentiæ, quàm eloquentiæ, quam etſi habeant, oſtentare non ſinuntur. Sacros verò Concionatores ſimplex, & minimè fucata oratio cum vitæ integritate coniuncta magis commendat, quàm diſerta. Igitur nunc minimus eſt eloquentiæ locus, niſi fortè in ſcribendo: ad quod tamen magis vſus, & exercitatio, atque optimorum ſcriptorum lectio, quàm vlla ars eſt collatura. Sed quod iam expoſiturus ſum conſilium fortaſſe quoſdam nouitate ſua offendet. Cenſeo enim vt pueri, antequam ad Philoſophiam accedant, quæ matu-

Digitized by Google

maturius iudicium exigit, dum adhuc ſolâ fere memoriâ valent, Mathematicis ſcientiis imbuantur, & earum primordia Arithmeticam, & Geometriam ex præcepto Platonis, cuius eâ de re dictum percrebuit, & ex conſilio Quintiliani ediſcant. *qui in Geometria fatetur eſſe partem vtilem teneris ætatibus. agitari namque animos, atque acui ingenia, & celeritatem percipiendi inde venire: ſed prodeſſe eam, non vt ceteras artes, cùm perceptæ ſint, ſed cùm diſcatur.* Quid, quòd Plato, & Ariſtoteles ſine ea in pleriſque ſuis libris vix intelligi poſſunt? ex qua tanquam ea tempeſtate vulgata, & antè diſci ſolita, quàm Dialecticis opera daretur, exempla ſumunt. His etiam adiungi poteſt leuis Aſtrologiæ, ea nempe parte, quæ de ſphæra mundi agit, tractatio, vt Solis, & Lunæ curſus, ceteráque vulgaria noſcantur, tabularúmque Geographicarum habita cæli ratione vſus, qui omnino neceſſarius eſt, percipiatur. nam aliàs res eſt facilis, & ſolâ memoriâ conſtans, nempe ex earumdem tabularum inſpectione, & Geographorum lectione. Sed fortaſſe aliquis inquiet, iſta quæ proponis in medium, in ſcholis quæ hodie inſtitutæ ſunt, obſeruari non poſſunt. Fateor equidem alias in eis ſeruari leges, ſed quæ

Digitized by Google

facilè aliis legibus ſubuerti poſſint. Et reuera, quoniam ſcio morem qui ab antiquo inoleuit, ægrè conuelli, hæc omnia quæ hîc propoſui, non iis ſcripſi, qui in ſcholis, ſed iis qui domi, atque intra priuatos parietes inſtituuntur. Sed iam tandem ad Philoſophiam accedendum, quæ vulgò in tres partes diuiditur: vnam quæ rerum omnium diuinarum, atque humanarum vim, naturam, cauſáſque nouit: alteram quæ omnem bene viuendi rationem proſequitur: tertiam quæ artem rectè differendi demonſtrat. Quoniam verò ſatis audacter ex meo ſenſu conſuetudinem publicam pæne in omnibus immutaui, hîc quoque receptum morem minimè ſequendum puto. Illam enim Dialecticam, quæ iampridem eſt in vſu, ſermone barbaram, argutatricem, & infinitis inuolutam quæſtionibus fere ſuperuacaneis, vt parum Ariſtotelicam, ſicut & reliquas Philoſophiæ partes, quæ ſimili modo tractantur, vt verè dicam, minùs me probare fateor. quod tamen iudicium nec meum eſt tantùm, nec nouum. Iamdiu enim eſt, quòd viri cordati ſimul, & docti huic ſophiſticæ, & contentioſæ Philoſophiæ, & ſcriptis & ſermonibus reclamarunt. Nam quod ad Ariſtotelem attinet,

Digitized by Google

is in verbis purus eſt, & elegans, nec ad moleſtias, quæ ex materiæ difficultate, & obſcuritate oriuntur, tædium etiam illoti ſermonis adiungit: nec in labyrintho quæſtionum ſubtilium, *quæ acumen tantùm irritum exercent*, vt ait Seneca, verſatur, futilia, & ſuperflua conſectans, ſed circa propoſitum ſuum ſedulò occupatur. Itaque breuiorem, puriorem, elegantiorem, minùs intricatam, minúſque in nugis occupatam Philoſophiam, qualis eſt Molinæi, aliæque nonnullæ, doceri optarem: Ad hæc ipſum Ariſtotelem legi, ſaltem periphraſticè verſum, quomodo Philippus Canaius illius Organum egregiè noſtro ſermone expoſuit. quem Philoſophiæ totius eximium doctorem, & inſuper ſectæ quam ſequuntur, auctorem plerique magiſtri, quod maximè mirandum eſt, minimè attigerunt. Super omnia verò legitimum, & verum Dialecticæ vſum demonſtrari vellem: quæ ad hoc reperta eſt, vt reliquis artibus diſcendis inſeruiat, non, quod iſti putant, vt de ea ipſa argutemur, & inter nos ſine fine digladiemur. Hunc vſum optimè peruidit Ariſtoteles. Sed quid mirum, quando eam artem magna ex parte condidit? Eundem etiam cùm animo rectè comprehendiſſet Gale-

nus, admirabili prorſus methodo ſcientiam Medicam explicauit. Huius igitur beneficio, iſti excellenti ingenio, & doctrinâ viri, quas expoſuerunt diſciplinas ſingulari planè ordine tractarunt, artémque inuenerunt, quâ omnia clarè, & exactè explanarentur. At hunc Dialecticæ vſum percipere non cuiuſuis eſt, ſed hominis doctrinâ, atque inprimis iudicio præſtantis: quod quàm rarò in hominibus inueniatur, nihil attinet dicere. Sed longiſſimæ epiſtolæ, ſeu libello potiùs tandem finis imponatur: quæ quidem de paruis rebus agit, *ſed quas ſi negligas, non ſit maioribus locus*, vt ait Quintilianus. *nec enim ad vllius rei ſcientiam niſi præcedentibus initiis peruenitur.* quas licèt minutas præceptiones qui ſeruarit, niſi fallor, non omnino inauſpicatò ad altiores ſcientias, Theologiam, Iuriſprudentiam, Medicinam ſe conferre poterit: ad quas paſſim hodie homines illotis, vt aiunt, pedibus accedere videmus. Neque verò neſcius ſum quoſdam, qui noua ipſis, & inſolita primâ ſtatim fronte, nullóque adhibito iudicio exhorrent, iſta improbaturos. quos tantùm rogatos volo, vt rem maturè perpendant, nec ſententiam ſuam ſerio examini præuertere ſinant. alioqui quæ hîc expoſui

conſilia neminem alligant: ſequetur qui volet. Ad te verò ea miſi, mi Halæe: non quò in erudiendis nobilibus, qui tibi in diſciplinam traditi ſunt, adoleſcentibus, monitis cuiuſquam indigeas. meliora enim ex te afferre potes. Sed quoniam de Grammatica, & aliis rebus ad literas pertinentibus ad te ſcripſi antea, hanc itidem epiſtolam, quæ vniuerſam puerorum in literis inſtitutionem continet, dare volui. Vale.

ROL. MAR. PETRO LESCVRIO SVO REGIO SECRETARIO S.

EPISTOLA XXX.

Quærit cauſas, cur tanta ſit inter veteres & recentiores ſcriptores differentia, quantùm ad vigorem ſententiarum attinet: idque contingere ait, eo quòd recentiores in ſtudendo iudicium non ſatis exercent.

NOBILIS ille ſcriptor Gallicus, à te olim ſtudiosè perlectus, qui tam liberam, & apertam in libris ſui depinxit imaginem, ſcribit ſe paucos è nouis ſcriptoribus attingere; propterea quòd in eorum ſcriptis non ea ſit ſenſuum vis, ac robur, ſententiarúmque denſitas, quæ in antiquo-

Digitized by Google

rum libris cernitur. Idem cùm antea ſemper ſenſiſſem, ab aliquot annis in ea opinione magis magíſque confirmatus ſum. Cùm enim per epiſtolas de ſtudiorum ratione ſcribere cœpiſſem, prætérque antiquos recentiorum quoque vellem de ea re iudicia experiri, neceſſe mihi fuit præcipuos ex illis percurrere: tum etiam, vt quo ſcribendi genere vterentur, cernerem, & eos cum veteribus contenderem: cùm in animo haberem, noſtra quantum liceret, ad antiquorum normam reuocare. In nouis igitur ſcriptoribus quamplurimos quidem doctos viros reperi, ſed non admodum multos diſertos, pauciſſimos verò, qui acriter, viuidéque, & robuſtè ſentirent, ac dicerent. Quis enim eorum in ſenſuum profunditate, & vigore ad Plinium Maiorem, & Tacitum aliqua ex parte accedit? niſi fortè ille ipſe de quo initio egi, qui in ſenſibus eſt acer, & ſententiis creber, præfractus tamen, nec ſatis rotundus; aliique non multi? Cùm igitur mihi prorſus mirum videretur, tantam inter nos, veteréſque in ſenſu, iudicióque intercedere differentiam, cœpi animo agitare, vndenam id contingeret: ac primò putaui id fortaſſe accidere, quoniam optimi quique antiquorum libri tantùm ſu-

perſtites eſſent, cùm ceteri tempore intercidiſſent: nunc verò Typographicæ artis beneficio infinitos ſuccreſcere, & malos etiam, qui antiquitus exſcriptores non inueniſſent, minimo labore, & impendio excudi, & in publicum exire. Sed conuenientius eſſe duxi, confiteri id vitio noſtro contingere, qui primùm in ſcholis multos annos in ediſcenda lingua Latina terimus, memoriámque tantùm percipiendis aliquot ſcientiis exercemus, iudicij nulla cura: quod maximè exercendum erat, & formandum, ſi bonos præceptores, quíque officium ſuum probè noſſent, haberemus. quos ex Platonis dialogis ſumere exemplum oporteret; in quibus Socrates, cuius exemplum poſtea ſecutus eſt Arceſilaus, diſcipulos ſuos primùm loqui, & de rebus propoſitis quid ſentiant, expromere iubet, deinde eos docet. Sed tales præceptores nunc profectò non reperiuntur. Xenophon quoque in ea Cyri inſtitutione, quam non ad fidem hiſtoriæ ſcripſit, fingit apud Perſas ſcholas fuiſſe, in quibus pueri variis quæſtionibus exercebantur, per quas eorum iudicium inſtrueretur, & mores rectè inſtituerentur. At nos malè à malis magiſtris edocti poſtquam è ſcholis exceſſimus, iudicium nihi-

lo magis exercemus, nec res iudicare aſſueſcimus; ſed tanquam Pythagorei, qui præceptori erant addictiſſimi, cruda & indigeſta, prout alij dixerunt, proferimus, nec ſatis attendimus iis, quæ legimus, aut quæ quotidie in oculos incurrunt, nec in ſingularum rerum contemplatione, & diſcuſſione ſatis immoramur, aut adhæreſcimus. quo fit, vt iudicium in nobis in dies non creſcat. quod maximè fieri debuit. Et quamuis in auctoribus probis, & omni dote eximiis frequenter verſemur, tamen inde nec ſtilum meliorem facere, nec ad eorum normam ſcribere addiſcimus, propterea quòd illorum in ſcribendo virtutes non attendimus, nec quid potiſſimùm ſecuti ſint, ſpectamus: ſed fere oſcitantibus animis libros euoluimus, perfunctoriéque tantùm ſtudemus. Quæ verò tua ſit de veteribus, nouiſque ſcriptoribus ſententia, mi Leſcuti, non dubius ſum, cùm te videam legendis Tacito, & Plutarcho otium, quod tibi per morbum frequentiùs contingit, quàm velles, terere. quanquam quod ad Hiſtoricos attinet, nulli non ſunt attingendi, etiam barbari: ſimiliter qui de ſcientiis ſcripſerunt, ſi quid noui in eis, & priſcis intacti ex ſe protulerunt. nam quæ ſuperiùs di-

xi, de iis, qui de vita, moribúſque, aut Rep. libros compoſuerunt, potiſſimùm intelligenda eſſe non ignoras. Vale.

ROL. MAR. GABRIELI NAVDÆO MAZARINIANÆ BIBLIOTHECÆ Præfecto S.

EPISTOLA XXXI.

De librorum præſtantia agit, & de bibliothecis, ac de bibliothecæ præfecti officio: cui maximè idoneum eſſe Naudæum affirmat.

EXIMIA profectò res eſt, & magni facienda, librorum ſupellex, & gemmis, auróque pretioſior, cuíque comparandæ, ſi res ita ferat, aliqua etiam patrimonij portio non malè impendatur. quid enim nobis pretioſius, aut carius illis eſſe poteſt, cùm rerum memoriam ſeruent, & omnes ſcientias quæ nobis tantæ ſunt oblectationi, atque adiumento, contineant, præceptis vitam inſtruant, denique nos ad humanitatem, atque virtutes fingant? Eorum quoque poſſeſſio iucundi omnino eſt vſus, & commodi. iuſſi enim loquuntur, & iterum iuſſi tacent, ſempérque ad omne impe-

Digitized by Google

rium præſto ſunt; à quibus nihil vnquam, niſi quod velis, & quantum velis, audias: quóſque idcirco mutos Conſiliarios rectè vocare poſſumus. In iis tamen, vt in ceteris rebus modus eſt optimus, neque eos in immenſum accumulari probo, niſi fortè vſibus publicis deſtinentur. Iſta enim lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum habet aliquid vagum, & inſtabile. præcipuè verò in adoleſcentibus, & literarum tironibus, qui vtplurimùm amœnitates ſtudiorum quærunt, hæc cupiditas varios libros deuorandi mihi improbatur: quibus optimi quique tantùm in vnoquoque genere attingendi ſunt, nec more apum omnia libandi facienda copia: quod ſolùm veteranis, & in ſtudiis longo vſu exercitatis licere oportet. Habent quidem proceres noſtri maximas bibliothecas, *& non in ſtudium, ſed in ſpectaculum*, vt ait Seneca, *& in ſpeciem, ac cultum parietum libros plerumque comparant.* Ceterùm humanitati, & comitati valde conuenit, vt qui magnum voluminum numerum comparauerunt, illa cum amicis communicent, & Virgilij benignitatem imitentur, cuius bibliotheca, vt refertur in eius vita, non minùs aliis doctis patebat, ac ſibi, cùm Euripidis illud antiquum

ſæpe vſurparet, τὰ τῶν φίλων κοινά. quod qui bonis viris denegant, his verſiculis meritò obiurgari poſſunt,

Quid vetat appoſito lumen de lumine ſumi?
Mille licèt ſumant, deperit inde nihil.

Libri enim, ſi modò dum leguntur, cautè habeantur, & cum cura ſeruentur, nihil detrimenti accipiunt. hoc tu beneficium notis, & amicis egregiè præſtas, humaniſſime Naudæe, qui eis libros, quos multos, eóſque eximios habes, tam liberaliter commodas. quo nemo, vt reor, maiorem βιβλιακὴν ἐμπειρίαν vnquam habuit: de qua Telephus quidam olim librum compoſuerat. neque verò tantùm librorum indices tenes: quos Conradus Geſnerus vir laborioſiſſimus, & verè alter Didymus χαλκέντερος dictus non confecit primus. Nam id in iis quæ ſuo tempore extabant, voluminibus Callimachus Grammaticus diu antè præſtiterat. Polemon quoque, Hypſicrates, & Antigonus, vt refert Diogenes Laërtius in Chryſippi vita, de librorum indicibus, quos πίνακας vocant, ſcripſerant. nec illos exteriùs tantùm more Bibliopolarum, ſed etiam intus nouiſti: nec magis es φιλόβιβλος, quàm φιλόσοφος, quod de Appelliconte Teio, qui Ariſtotelis opera exſcribendo deprauauit,

Strabo dixit. Id luculenter teſtantur tot volumina, quæ longum ſit recenſere, à te edita. Itaque hæc librorum notitia, quam longo vſu conſecutus es, cum non vulgari eruditione coniuncta te Romæ Cardinalibus, proceribus, aliiſque viris doctis gratum, & acceptum reddidit; præcipuè excellenti viro, quem Mæcenatem tuum appellare ſoles, Cardinali Bagnio, qui te bibliothecæ ſuæ præpoſuit, & quamdiu vixit, valde dilexit. Eadem te cauſa ad nos reuerſum magnatibus noſtris conciliauit, &, vt numeroſiſſimæ, & inſtructiſſimæ omnium, quæ vſquam ſunt, bibliothecæ præficereris, effecit. Id autem præſtantium doctrinâ virorum ſemper munus fuit. quod etiam apud Ptolemæum Philadelphum, vt refert Ioſephus, exercuit Demetrius Phalereus, Alexandrinæ bibliothecæ præfectus, probatiſſimus Grammaticorum Tertulliano dictus, quamuis inſuper Orator, & Philoſophus, ac gerendæ reip. peritiſſimus fuerit, & patriam ſuam Athenas pluribus annis rexerit. I. Cæſar M. Varroni Romanorum doctiſſimo bibliothecarum Græcarum, & Latinarum comparandarum, & digerendarum, quas publicare deſtinauerat, curam dedit. Auguſto quoque delegante C. Meliſſus

Grammaticus eandem curam ſuſcepit. Id verò munus præclarè ſuſtines, egregiámque eminentiſſimo viro domino ſumptuoſiſſimæ illius bibliothecæ nauas operam, libros vndique conquirendo, eóſque optimo ordine in claſſes digerendo, & ſumma cum cura aſſeruando: ſimúlque doctis hominibus huc ventitantibus officium præſtando, dum libros, qui poſcuntur, non cunctanter porrigis, & conſilij tui copiam facis, ſiquando de libro quopiam, quandoquidem cunctorum nomina, tanquam vngues, digitóſque tuos nouiſti, aut de re aliqua in literis recondita interrogeris. quam comitatem cùm antea famâ accepiſſem, nuper reipſa expertus, quantùm tibi eo nomine deuinctus eſſem, hocce etiam ſcripto teſtificari volui. Vale.

ROL. MAR. IACOBO MENTELIO DOCTORI MEDICO PARISIENSI S.

EPISTOLA XXXII.

De mirabili Typographiæ inuento agit, eiúſque vtilitates recenſet.

GRÆCI homines, qui, vt ait Cicero, *non ſolùm ingenio, & doctrinâ, ſed etiam*

Digitized by Google

ſtudio, & otio abundarunt, pleraſque ſcientias inueniſſe dicuntur. Iidem etiam pleraque artificia repererunt, cùm Romanos tempore præceſſiſſent, eſſéntque ſagaces, ac diligentes: quo nomine à Plinio vbique celebrantur. De his artificiis mihi nunc eſt ſermo: ex quibus quædam in vſu eſſe deſierunt, quæ tempus rerum edax, vt ait Ouidius, & vetuſtas inuidioſa aboleuerunt, vt purpuræ vſus in tingendis veſtibus, ſpecularium ex lapide ſpeculari, & alia. quorum tamen loco, velut in ſolatium, tempus idem, quod perpetuis viciſſitudinibus gaudet, longè plura ſubſtituit: natura enim nequaquam effœta eſt, & ingenia noſtra, ſi modò ſegnitiem excutiamus, non minùs quàm antiquorum, ſolertiæ habent, nec minùs variarum rerum inuentione vitam iuuare poſſunt. Verùm ex his, quæ recens ætas reperit, (vt omittam magnetis vſum tanti ad nauigandum commodi, cuiúſque operâ terræ antea nobis inuiæ, audacter aditæ ſunt, aliáque multa non minùs vtilia,) duo mihi præcipuè miranda eſſe videntur, Typographia, & bellica ex ære tormenta, quorum alterum quantùm eſt vitæ commodum, tantùm alterum eſt damnoſum, & peſtiferum. ſed de eo inſtrumento perden-

dis nece horribili hominibus tam accommodato mentionem facere non eſt animus: cuius non homo, ſed aliquis malus genius dicendus eſt auctor. nec verò iſte nominatur, ſeu ipſum ſui inuenti puduit, quod omnium execrationem, nedum laudem meretur, ſeu diuino Numine factum eſt, vt abominandi illius monſtri, quod in veneficiorum inuentoribus, peſtibúſque ſimilibus numerandum eſt, nomen ignoraretur. De altero inuento lubens memorabo: quod, vt ſtudiis vtiliſſimum, literati omnes ſummis laudibus debent in cælum tollere. quæ enim in iis maior vtilitas eſſe poteſt, quàm libros facili negotio, breui tempore, & minimo ſumptu in infinita exemplaria transfundi, itaut vnus vno die Typographus plus operis conficiat, quàm mille ſcribæ. quæ profectò celeritas, facilitáſque homini inexperto pæne incredibilis videatur. Iſtud autem compendium omnem ad ſtudia pigris ſegnitiei excuſationem adimit, pauperibus quoque: cùm nunc paruo pretio, præut antea vænibant, volumina mercari liceat: quæ etiam ipſo characterum nitore, & elegantiâ lectorem alliciunt, cùm priùs inamœno, & plerumque compendioſo literarum ductu propemodum abſterrerent.

Digitized by Google

quale verò, quantúmque eſt iſtius artis beneficium, quòd per eam habemus libros quamplurimos, qui dudum hominum negligentiâ alioquin interiiſſent, vt tot nobis interciderunt, iique præſtantiſſimi? fatum enim ſcriptorum antea pendebat ex arbitrio hominum plerumque illiteratorum, ad quos tamen omnis res literaria reciderat, qui inſtar Ariſtarchorum, prout animo collibitum erat, alios auctores exſcribi curabant, alios intercidere patiebantur. quo factum eſt, vt tot egregia ſcripta amiſerimus, cùm ſuperſint, quæ vix ſeruari, & exſcribi merebantur. Atque vtinam tam egregium artificium iam tum veterum Græcorum tempore extitiſſet. (verùm etſi id fortaſſe minùs quis expetendum fuiſſe dicat, nimiâ enim librorum copiâ laboraremus.) quod ſi extitiſſet, non dubito quin illius artis, vt rei mortalibus vtiliſſimæ, inuentorem fuerint conſecraturi, ſicuti Cererem, & Bacchum cælo donauerunt. qui quidem auctor, & inuentor cùm antea incertus eſſet, multis hunc honorem ambientibus, nonnulliſque claris ciuitatibus de eo in certamen venientibus, nunc, mi Menteli, euidentibus libri tui argumentis, quem de Typographiæ origine compoſuiſti, generi tuo

aſſertus

Digitized by Google

aſſertus eſt. quod cùm pridem nobile apud Argentoratenſes eſſet, poſteà multò nobilius hocce inuento factum eſt. quo nomine primus eius auctor ille ex tuis proauis Mentelicis illuſtri ad ſtemma gentilitium additamento ab Imperatoribus donatus eſt. non enim ſola militaris fortitudo coronari debet: ſed quicunque ingenio ſuo, aut induſtriâ aliquod eximium beneficium in ſocietatem hominum conferunt, nullo non honoris inſigni decorandi ſunt, & poſteritati commendandi. Cuiuſmodi quidem maioribus non indignum te præſtas, cùm in hac vrbe magna cum induſtriæ laude medicinam facis. ex iis enim eſt artibus, quæ, vt ſummè nobilis, hominum quippe generi ſubleuando inuenta, diis adſcripta eſt, cuiúſque princeps Hippocrates ex illuſtri, & vetuſta Aſclepiadarum gente oriundus fuit. Vale.

ROL. MAR. FRANCISCO VAIERIO SERENISS. DVCIS ANDEGAVENSIS Præceptori S.

EPISTOLA XXXIII.

De puerorum regiorum in literis inſtitutione agit, & Sereniſſ. Duci gratulatur, quòd illi talis præceptor obtigerit; Vaierio, quòd talis diſcipulus.

CVM in priuatorum liberis inſtituendis non parua ſit adhibenda cura, tum ſummam, & præcipuam Regum filiis educandis, & erudiendis operam impendendam eſſe certiſſimum eſt. In hoc enim maximè populorum ſalus vertitur, ſi tenera regiorum puerorum ingenia, qui Reip. gubernaculis aliquando admouendi ſunt, ad virtutem informentur. Ea verò cùm per literas optimè, & ſuauiſſimè animis inſeratur, omni ope contendendum eſt; vt pueri in tantam ſpem educti, maturè ſtudiis imbuantur, & leuem ſaltem bonarum artium cognitionem adipiſcantur: quibus cùm adoleuerint, tum animum ſuum oblectare, tum ſibi, aliiſque meliùs conſulere poſſint.

Digitized by Google

Quare nihil populis optabilius eſſe poteſt, quàm ſi Principum liberis contingant ſapientiâ, doctrináque conſpicui præceptores. nec ſine ſumma ratione Philippus Macedonum rex epiſtolâ ad Ariſtotelem ſcriptâ, quæ etiam nunc extat, non tam ſe diis gratiam habere teſtatus eſt, quòd ſibi natus eſſet filius, quàm quòd ipſius temporibus eum naſci contigiſſet. Simili planè modo, vir docte, nobis gratulari poſſumus, te ſereniſſimo Duci Regis fratri præceptorem eſſe appoſitum. Eæ enim in te dotes elucent, quæ te hoc munere dignum maximè reddunt: linguarum præcipuè, & optimarum artium cognitio. nam tuæ potiſſimùm partes ſunt, humanitatis, & omnium Principe dignarum artium ſtudia regium puerum docere. quanquam & rectoris, ſiue cuſtodis officio, quod mores præcipuè ſpectat, aliqua etiam ex parte fungeris. neque enim, vt Plutarchus ſcribit, Ariſtoteles magnum ſuum diſcipulum tam exercuit in texendis ſyllogiſmis, aut Geometriæ principiis addiſcendis, quàm per amœna Philoſophiæ præcepta ad magnanimitatem, fortitudinem, & temperantiam informauit. Docebis igitur, ſat ſcio, illuſtrem tuum diſcipulum ea quæ maximè Principem ſcire

Digitized by Google

par eſt, & ita eum omnibus ſcientiis imbues, vt tamen teneat ex ſapientia modum, nec ex ſtudiis literarum vltrà quàm Principi conceſſum eſt, hauriat. nec enim ſcholaſticum, aut græculum fieri probem, quo nomine Imperator Hadrianus appellatus eſt, eo quòd Græcis literis impenſiùs eſſet eruditus: quia fere contingit, vt qui Muſarum ſacris penitiùs ſunt initiati, otij amantes, & in rebus gerendis remiſſi ſint, nec perinde ac decet, prompti ac efficaces. quamquam hoc vitium in regibus, aut ſummatibus non valde eſt formidandum. plerique enim opinionis errore, qui omnes fere nobiles inuaſit, non turpe ſibi ducunt literas neſcire, rati eas animi vigori, ac robori obſiſtere; & Agrippinæ opinioni adhærent, quæ *Neronem à Philoſophia auertit, monens imperaturo eſſe contrariam:* aut ſaltem Neoptolemum Ennianum ſequuntur, qui dicit *philoſophandum eſſe, ſed paucis.* quanquam Plato ſapienter dixit, beatas fore reſp. in quibus Reges philoſopharentur: & literæ cùm vitam tranquilliùs, ac beatiùs agere, tum etiam alios meliùs regere doceant, ſine Philoſophiæ commercio, ſine hiſtoriarum lectione, quæ, quod illa præceptis docet, exemplis commonſtrant. Nam quòd

Proceres noſtri ſtudiis literarum animos emolliri dicunt, illuſtribus documentis refellitur. ſiquidem nec Epaminondæ, nec Alexandri Magni bellicoſos ſpiritus liberales diſciplinæ, aut Philoſophia infregit: nec earumdem artium notitia Auguſtum, & Marcum, tótque alios Imperatores administrando imperio ineptos, imò multò aptiores reddidit. Ceterùm tu, mi Vaieri, tibi gratulari debes, quòd eximium agrum colendum acceperis, præſtantémque indolem nactus fueris in eo Principe, cuius ſpei admotus es, & ingenium, celeriter percipiendis diſciplinis, & altiùs memoriæ infigendis maximè idoneum. Nos verò vtrique, imò nobis duplici nomine gratulari debemus, quòd talis diſcipulus egregiis à natura dotibus inſtructus tibi obuenerit: quódque tu omnibus eximij præceptoris virtutibus ornatus illi contigeris. ex tali enim indole, talíque diſciplina, multa, magnáque commoda in remp. aliquando redundatura planè confido. Vale.

ROL. MAR. PETRO, ET IACOBO PVTEANIS FRATRIBVS S.

EPISTOLA XXXIV.

Sarrauij mortem deflet apud Puteanos, iiſdémque illius carmen ſepulcrale mittit.

CVM ſatis diu clariſſimi Senatoris Sarrauij mortem animo voluiſſem, quæ mihi adeo inopinanti nuntiata eſt, vt tum maximè eum ex peregrinatione reuerſum inuiſere cogitarem; & non tam ipſius, quippe calamitoſo tempore erepti, quàm vrbis bono ciue, & integerrimo iudice orbatæ vicem miſertus eſſem: vt egregio viro, quem viuentem coluiſſem, mortuo qualicunque munere parentarem, hoc ſepulcrale carmen exaraui. Et ſanè omnibus omnium, quotquot vbique ſunt, virorum doctorum laudibus decorari meretur: quos, dum vixit, ſummo ſemper in honore habuit, coluit, & quantum in ipſo fuit, adiuuit: vir & ipſe doctus, qui non ſolùm Latinis, ſed etiam Græcis literis non vulgariter eſſet eruditus, nec leuiter bonos ſcriptores attigiſſet, in quibus magnam ætatis partem contriuerat. Non iam hîc comme-

Digitized by Google

moro, quantùm in Romano iure, & noſtro, ceteríſque in rebus, ad iudicis munus pertinentibus conſummatus, & in litibus diiudicandis æquus, & incorruptus fuerit. Quantùm verò ab iis qui literas colerent, ipſe coleretur, ex eo manifeſtum eſt, quòd nullus fere exterorum literatus in hanc vrbem venit, quin Sarrauium tanqnam literarum, literatorúmque fautorem conueniret, & viciſſim ab illo omni comitate, & beneuolentiâ exciperetur. Quod etiam magis luculento teſtimonio patuit; quippe illa ſæculi noſtri decus, quæ non tantùm literis fauet, ſed etiam iis eximiè culta eſt, Chriſtina Regina tanto virum honore affecit, vt non ſolùm de ſtudiis, & libris cum eo per literas ageret, ſed etiam grauiſſima negotia, quæ apud nos habebat, ipſi committeret. Quæ cùm ita ſint, doctorum hominum, vt dixi, ſcriptis eximij viri memoria proſequenda eſt, & immortalitati commendanda. Cùm verò animo perpenderem, cui hos non ſatis elaboratos verſus, nec illo dignos mitterem, (poëticam enim iamdiu abiectam eius tantùm cauſâ repetij) vos inprimis, viri clariſſimi, occurriſtis, qui cùm viuum eximio amore complecteremini, ab eo mutua caritate, & beneuolentiâ ſemper culti

eſtis: quos vt iucundis veſtris, literatiſque ſermonibus frueretur, libentiſſimè, cùm eſſet commodum, inuiſere ſolebat. Quare habete vobis quidquid hoc eſt carminis; cùm neminem, cui rectiùs daretur, inuenerim. Valete.

CLAVDII SARRAVII SENATORIS PARISIENSIS ſepulchri inſcriptio.

ANTISTES *legum, vir ſeruantiſſimus æqui*
Mortuus hoc tegitur marmore Sarrauius.
Aſſecla qui pariter Phœbi, pectúſque poliuit
Artibus, & linguâ doctus vtrâque fuit.
Ante diem, necdum matura ætate peremptus,
Gnauus, & ad patriæ commoda fortis adhuc.
Ergò virum ex animo regina Lutetia ploret:
Iudex iura ipſi reddidit æqua bonus.
Quem Muſæ, Phœbúſque ſuum defleuit alumnũ,
Tutorem legum fleuit & ipſa Themis.

Digitized by Google

ROL. MAR. GVIL. LAMOINONIO *Regi à ſupplicibus libellis* S.

EPISTOLA XXXV.

Literarum legitimum eſſe vſum, cùm ad publicam vtilitatem conferuntur: ideo virum ampliſſ. commendat, quòd cùm ſit doctus, ad publica munia acceſſerit.

LITERÆ, quod tu non neſcis, vir ampliſſime, ſi verus earum vſus quæritur, præcipuè colendæ ſunt, vt nos ſapientiores reddant, & ad bene, beatéque viuendum inſtructiores. non enim ſola delectatio ex eis petenda eſt; nec valde commendandæ ſunt, *quæ ad ſapientiam doctoribus ſuis non profuerunt.* Sed, quoniam, vt præclarè ſcripſit Plato, *non nobis ſolùm nati ſumus, ortúſque noſtri partem patria vindicat*, cognitionem noſtram, & ſcientiam ad aliorum vtilitatem referre debemus: nec imitari priſcos Philoſophos, qui diſcendi ſtudio impediti ad remp. non accedebant, deſerentes vitæ ſocietatem, in quam nihil ſtudij, nihil operæ conferebant: ſed æmulari potiùs illos egregios duces, & rerump. adminiſtratores, Græcos, Romanóſque: quo-

rum plerique cùm literis eſſent eruditi, & Philoſophiæ cognitione imbuti, ſtudia ſua non ſuis tantùm, ſed etiam publicis vtilitatibus conſecrarunt. Horum veſtigia, vir clariſſime, ſequeris, qui cùm è familia illuſtri, & Senatoria natus eſſes, maiorum tuorum exemplo ad magiſtratus, & publica munia te accinxiſti: in quibus vt cum maiore dignitate, & in commune vtilitate verſarere, omni literarum genere excoli voluiſti, & ad ſtudia non ſegniter animum adieciſti: *quæ amas, vt pauper*, quod Plinius Minor de ſui temporis viro lauto, & diuite dixit. Iſta verò in ſtudiis inſtantia, & ſedulitas mira profectò videri debet in viro nobili, & omnibus fortunæ bonis affluente: cùm iuuenes nobiles, aut diuites, qui hodie magiſtratus ambiunt, magnam partem vulgari doctrina contenti ſint, quæ ad dignitates dumtaxat aditum præbeat: quas cùm ſemel adepti fuerint, in literarum cognitione proficere non admodum curant, vt muneri ſuo iudicandi ſatis difficili magis ſint idonei, ſed omne ſtudiorum genus plerumque deſerunt, curâ rei familiaris, aut voluptatibus abducti, & ea relinquunt mediocris fortunæ hominibus: quorum pars vt facultates ſibi comparet, vel certè augeat,

pars modicis opibus contenta, vt otium ſuum honeſta occupatione fallat, aut oblectet, literas colit, & ſcientias amplectitur. Tu verò neglectis in iuuenili ætate voluptatibus, vitæque amœnitatibus, indefeſſo ſtudio, & ardore incredibili in libris verſaris: quorum magnum numerum tibi comparas, non vt eis egregiè miniatis, & inauratis bibliothecæ parietes exornes, vt quidam faciunt, ſed vt eorum aſſiduo vſu mentem ſcientia magis, magíſque excolas, & ſubſidia pares, quibus inſtructus non ſolùm ciuiles controuerſias rectè, & ex æquo iudicare poſſis, quanquam id non minimum eſt, ſed etiam in Senatu, cùm de Rep. agitur, ſententiam grauiter, & ornatè dicere, quódque his adhuc maius eſt, cùm ad exteras nationes, vel etiam ad noſtras prouincias nomine Principis miſſus fueris, legationis munere ritè, & honorificè queas defungi. quæ pro Rep. munia vt virtutibus tuis debita cùm aliquando tuo loco ſis obiturus, nunc vt accelerentur bonis omnibus optandum eſt, cùm patria bellis externis exercita, inteſtiníſque diſcordiis agitata, tui ſimilibus viris, qui eam conſiliis ſuffulciant, & operâ iuuent, maximè indiget. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. PETRO COSTARDO SVO S.

EPISTOLA XXXVI.

Liberalium artium laudes tractat: quas tamen non ſufficere ait, vt quis abſolutè ſit doctus, ſed adiungendas grauiores ſcientias.

HVMANITATIS ſtudia, politioréſque literas tanti ſemper feci, vt eas ne nunc quidem deſeram. quod quare culpandum ſit, non video, nec cur aliquis dicat hæc ſtudia tanquam amœniora iuuenilibus tantùm annis conuenire, cùm Cicero ſcribat *illa adoleſcentiam alere, ſenectutem oblectare, ſecundas res ornare, aduerſis perfugium, & ſolatium præbere, delectare domi, non impedire foris, pernoctare nobiſcum, peregrinari, ruſticari.* qua viri eloquentiſſimi commendatione, quæ maior vlli arti tribui poteſt? his prorſus conſona tradit bonus item eloquentiæ magiſter Quintilianus, cùm Grammaticam, quæ magnam liberalium ſtudiorum partem continet, dicit *neceſſariam pueris, iucundam ſenibus, dulcem ſecretorum comitem, & quæ vel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quàm oſtentationis.* Quamobrem

Digitized by Google

nemo eas literas vt pueriles, & tenues, ac ieiunas cauilletur, neque ita anguſtis finibus concludat, ac quidam hodie faciunt, qui φιλολόγους non magni æſtimant, nec aliud quàm vulgaria, & parua conſectari putant. Nam, vt idem Fabius ait, *Grammatica tenuis à fonte, aſſumptis Poëtarum, & Hiſtoricorum viribus, pleno iam ſatis alueo fluit: cùm præter rationem rectè loquendi non parum alioqui copioſam, propè omnium maximarum artium ſcientiam amplexa ſit:* & ignauia noſtra fit, vt eiuſmodi artes inter ſe diſiungantur. Etenim, vt idem qui mihi frequenter in ore eſt Cicero ait: *Illæ omnes artes quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur:* & vt quis optimus Grammaticus euadat, efficiendus eſt ille doctrinæ orbis, quam Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. quod tamen non eò valet, vt is Dialecticam, verbi gratiâ, Geometriam, & alias artes, quæ ſunt ex numero liberalium, exactè tenere, ſed iis tantummodò tinctus eſſe debeat: de quibus, quando incidat, non tanquam earum artifex, ſed tanquam alieni artificij non ſtultus exiſtimator poſſit diſſerere. Vt verò quis pro perfectè erudito ſe venditare poſſit, cum Philoſophia, &

Digitized by Google

altioribus ſcientiis ingenuas artes coniungat neceſſe eſt. quales quidem poſt antiquos illos, ſi verum dicere licet, non admodum multi extiterunt: adeo nunc hæc ſtudia inter ſe diſſociata ſunt, & πολυμάθεια in paucis floret. Nam qui nunc ſe Philoſophos profitentur, Grammaticam, & huic connexas artes, tanquam Philoſophiæ grauitati parum conuenientes aſpernantur: cùm contrà hæc illarum ornamentis deſtituta, nuda, & ſine vllo decôre appareat, & priſci Philoſophi iam inde à Platone, & Ariſtotele eiuſmodi ſtudiorum venuſtatem cum Philoſophiæ cognitione coniunxerint, nec eam dedecere ſermonis lenocinium exiſtimarint. Hodierni verò Theologi, credo, altiſſimæ ſcientiæ maieſtatem imminui arbitrarentur, ſi ad eam elegantes literas adiungerent: niſi potiùs id faciunt deſidiâ, laboriſque tædio, qui non minimus exhauriendus eſt in linguis ediſcendis, & tot ſcriptoribus euoluendis. Deus bone! quantùm in hoc antiquis illis Theologis, Græcis præſertim abſimiles, qui cùm omnes ſeculares, vt vocant, literas nouiſſent, eas non incongruum eſſe cenſuerunt cum rebus ſacris miſcere, vt nihil non etiam profanum in ſummi Dei gloriam conferrent

Sed quorſum hæc, inquies erudite Coſtarde, tam alto repetita principio? Nimirum vt dum liberalium artium, & humaniorum literarum ἐγκώμιον texo, tuum etiam ei adiungerem, qui his adeo es expolitus, vt nullus fere ex antiquis Poëtis, Hiſtoricis, aliiſque optimis ſcriptoribus tibi non ſit ſtudiosè perlectus, nullum egregium opus vulgari aliqua lingua ſcriptum, tibi ſit intactum. cum quibus amœnioribus literis ſeueriores etiam ſcientias, Philoſophiam nempe, & Theologiam, vt omni ex parte in doctrina abſolutus eſſes, copulaſti. hoc luculenter oſtendunt lucubrationes tuæ vernaculo ſermone ſcriptæ, quæ per manus elegantium hominum volitant: quarum aliquot beneficio Menagij noſtri, qui tibi hanc epiſtolam curabit, quóque conciliatore ad ineundam tecum amicitiam vtor, aliquando videre licuit. quas quidem certus ſum te in iſto alto ſeceſſu, & honeſto otio, quod munificentiâ eximij Præſulis tibi contigit, quotidie amplificare. neque enim te in medio curſu reſtitare credibile eſt. ſed nihil dum, quod ſciam, emiſiſti: quo facto nos tacitè condemnas, qui temerè quicquid in buccam venerit, vulgamus, dum aliorum in ſcena ſaltantium ſpe-

ctator eſſe mauis, quàm ipſe ſpectaculum præbere. Verùm tua ſcripta ſunt eiuſmodi, vt cenſorem etiam moleſtiſſimum vereri non debeant. Quare aliquid tandem ede, habiturus me, ſi quid hoc ad rem pertinet, tuorum operum approbatorem. Vale.

ROL. MAR. ÆGIDIO MENAGIO SVO S.

EPISTOLA XXXVII.

Quorumuis monumentorum inſcriptiones linguâ patriâ fieri debere.

PERSÆPE miratus ſum, mi Menagi, cur ſepulcrorum, aut aliorum monumentorum inſcriptiones hodie plerumque Latinâ linguâ fiant, cùm vernaculo cuiuſque nationis ſermone meo quidem iudicio fieri deberent, vtpote in eorum gratiam factæ, & iis ad legendum propoſitæ, apud quos poſitæ ſunt; quemadmodum apud Græcos Græcis, apud Romanos Latinis verbis conceptas videmus. Nec eſt quòd quis ob continuam linguarum mutationem id fieri dicat, Latinam verò linguam vt iam nullius gentis propriam, ſed tantùm in ſcriptis vſurpatam, & in commercium omnium

nium populorum quaſi communem fa-ctam, nullis ampliùs mutationibus eſſe ob-noxiam. quamuis enim confitear linguas omnes, quæ ſunt in vſu, & noſtram præſer-tim, poſt aliquot ſæculorum curſum valde immutari: nullum tamen eſt tam vetus apud nos monumentum, cuius inſcriptio etiam nunc non intelligatur: nec credibile eſt e-tiam vllum marmor tamdiu durare poſſe, vt ei linguæ, quâ ſit inſcriptum, ſuperſit. Non alia eſt igitur huius rei cauſa, quàm nimius linguæ Latinæ amor: quæ propter Romanorum præſtantiam, & propriam ele-gantiam, ac ſuauitatem cùm nobis ſummè ſit venerabilis, tamen patriâ linguâ potior eſſe non debet: quam colere, amare, & quocunque loco, aut occaſione adhibere debemus, more ipſorum Romanorum, qui ſuam linguam per omnes terras propagare ſummo ſtudio nitebantur. Ex ea quoque erga nomen Romanum veneratione oritur, quòd quidam cùm vetuſtate corroſum nummulum vident, tanquam attoniti ſu-ſpiciant, aut vilem aliquam ſupellectilem cùm illis rerum dominis aliquando vſui fuiſſe cogitant, non minore fere quàm res ſacras honore proſequantur. Quamobrem docti viri ex vehementi illo erga linguam,

Digitized by Google

ritúſque Romanorum ſtudio quæuis monumenta illo ſermone inſcribi volunt: quorum ἐπιγραφαὶ eò magis Romanis ſimiles futuras putant, quò obſoletioribus, & antiquioribus verbis conditæ fuerint: itaut quæ omnibus nota eſſe cupiant, ex aduerſo ea non intelligi prauo iudicio affectent. Verùm non vident, quantùm recentiorum familiarum, & maximè Germanicarum nomina ſint aſpera, & quàm parum illis cum linguæ Latinæ ſuauitate conueniat, itaut pleraque ore Romano concipi nequeant, quod Mela de locorum nominibus dixit. neque enim omnia tam facilè formationem Latinam, ac tuum, Menagi, nomen accipiunt. non cogitant iidem, quàm difficulter vrbes, & quæuis loca Latinè exprimantur: quàm munia, & magiſtratus, qui nunc apud omnes populos conſtituti ſunt, à Romanorum dignitatibus longè recedant: denique quantùm ab eorum moribus, qui poſtea inoleuere ritus diſcrepent. Igitur quæ ad memoriam hominum, rerúmque perpetuandam, inſcriptiones poſitæ ſunt, eas ad illam prorſus obliterandam valere videmus, itaut qui fuerint, quo nomine, quáſve res geſſerint, plerumque vix intelligi poſſit. Itaque ſi pa-

Digitized by Google

tris tui, mi Menagi, viri optimi, atque doctiſſimi, qui apud ſuos Andegauos alter Scæuola, aut Papinianus habitus eſt, memoriam magis illuſtrem, & cunctis conſpicuam, magiſque durabilem, vt pium filium decet, eſſe cupis, inſcriptionem, quam eius tumulo inſculpere paras, noſtrâ linguâ facies. quæ quò breuior, & ſimplicior fuerit, hoc etiam melior meâ quidem ſententiâ futura eſt. Vale.

ROL. MAR. ANTONIO GODELLO GRASSENSI EPISCOPO S.

EPISTOLA XXXVIII.

Poëticæ laudes breuiter tangit, & ſacram poëſim non dedecere Epiſcopum exemplo veterum docet.

VETERES Poëticam tanto in pretio habuerunt, vt Apollinem carminis inuentorem cælo adſcripſerint. Et ſanè vetus eſt hoc inuentum, & Poëtica primò quædam fuit Philoſophia, quæ ſalubribus monitis, quibus admiſta voluptas eſſet, hominum vitam inſtruebat, affectus regebat, & mores formabat. Vnde factum, vt Græci, & Romani quoque à Poëtarum lectione puerorum inſtitutionem auſpicarentur,

quam in rem ita ſcripſit Horatius:

Os tenerum pueri, balbúmque Poëta figurat,
Torquet ab obſcœnis iam nunc ſermonibus aures,
Mox etiam pectus præceptis format amicis.

Fuit verò ſtricta oratio etiam ante numeris ſolutam in ſcriptis vſurpata: & priſci Philoſophi, qui iidem erant Poëtæ non alio ſermone ſunt vſi in natura rerum exponenda, hominibúſque ad virtutis amorem impellendis; *Primúſque Pherecydes Syrius*, vt ait Plinius, *proſam orationem condere aggreſſus eſt;* quæ ideo pedeſtris dicta eſt, quòd à faſtigio quodam, & quaſi vehiculo ad ſolum eſſet deducta. Poëtæ autem nihil à ſe alienum putant, nullúmque eſſe argumentum, quod non pro ſuo iure tractare poſſint: & licèt poëſeωs vis, & facultas in iis argumentis, quæ imitatione conſtant, vt eſt Epicum poëma, Tragœdia, & Comœdia, maximè eluceat; tamen alia etiam argumenta Poëta ſibi deſumit, vt Empedocles, & Lucretius de rerum natura ſcripſerunt, Theognis de moribus: quin & humilia non dedignatur, vt Nicander Theriaca, Virgilius Georgica compoſuit. Falluntur verò, qui poëſim tantùm volunt habere locum in rebus fictitiis, ludicris, & amatoriis, & à ſeriis, grauibúſque, etiam ſacris vt minimè conue-

Digitized by Google

nientem ablegant: contrà ſermo pedeſtris, qui ſupra vulgarem loquendi modum non aſſurgit, ſummi Dei maieſtati non ſatis congruere, carmen verò ſublime Numinis ſublimitatem magis videtur decere. Certè Dauid Rex idem & Vates Dei laudes verſibus ſcripſit: ne Poëtas profanos attingam, qui deorum ſuorum præconia hymnis cecinerunt. Hanc verſuum factitandorum exercitationem amplexi ſunt pij, & ſimul docti Epiſcopi, nec indecoram ſuo tam graui muneri exiſtimarunt; apud Græcos Gregorius Nazianzenus, qui multa eo genere ſcripſit, & Syneſius: apud Latinos Paulinus, Sidonius, & alij: quorum hymnos, & ſacra carmina ſanctâ cum animi delectatione, magnóque cum pietatis ſenſu legimus. Quare, Antiſtes pie iuxtà, ac docte, tui etiam ordinis viros, quos ſequaris, habes, dum ſummi Dei gloriam cultiſſimis verſibus prædicas, hominéſque ad illius reuerentiam, & amorem hoc etiam illecebræ genere allicis, & diuini Pſaltæ cantica vario carmine Gallico in popularium tuorum vſum exprimis. quod pium, ſimúlque amœnum exercitium, te à conuertendis noſtrâ linguâ Paulinis epiſtolis, quo vtiliſſimo opere patriam tuam non parum demeritus

Digitized by Google

es, minimè auertit. nam metuendum non eſt, ne te à tuo munere fungendo auocet, quod populum tuæ curæ commiſſum per conciones docendo, exhortando, aliáque officia pia, & Epiſcopo digna obeundo, ritè exequeris. Perge igitur religionis cultum per ſacram poëſim in animis hominum accendere. quod cùm piè ſimul, & eleganter præſtes, non pij tantùm Epiſcopi, ſed etiam elegantis Poëtæ, quanquam te ea gloria non valde tangit, nomen conſequêre. Vale.

ROL. MAR. PETRO LESCVRIO SVO REGIO SECRETARIO S.

EPISTOLA XXXIX.

Antiquos Hiſtoricos cum nouis comparat: & recentiorum quædam vitia notat.

CVM Hiſtoricos, qui poſt Romani Imperij occaſum, omnium gentium, nationúmque res geſtas ſcripſerunt, conſidero, veriſſimum eſſe, quod Plinius Minor dixit, comperio, *Orationi, & carmini paruam eſſe gratiam, niſi eloquentia ſit ſumma, hiſtoriam quoquomodo ſcriptam delectare.* plerique enim quamuis rudi, & impexo ſermone

Digitized by Google

ſcripſerint, tamen quoniam, vt idem Plinius ait, *ſunt homines naturâ curioſi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, vt qui ſermunculis etiam, fabelliſque ducantur*. has etiam licèt plerumque inconditas hiſtorias auidè legimus, gratiáſque habemus qualitercunque ſcribentibus Hiſtoricis, quorum operâ contigit, vt rerum, quæ temporibus ipſorum geſtæ fuerint, memoria aliqua extaret. quorum cùm plerique eſſent monachi, penes quos ſolos diu regnum literarum fuit, & ſacris dediti, qui duabus illis rebus, quas prorſus in Hiſtorico requirit Lucianus, politicâ prudentiâ, & dicendi facultate non multùm pollerent, nihil mirum, ſi inordinata, & inornata rerum geſtarum monumenta, ſicut potuerunt, poſteritati commendarunt. Atqui, vt rectè hiſtoria ſcribatur, opus eſt, ſcriptorem rebus gerendis interfuiſſe, vel certè ſimilia geſſiſſe, aut vidiſſe, reipublicæque partem aliquam attigiſſe: quales fuerunt celebres illi Thucydides, Polybius, Salluſtius, tótque alij Latini, quorum hiſtoriæ interciderunt. Nec ſanè cuiuſuis eſt hominis hiſtoriam ſcribere: nec id præclarum munus ſatis conuenit ſcholaſtico, aut in vmbra educato, ſed præcipuè ſpectat ad virum honeſtum, & reip.

non expertem. Certè antiquitus apud Romanos hiſtoria nonniſi ab honeſtiſſimo quoque ſcribi ſolita erat, quam Otacilium Pilitum primum omnium libertinorum ſcribere eſſe orſum, ex Cornelio Nepote Suetonius obſeruat. Sed quamuis in hiſtoria, modò ſit breuis in expoſitione, & aperta, & probabilis, non prorſus exigatur eloquentia; tamen, ſi adſit, maximè probatur, illámque valde decet. quod patet exemplo veterum Hiſtoricorum, in quibus, ſi primos excipias, qui memoriæ tantùm publicæ retinendæ cauſâ ſimplici ſtilo ſcribebant, & dum intelligeretur quid dicerent, vnam dicendi laudem putabant eſſe breuitatem; nullus Hiſtoricus fuit, qui ſi non magnam, at ſaltem aliquam eloquentiam ad ſcribendum non attulerit. Inter eos verò qui poſt reſtitutas literas hiſtoriam ſcripſerunt, multos egregios, & Hiſtorici virtutibus inſtructos agnoſco, neminem tamen habemus, qui ad priſcorum Hiſtoricorum laudem acceſſerit, Herodoti, aut Thucydidis inter Græcos, Salluſtij, aut Liuij inter Latinos. reliqui fere nec eloquentes, imò nec elegantes quidem fuerunt, incurioſéque, nec ſatis exactè ſcripſerunt, circa parua, & memoratu indigna nul-

lo delectu ſæpe immorantes, maioribus præteritis, aut leuiter attactis. quod vitium commune eſt, cùm neſcirent hiſtoriam tantùm in rebus magnis, memoriáque dignis verſari: quæ, vt ait Marcellinus, *aſſueta eſt diſcurrere per negotiorum celſitudines, non humilium minutias indagare cauſarum: quas ſi exponi voluerit quiſpiam, indiuidua illa corpuſcula per inane volitantia numerari poſſe ſperabit.* Nam cùm vtilitatis tantùm gratiâ rerum geſtarum memoria ſcriptis conſignetur, illuſtria, & maximè notabilia, ex quibus exempla capere poſſis, exponenda ſunt, inutilia verò, & humilia omittenda. frequens etiam illud vitium eſt nouorum Hiſtoricorum, quòd conſilia, acta, euentúſque non explanatè perſcribunt, cùm Cicero in libris de Oratore præcipiat in hiſtoria, *de conſiliis ſignificari quid ſcriptor probet; & in rebus geſtis declarari non ſolùm quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam quomodo: & cùm de euentu dicatur, vt cauſæ explicentur omnes vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis.* Sed mihi conſilium non eſt, cùm de quorumdam vitiis ago, de ſingulis Hiſtorici virtutibus dicere, vt verax eſſe debeat, vt affectu omni vacuus, & res huiuſmodi attingere, quæ nemini non notæ ſunt. quædam ſolùm, in quibus

plerique mediæ ætatis, & recentes Hiſtorici peccarint, ſtrictim notare volui, quò tuum, mi Leſcuri, iudicium magis probarem, qui morbi nimis moleſti tædium non aliûs fere ſcriptoris, quàm Taciti lectione diſcutere ſoles. qui enim hunc prudentiæ, & iudicij magiſtrum attentiùs perſpexerit, ea mentis acie, quâ es præditus, is ſi inferioris, noſtríque æui ſcriptorum ſit faſtidioſus, mirum profectò videri non debet. Sed de Tacito, de quo ad te antea luculenter ſcripſi, non opus eſt plura dicere. Vale.

ROL. MAR. NICOLAO RIGALTIO SENATORI METENSI S.

EPISTOLA XL.

Plinij naturalem hiſtoriam effert laudibus: ſub finem Rigaltium ad integram eius emendationem hortatur.

QVANQVAM in meis epiſtolis aliquoties Plinij naturalis hiſtoriæ ſcriptoris mentionem ſatis luculentam feci, ea tamen eſt huius operis præſtantia, vt ei conſiderando, & pro dignitate commendando integram epiſtolam dicare conſtituerim. Primùm igitur auctoris propoſitum in

Digitized by Google

mentem venit, qui mihi *Herculeâ audaciâ orbem terrarum aggreſſus videtur*, vt Iuſtinus in præfatione ſuæ Epitomes de Trogo Pompeio ait, de hiſtoria mundi, & omni rerum natura ſcribendo: cùm pleriſque auctoribus, de ſingulis quæ in mundo exiſtunt, ſcribentibus res ſatis ardui laboris videatur. Et quidem Plinij *opus diffuſum eſt, eruditum, & tam varium quàm ipſa natura*, vt de eodem Plinius Minor dicit. Nam à mundi elementis, & ſideribus exorſus, & per ſingulas orbis regiones, & vrbes peruagatus, perpenſóque homine, & cuiuſcunque generis animalibus, plantarúmque diuerſarum naturâ conſideratâ, poſt traditas etiam medicinas, & remedia, quæ experientia peperit ex omnibus rebus, quas natura producit: poſt varias artes relatas, quas humanum ingenium excogitauit, & diuerſa opera, quæ manus effecit: tandem poſtquam metalla, & ea omnia, quæ terra in viſceribus ſuis abſcondit, rimatus eſt, opus propè infinitum abſoluit: ſic nihil indiſcuſſum relinquens omnium, quæ ſupra terram eminent, quæque ſuper eam exiſtunt, & quæ infra illam. Hoc opus quamuis ſatis longum videri poſſit, tamen pro argumento breuiſſimum eſt. In quo obiter ſummum viri iudicium, &

Digitized by Google

ingenium admirari libet, qui res propè innumeras ſeptem & triginta libris complexus ſit: præſertim cùm noui quidam ſcriptores de vna aliqua mundi parte, puta de animalibus, aut piſcibus adeò prodigioſæ molis commentarios reliquerint. In quos ſanè laboris aliquantum, & ingenij parum contuliſſe verè, & ſine obtrectatione dici poſſunt, cùm ipſa auctorum verba, & totas interdum paginas in ſua ſcripta infarciant. quod ei qui in opulenta aliqua bibliotheca innumerabilibus libris ſtipatus ſit, non admodum eſt difficile. quamquam, vt de ingenio ſileam, Plinius mihi in libris naturalis hiſtoriæ conſcribendis plus operæ, & laboris videtur inſumpſiſſe, quàm illi in ſuis. Ille enim ordinem planè mirabilem ſequitur, ſingula in claſſes diſtribuendo, & ad certa quædam capita reuocando: deinde opus quamuis ex diuerſis ſumptum auctoribus, quodammodo ſuum facit; dum ſenſum tantùm, ſententiámque aliorum accipit, verba verò, ſtilúmque ex ſuo peculio confert. At hi cruda plerumque omnia, & indigeſta, & ipſis fere eorum, ex quibus mutuantur, verbis afferunt: quaſi aliter ſcribenti fides haberi non debeat. quod qui magnopere laudant, ij profectò in veterum

Digitized by Google

ſcriptis ſe hoſpites eſſe, ac peregrinos oſtendunt. illi enim libros propriè dictos, non centones, vt iſti, componebant: cùm alioquin ex eiuſmodi libris alienis veriùs, quàm ſuis, non magnum induſtriæ fructum ſe reportaturos eſſe certò ſcirent. Iam verò genus ſcribendi, quod Plinius ſequutus eſt, mihi prorſus incomparabile videtur, medium inter proſam, & carmen, quod de Platonis ſermone dixit Ariſtoteles: breue, & conciſum, floridum, & figuratum, itaut ſæpe res viles, & humiles, quales pleræque res naturales videntur, verbis grandioribus per tranſlationem exornet, & extollat. Miror verò tam maturum, & grauem ſcriptorem, à quibuſdam tanquam exigui iudicij hominem ſuggillari, vt qui multa ipſis incredibilia, ſibi non ſatis comperta fide aliorum referat: cùm eum mentis, & iudicij acumine multùm excelluiſſe, ex omnibus locis, in quibus ſententiam ſuam de quacunque re interponere voluit, manifeſtiſſimè conſtet. quod paſſim, ſed maximè in præfationibus librorum quàm breuiter, tam acriter facit. Criminationi autem iſti vt occurreret, & ne credulitati hominum impoſuiſſe putaretur, quod nullus ante ipſum fecerat, initio operis poſt expoſitum cuiuſque

libri argumentum, auctores ſingulos recenſet, ex quibus materiam deſumit, penes quos vult eſſe omnium fidem. Vt autem temeritatem hominum coërceret, qui rerum naturam ſuæ mentis modulo metiuntur, & quæ ipſis incredibilia videntur, aut ipſorum captum ſuperant, nullo modo fieri poſſe cenſent, alicubi hæc verba ſcripſit. *Naturæ rerum vis, atque maieſtas ſingulis pæne momentis fide caret, niſi eam vniuerſam animo ſubiicias.* Atque tale eſt meum de Plinij opere iudicium, quod inter omnia veterum ſcriptorum monumenta maximè ſuſpicio: primùm ob variam, multiplicémque auctoris eruditionem, & argumenti granditatem, quod, vt dixi, vniuerſam rerum naturam continet: deinde ob elegantiam, ac venuſtatem, quâ ſcriptum eſt. quod ſi quis vir ſcholaſticus, nulli alij rei præterquam literis deditus compoſuiſſet, ſatis erat ſupérque ad nomen illius poſteritati commendandum. Cùm verò Plinius tot alios præterea libros ſcripſerit, *diſtentus aliàs, impeditúſque quà officiis maximis, quà Principum amicitiâ, & anno ſexto & quinquageſimo deceſſerit*, credendum eſt illius ſororis filio affirmanti, *acre ingenium, incredibile ſtudium, ſummam vigilantiam in eo viro fuiſſe*. quod ex eo

Digitized by Google

manifeſtum eſt, quòd idem refert, *nullum ei tempus à ſtudiis vacuum fuiſſe, non cœnæ, non balinei, non itineris, nihil vnquam legiſſe, quod non excerperet, & electorum commentarios* CLX. *ad ſcribendum paratam materiam reliquiſſe*. Sed profectò dolendum eſt tam excellens opus, qui theſaurus eſt, non liber, & omnis doctrinæ cornu copiæ, poſt Hermolai Barbari, cui vni Plinius plus, quàm reliquis omnibus debet, & tot virorum doctorum curas, etiamnum fœdis vlceribus eſſe deformatum. quod tamen mirum videri non debet, cùm maior eorum quos excerpſit, auctorum pars interierit, & bonum Plinij emendatorem ei fere doctrinâ eſſe parem neceſſe ſit. Non defuerunt quidem diuerſis temporibus docti viri, qui integram eius emendationem promitterent. Sed haud ſcio quo malo fato acciderit, vt eæ ſpes fruſtra fuerint. Tu verò, vir doctiſſime, fato ſeruatus videris ad Venerem hanc corruptam reficiendam. Cui prouinciæ te eſſe aptiſſimum varia tua eruditio ſpondet, Tertullianúſque ferreus ſcriptor, & ſalebroſus, aliíque per te correcti. quid, quòd id iam orbi promiſiſti? Itaque te omnes eruditi ex promiſſo conueniunt, & à te Plinij emendationem quaſi pro ſuo iure expoſcunt: nec iam

tibi tergiuerſari liberum eſt, præcipuè cùm ſis tam arduo negotio par, & idoneus. Igitur ſi laudi literariis tuis laboribus partæ non paruum cumulum addere cupis, incumbe operi, quod immortalem nomini tuo gloriam conciliaturum eſſe tibi aſſeuerare audeo. Vale.

ROL. MAR. IACOBO GAVDINO DOCTORI THEOL. PARISIENSI, & Regio Philoſophiæ Profeſſori S.

EPISTOLA XLI.

Liberales diſciplinas etiam Theologis neceſſarias eſſe confirmat, nec ſolùm rerum curam habendam eſſe, ſed etiam ſermonis, & elegantiæ: & eo nomine Gaudinum laudat, quòd humanitatis ſtudiis excultus ſit.

LIBERALIA ſtudia, quæ Grammaticâ, Rhetoricâ, Poëticâ, & aliis eiuſmodi conſtant, cùm omnibus, qui literas attingunt, tam ſint neceſſaria, miror maximam Theologorum partem hodie his admodum leuiter defungi, contra morem tamen, & exemplum veterum Theologorum, qui omnibus his diſciplinis egregiè inſtructi ad ſcien-

ſcientiarum reginam Theologiam accedebant, & quæ ab exoticis auctoribus ſumpſerant, iis veluti ſubſidiis, vel certè tanquam ornamentis, ad ſummum Numen honorandum vti non dedignabantur. quanquam hac etiam ætate non pauci reperiuntur Theologi humanitatis ſtudiis, & bonis artibus imbuti. Ceteri verò ſuperioris ſæculi morem ſequuntur, quo Theologum literas humaniores ſcire pro miraculo, vel etiam pro crimine habebatur. nam poſtquam Philoſophiam, quæ nunc eſt in vſu, didicerunt, ad ſcholaſticam, quam vocant, Theologiam ſe conferunt; cui poſtquam aliquot annos operam dederunt, à linguis, & politiori literatura non ſatis parati, cruda adhuc ſtudia ſua in auditoria Theologica propellunt, vt poſtmodum in doctorum numerum cooptentur. Tu verò, mi Gaudine, Theologiam ſcholaſticam haud neglexiſti, vtpote ſine qua, quantumuis doctus, doctoris laureâ non donatus fuiſſes; imò in hac argutarum diſputationum palæſtra apprimè te exercuiſti: ſed his minimè contentus, & aliorum trita veſtigia relinquens, etiam ad ἐγκυκλίους diſciplinas te applicuiſti, ſermonem excoluiſti, & optimos ſcriptores

Digitized by Google

in manus ſumpſiſti. *Aliam autem intelligendi, aliam dicendi diſciplinam eſſe, & ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrinam quæri*, ait Cicero. Verùm hac in re poſt reſtitutas literas in vtramque partem multùm peccatum eſt. Hodierni enim Philoſophi, & Theologi ſolam rerum curam habere videntur, ſermonis nullam: cùm *ieiuna, & arida eſſe* nolit Seneca, *quæ de rebus magnis dicuntur, neque enim ingenio Philoſophia renuntiat*. Contrà Philologi circa voces pæne conſeneſcunt, Philoſophiam verò, & reliquas diſciplinas negligere videntur, ac verba priſca, & iam tum Ciceronis æuo deſita colligunt, quibus cùm vtuntur, ſolos ſe ſapere, & plus aliis ſcire arbitrantur: & cùm inter Grammatici virtutes eſſe dixerit Fabius, quædam neſcire, nihil ex antiquitate ſibi ignotum eſſe volunt: talia interim adnotantes plurima, qualibus ſuæ ætatis Grammaticos Tiberius experiebatur, quæ didiciſſe non magnopere interſit. Hîc verò faciendum videtur, quod à Q. Scæuola Iuriſconſulto factum eſſe refert Cicero: *Ille enim cùm Dialecticam*, quam idem Cicero *omnium artium maximam* vocat, *quaſi lucem ad ea quæ ab aliis Iuriſconſultis aut reſpondebantur, aut agebantur, attuliſſet, etiam literarum ſcientiam, & eloquendi elegan-*

tiam adiunxit. quæ humaniorum ſtudiorum, & politioris eruditionis cum ſublimioribus ſcientiis coniunctio, quorumdam recentium nomini tantam apud omnes gloriam conciliauit. nam antiquos ſcriptores prætereo, non minùs ſacros, quàm profanos, apud quos ingenium ſeorſum à lingua non exercebatur. quid enim iuuat res didiciſſe, niſi quæ didiceris, ſi minùs ornatis, propriis ſaltem, & aptis verbis enuntiare poſſis? Ariſtóteles, quem nunc ſcholæ tanquam aliquem Deum venerantur, & pro vnico magiſtro habent, eloquentiâ ipſum Iſocratem laceſſiuit, Poëtas idem tam ſedulò contriuerat, vt etiam in Homerum quæſtiones compoſuerit, & de Poëtica ſcripſerit: Nunc quidam adeo ſunt væcordes, vt paulò humaniores, & in elegantibus literis aliquatenus verſatos, Grammaticos contumeliæ cauſâ appellent. Thomæ quidem Aquinati, qui ſumma vi ingenij, & ſingulari doctrina præditus fuit, quòd linguas, politioréſque literas ignorauerit, condonandum eſt, & illius ſæculi, quod profunda barbaries occupauerat, infelicitati tribuendum. Nunc verò poſt illas quaſi poſtliminio reductas, in tanta ingeniorum luce, quæ ſiniſteritas eſt, ad ſubliniores artes diſcendas

Digitized by Google

earum ſubſidium non aduocare, & infantes velle permanere? ſed ſi priſca iuuant alios, & non pauci etiamnum reperiuntur, qui poſt repertas fruges glande etiam veſci ſuſtinent: tu mihi prudentiùs feciſſe videris, quòd humaniores literas cum Theologia coniunxiſti, & ſermone Latino eleganter ſcribis, quod in iis orationibus abundè patuit, quas Sorbona plaudente frequentes habuiſti: quid in vernacula eloquentia poſſis, quod licèt minùs mirum, tamen non minimum eſt, luculenter apparet, quoties legitimo veri Theologiæ doctoris fungens munere, ad populum conciones habes. Vale.

ROL. MAR. IOANNI FRATRI S.

EPISTOLA XLII.

Fabri Pibracij laudat tetraſticha: ſimul de gnomologis Græcis, & Latinis agit.

CICERO quamdam ad Leptam epiſtolam his verbis claudit, *Lepta ſuauiſſimus Heſiodum ediſcat*, de illius filio puero loquens. Eodem planè modo hancce meam ad te, frater, epiſtolam auſpicari libet, Armandus ſuauiſſimus Pibracium edi-

Digitized by Google

ſcat: quin totus ſermo de hac ipſa re tantùm futurus eſt. Ille igitur cùm iam eius ſit ætatis, vt ſalubribus monitis ad virtutem ſenſim, ac pedetentim informari debeat, huius ſapientis viri tetraſticha memoriter addiſcat: quibus fuerintne aliqua apud antiquos paria, ſiue ſententiarum grauitatem ſpectes, ſiue carminum elegantiam, non ſatis compertum habeo. Apud Græcos quidem complures fuerunt γνωμόλογοι. nam præter ſuprà dictum Poëtam, qui agriculturæ præceptis graues de moribus ſententias inſeruit, Phocylides, & Theognis ex profeſſo id argumentum tractarunt. quanquam Theognidis elegiacis verſibus turpes puerorum amores admiſſi ſint: quos tamen Græca licentia non eo numero habuit, nec vitioſos putauit. Circumferuntur etiam ſub nomine Pythagoræ carmina, dicta aurea, quæ tamen an illius ſint meritò dubitatur. doctiorum enim eſt ſententia, ſummum iſtum Philoſophum nulla omnino ſcripta poſteris reliquiſſe. Apud Romanos tam paucos extitiſſe γνωμολόγους profectò mirum eſt. nam præter Piſyri Mimi ſenarios verſus, qui inter theatrales luſus iactati ſunt, graues quidem, elegantes, & prorſus ſæculo auctoris dignos, & Dionyſij Catonis diſticha, nihil

Digitized by Google

huius argumenti Latinis verſibus expreſſum habemus. quæ licèt pleraque vix ſatis Latina ſint, nec vbique ſenſum valde exquiſitum habeant, aliquando etiam obſcurum, tamen non ſunt indigna pueris prælegi, præſertim cùm antiqua ſint, vt quorum meminerit Vindicianus Comes Archiatrorum in epiſtola ad Imperatorem Valentinianum. Catonis verò nomen prætuliſſe ea de cauſa arbitror, quòd qui ſapientes habebantur, vulgò Catones appellarentur: vnde eſt illud, *Tertius è cælo cecidit Cato*. Sed vt ad noſtrum Pibracium reuertamur. is ſanè hoc opere parænetico multùm veræ laudis meruit; cui, vt dixi, haud ſcio, num par vllum apud veteres in eo genere fuerit: certè nihil ſimile vulgari aliqua lingua ſcriptum hodie reperiri indubitatum eſt: cùm quæ de moribus præcepta verſibus mandauit, non tam ex antiquorum lectione, quàm ex vſu, atque experientia optima magiſter hauſerit: vir non in vmbra educatus, ſed qui in puluerem, atque ſolem exierat, magníſque in rebus verſatus fuerat: non tantùm in iure dicundo æquitatis laude conſpicuus, ſed etiam in obeundis apud exteras nationes legationibus, induſtriâ, & prudentiâ clarus. Hæ verò γνῶμαι vt grauiſſimæ

Digitized by Google

ſunt, & magnam ſpirant ſapientiam, ita etiam elegantiſſimis, & venuſtiſſimis verſibus ſunt ſcriptæ; vt earum auctor præter πολιτικὴν ſcientiam, omnibus literis erat expolitus, nec vulgariter Poëticam attigerat, quemadmodum alia ipſius carmina oſtendunt. Igitur Armandus tuus, vt glorioſo iſto nomine, quo vir inter homines eminentiſſimus, illum è ſacro fonte ſuſceptum inſigniuit, aliquomodo ſe dignum exhibeat, Pibracij tetraſticha memoriter teneat, mox literis initiandus. in quibus operæpretium facturum non vanè nobis polliceri poſſumus, tuas dotes quodammodo expreſſurum, cùm ingenio valeat, & in pictura, muſica, & aliis tuis artibus pæne ſine præceptore profecerit. quod vt aliquando eueniat, téque patre ſe dignum exhibeat, Deum etiam atque etiam rogo. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. IOAN. CAPELLANO S.

EPISTOLA XLIII.

Academiarum propriè dictarum morem commendat: quarum exempla apud veteres extare ait: & Capellanum laudat, quòd huius inſtituti Cardinali Richelio inprimis auctor fuerit.

COETVS eruditorum virorum ad ſermones de literis habendos, quæ Academiæ cùm alibi, tum præcipuè in Italia propriè dicuntur, non recèns ſunt inſtituti. Romæ enim ſtante Rep. fuit collegium Poëtarum, ſi Valerio Maximo credimus: poſtea ſub Auguſto quoque. Hi in ædem Apollinis Palatini conueniebant, ibique verſus ſuos recitabant, & de iis inter ſe certabant. qua de re Horatius in ſermonibus ſcribit. Martialis etiam non ſemel ſcholam Poëtarum memorat, in qua ſimiliter carmina ſua recitarent. Et Agellius priuatorum collegiorum mentionem facit, in quibus ſua ætate veterum libri legerentur, & examinarentur. Horum literatorum conuentuum morem nobis retulit Italia præclarorum ingeniorum mater, & optimorum ſtu-

diorum altrix, vt cui Græcarum, Latinarúmque literarum in integrum reſtitutio, ſimúlque ingenuarum diſciplinarum inſtauratio debetur. Ex his conciliabulis quin ſumma oriatur vtilitas nemini dubium eſſe poteſt: nihílque in iis mihi diſplicet, præter cognomina planè abſurda, & ridicula, quæ ſibi aſſumunt Itali: quod cur faciant, prorſus ignoro, ſed vtilitas ex eo manifeſta eſt, primùm quòd declamando, & orationes habendo veterum Sophiſtarum morem renouant, varia vnde libet argumenta deſumentes, quæ pro viribus ingenij tractent. qua exercitatione ad dicendum ſe comparant, & eloquentiam non parum alunt: deinde quòd Poëtarum ſuorum aliorúmque ſcriptorum opera ſeuerâ lance examinant, & quid in iis laudandum, quid vituperandum collatis ſententiis iudicant. quod ad bene de literis iudicandum plurimùm confert. Sed incomparabile commodum in eo eſt, quòd illuc ſcripta ſua in medium afferunt, & ea omnium examini ſubiiciunt, quæ quiſque liberè reprehendendi ius habet. Hæc verò emendatio eſt optima, tot eruditorum virorum iudicio facta: ex qua etiam conſequuntur, vt poſtea emendatiùs ſcribant. Nec verò quis hæc tan-

quam parua contemnat, quòd in lingua vulgari fiant, quamuis enim Latina, eruditorum lingua exiſtimetur, tamen ipſi etiam eruditi, patrij quiſque ſermonis non minimam curam habere, ſed in ea ſcriptis elegantibus amplificando, & exornando multam operam ponere debent, Romanorum exemplo & æmulatione; qui, licèt ſermo Græcus vberior eſſet, tamen linguam ſuam vt inferiorem deſpectui non habuerunt, ſed locupletiorem, & comtiorem omni ope efficere contenderunt. quanquam quid prohibet eiuſmodi cœtus etiam ab eruditis viris, qui Latinè tantùm ſcribunt, inſtitui? imò ſi inſtituantur, vtiliſſimum fore arbitror, ſaltem ad operum emendationem, quæ aliquando præcipitata editione, tanquam nullum amicum doctum habeant, cuius conſilio vtantur, inemendata emittunt. Ad te verò vt veniam, mi Capellane, ſanè mihi laudibus omnibus exornandus videris, quòd ſummo viro, imò Heroi potiùs inſtituendæ Francicæ Academiæ inprimis auctor fueris: quæ licèt Armandi præſidis ſui, & tanquam alterius Herculis μουσαγέτου interitu orba remanſerit, tamen eruditis, ex quibus conſtat, viris ſuffulta etiamnum viget, ac floret. Illa non vrbi tan-

tùm, ſed etiam toti Galliæ eſt ornamento, quòd multos viros ſinu ſuo complectatur, qui ſcriptis ſiue ſtricta, ſiue ſoluta oratione operibus linguam patriam exornando, genti noſtræ non parum decoris, & commendationis addunt. Cùm verò inter eos poëſi maximè excellas, aliunde etiam tam laudabilis inſtituti ſuaſor præcipuus fueris, hancce epiſtolam ad te dare non abs re videor. Vale.

ROL. MAR. GVIDONI PATINO DOCTORI MEDICO PARISIENSI Facultatis Decano S.

EPISTOLA XLIV.

Hæc epiſtola ſuperiori eſt attexenda, quæ eſt de puerorum in literis inſtitutione. nam methodum continet, quâ adultiores in ſtudiis vtantur.

CVM tibi ante aliquot menſes meam de puerorum in literis inſtitutione darem epiſtolam, memini te dicere, id rectè quidem, & ex vſu à me eſſe factum, quòd pueris viam muniuiſſem, quâ faciliùs, & meliùs in literis progrederentur, verùm magis

Digitized by Google

ex vſu fore, eoſdem, poſtquam ſcholas reliquiſſent, monere, quid iam eſſet faciendum, & quo pede deinceps in ſtudiis procedendum: ad quod tum reſpondi, non mearum eſſe virium, adultiores ſtudendi methodum docere, quóve pacto tradendæ eſſent diſciplinæ, præcepta dare. Verùm nunc, mi Patine, mutato conſilio mihi viſum eſt, non quidem de ſingulis diſciplinis dicere, quomodo ſint docendæ, (id enim longè meum ſuperat captum, & fecit inter alios Ludouicus Viues vir doctiſſimus, & multi in ſua quiſque arte:) ſed pauca quædam generalia præcepta tradere, quæ omnibus prodeſſe poſſint, cuiuſcunque profeſſionis ſint, vlteriùs quàm vulgus ſolet, in literis, ſtudiiſque humanioribus progredi cupientibus, & maximè Philologis, ac iis qui nulli ſcientiæ propriè addicti per omnes ſcriptores volitare deſtinant, πολυΐστορεσque, & πολυμαθεῖς aliquando dici ambiunt. Optimum igitur eſſe iudico optimos quoſque ſcriptores ſiue Græcos, ſiue Latinos initio ſtrictim attingere, & ex iis quædam delibare tantùm, vt eorum guſtum aliquem capiant, & de illis poſſint iudicare, poſtea ſingulos, cùm per tempus licuerit, à capite ad calcem percurſuri. alioqui ſi velint in

principio totos ſedulò, vt par eſt, euoluere, maior fortaſſe vitæ pars antè elapſa fuerit, quàm vniuerſos potuerint inſpicere. Secundùm id conſilium vtile erit, antequam vberes Geographorum commentarios legant, mediocrem cognitionem parare Geographiæ antiquæ, & recentis ex tabularum aliquot inſpectione, & Geographorum lectione, qui ſummatim terras omnes deſcripſere, vt Melæ, qui de antiquo ſitu orbis ſcripſit, Cluuerij, qui de nouo. Chronologia etiam, quæ tempora numerat, ex compendio aliquo carptim eſt attingenda, quale eſt Petauij Rationarium temporum, quod cùm ſit ſatis amplum, huic rei ſufficere poteſt. breuiter quoque omnium populorum hiſtoria per epitomas eſt addiſcenda, vt Sulpitij Seueri, qui ab orbe condito ad ſua vſque tempora ſacram hiſtoriam deduxit; Iuſtini, qui Trogum in compendium redegit; Flori, qui res Romanas pari grauitate, & elegantiâ attigit: ad quam rem inſuper aſſumere iuuabit aliquem ex recentibus, qui totius orbis hiſtoriarum breue corpuſculum fecerunt. nam res omnium gentium ex ſingulis Hiſtoricis petere res eſt infiniti laboris, & cui vita etiam longa vix ſuffecerit: quibus tamen ſingillatim no-

Digitized by Google

ſcendis, propter hiſtoriæ vtilitatem, & iucunditatem, opera, quantùm licebit, poſtea erit inſumenda. neque enim in his epitomis eſt ſubſiſtendum, per quas ſtrictim res diſcuntur, vſquedum liceat auctores ipſos, qui omnia pleniùs perſecuti ſunt, per otium euoluere. Sed præcipuè rebus geſtis Romanorum animum intendere oportet. cùm enim amplæ, & magnificæ fuerint, & aliunde tam multos ſcriptores Latinos quotidie in manibus habeamus, notiores quàm reliquæ nobis eſſe debent. nam ſuæ cuique nationis hiſtoriam maximè legendam eſſe, & præſertim eam, quæ noſtra tempora propiùs attingit, monere non operæpretium eſſe exiſtimo: idem de finitimarum gentium rebus dictum puta: quæ vt meliùs, & ſine interprete noſcantur, illarum nationum linguæ ſunt addiſcendæ, præcipuè Italica, & Hiſpanica, quæ, cùm, vt & noſtra, à Latina proficiſcantur, non debent ignorari: cùm Italica præſertim egregios ſiue in ſtricta, ſiue in ſoluta oratione ſcriptores habeat. Hîc quoque obiter monebo ex noſtris auctoribus etiam eximios eſſe legendos, ne velut domi peregrini ſimus, & hoſpites, & in patria lingua, quod turpiſſimum eſt, ſiue ſcribendo, ſiue loquendo

peccemus. deſultorium autem ſtudium maximè vitandum eſt. *Habet enim*, vt ait Seneca, *iſta lectio variorum auctorum, & omnis generis voluminum aliquid vagum, & inſtabile, & delectat, non prodeſt.* Itaque cùm librum aliquem in manus ſtudioſi ſumpſerint, eum non ſtatim abiiciant, & ad alium recurrant, niſi fortè poſt difficilem aliquem auctorem animum diutino ſtudio feſſum, & exhauſtum, amœniore aliqua lectione recreare velint. Delicatos verò, & multo faſtidio ſuauiora quæque deguſtantes faciet ampla, & locuplex bibliotheca, qualem initio minimè comparandam eſſe iudico. Vt enim in lauta, & opipara cœna à variis cibis, qui plurimùm ſtomacho nocent, manum abſtinere difficile eſt, ſic in voluminum ingenti copia varios libros, quod ſtudiis obeſt, non attingere. Cùm autem aliquis bonus liber perlectus fuerit, eum vtique ex integro reſumere ne pigeat. *Vt enim cibos manſos, ac propè liquefactos demittimus, ita lectionem non crudam, ſed multa iteratione mollitam, & velut confectam memoriæ tradendam eſſe* Quintilianus monet. Per omnem verò vitam, ſed præſertim initio ſtudiorum, auctores antiqui maximè legendi: & ſiquando ad nouos diuertere libuerit, quorum dele-

Digitized by Google

ctum habere oportet, ſtatim ad priores redeundum. in his enim multò abundantior, & certior eſt doctrina, politius, & firmius iudicium, robur ſententiarum fortius, & vegetius, eloquendi facultas maior, & vberior. Cùm verò paulùm in ſtudiis progreſſi fuerint, omnia noua, modò ſint proba, ſunt deguſtanda: nam ſi liber ineptus, & futilis in manus incidat, quod intra primos ſtatim verſus deprehendi poteſt, abiiciendus eſt, nec tempus in eiuſmodi ſcriptis terendum, quod bonis, & præcipuè veteribus inſumere oportet. Quantum ad commentarios attinet, vaſti, qui omnes antiquos ſcriptores vndique inuaſerunt, præcipuè deuitandi, nec vlli niſi breues inſpiciendi, & ſi quos veterum Grammaticorum etiamnum habemus: præſtat enim locum aliquem non intellectum præterire, quàm multùm temporis in verboſis iſtiuſmodi, & plerumque inanibus interpretibus conſumere: & citiùs duos, aut tres auctores, quàm vnum iſtorum commentariorum legeris. Plinij autem in ſtudiis ſedulitatem, & inſtantiam planè incredibilem, eum qui in literis nomen aliquod habere volet, imitari conuenit. *Ille perire omne tempus arbitrabatur, quod non ſtudiis impartiretur, & nihil vnquam*

legit,

legit, quod non excerperet, vt de eo refert ſororis filius. Itaque vt fructum aliquem ex ſtudiis colligat, & ex varia lectione aliquid in penum, quod ſibi vſui eſſe poſſit, congerat, ex omnibus libris, qui lectione non indigni ſint, maximè inſignia excerpere, & adnotare oportet. ſua autem cuique pro arbitrio excerpendi eſt methodus : mihi verò probatur in rebus, & ſententia notabilia excerpi, & in commentarium referri, nimirum ritum aliquem inſignem, in hiſtoria res memoriâ dignas, ſcitè, & argutè dicta, gnomas graues ad mores, aut ad prudentiam pertinentes : nam quæ ad Grammaticam pertinent, ſeorſum ſunt adnotanda, vt ſi qua καινοπρέπεια occurrat, ſi qua vocabuli ſignificatio non vulgaris, aut verbum aliquod rarum. Eorum excerptorum præcipua, quæ electa vocabant veteres, poſtea ſub titulis certis ordine collocari poterunt, vt, cùm opus erit, ex quibus locis in vnaquaque materia res petendæ erunt, ſtatim agnoſcatur. Sed in ſtudiis meâ ſententiâ præcipuum eſt, non tam memoriam plurimarum rerum cognitione implere, quàm iudicium inſtruere, ingeniúmque excolere. nec plurimorum huius æui etiam eruditorum morem æmulari conuenit, qui toti

ſunt in apicibus ſyllabarum examinandis, vocibúſque appendendis, & in criticis quiſquiliis, & Grammaticis: nec in vllius libri licèt accurata editione vnquam acquieſcunt, ſed ſemper hærent; aliunde etiam nimij in antiquorum ritibus vſque ad minutias, & extremam anxietatem enucleandis, & obſeruandis: quorum pleraque talia ſunt, vt ea ignorare Quintilianus fortaſſe inter Grammatici virtutes habiturus fuerit, & longè maiora, ac potiora in libris quærere, nec circa voces, réſque minimi ponderis, & inutiles conſeneſcere oporteat. Cum ſumma igitur cautione, & iudicio ſtudiis incumbendum eſt, ne in vanis, & futilibus addiſcendis tempus, & operam perdamus, ac intemperanter otio noſtro, & literis abutamur. Quoniam autem non ſolùm lectioni, ſed etiam ſtilo danda eſt opera, ídque viciſſim exemplo Ciceronis faciendum, qui cùm eſſet adoleſcens, nunc legebat, nunc ſcribebat, & commentabatur, nunc declamitabat, in ea re veteres optimos, vt ceterorum omnium ad ſtudia pertinentium, ita ſcribendi magiſtros imitemur, & maximè eumdem Ciceronem, qui cùm omnibus præclari ſcriptoris virtutibus effulgeat, & in eloquentia ſit princeps, aſſiduè manibus te-

Digitized by Google

rendus eſt. Vt igitur illius formam exprimamus, non tam eius verba conſideranda ſunt, & ornata orationis concinnitas, (hoc enim non præcipuum eſt, licèt magnum) quàm ordo, & perſpicuitas ſermonis, & contextus rerum minimè implicatus, ſed liber, & expeditus: maximéque attendendum, vt nihil in ſententiis ſit puerile, nihil longè arceſſitum, nihil putidum, aut ineptum, ſed omnia ſana, ſincera, & grauia. Cauenda verò ſunt inprimis plerorumque noſtræ ætatis ſcriptorum vitia, qui non diu conſiderato, nec apud ſe digeſto, quod tractandum ſuſceperunt, argumento, nec prouiſis rebus operi neceſſariis ſtatim ad ſcribendum ſe accingunt, & id tantùm agunt, non vt boni, & elegantes ſcriptores, ſed vt librorum helluones videantur: cúmque antiqui omnia ex ſe afferant, & quaſi gignant, & raro teſtem proferant, niſi cùm opus eſt, & dignus vindice nodus incidit; illi contrà nihil ferme adducunt, quod ſit proprium, & in rebus claris, & teſtatis, non vnum, ſed omnes quos norunt, teſtes producunt, ipſis etiam eorum verbis prolatis; quod inæqualem, & nimis variam reddit orationem. quidquid verò priores dixere, quidquid ipſi ſciunt, in materiam, quam tractandam ſuſ-

ceperint, vndecunque congerunt, licèt longè petitum ſit, & ad rem parum faciat. quod non magnum videri debet, nec admodum laudabile, cùm ea res non ingenio conſtet, ſed tantùm memoriâ, & multorum librorum poſſeſſione, & inſpectione. Sed in hoc maximè peccant iudicio, quòd vt nihil non legiſſe videantur, ignobiles etiam ſcriptores, qui nec legi, nec expendi merentur, citant, &, ſi Deo placet, illis quoque refutandis operam impendunt, & correctionem alicuius loci, vel aliquid petitum è gloſſariis, aut è Grammaticorum tricis in medium ſermonem planè alieno loco inferciunt. Hæc tironi ſtudiosè attendenda ſunt, cùm primùm ad ſcribendum ſe applicabit, & quantùm ab antiquorum forma diſcrepent, conſiderandum; qui nihil fere ſcribebant, in quo iudicium cum doctrina, & elegantia non certaret. Sed vt finiam, (neque enim omnia quæ ad hanc rem ſpectant, congerere mihi propoſitum eſt) quibuſdam fortaſſe temerarius, & audax videbor, quòd dum conſilio tuo, mi Patine, obſequor, quaſi pro magiſtro me venditarim, monendo quo pacto adultiores in ſtudendi methodo, & viâ progrediantur. verùm qui me nouerit, non id arrogantiæ tribuet, aut au-

Digitized by Google

daciæ, ſed facilitati morum, & libertati, quâ ſoleo quidquid in literis videtur, forſan temerè, effutire, & conſilia libenter dare. Igitur hæc non tam præcipiendi animo ſcripſi, quàm vt ſententiam hac in re meam exponerem: quam refelli non indignabor. imò ſi quis meliora afferat, gaudebo: certè quin multa his adiici poſſint, non neſcius ſum. Vale.

ROL. MAR. GVIL. COLLETETO S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA XLV.

De vitarum ſcriptoribus agit, quorum quædam notat vitia.

NON diffiteor equidem vitarum ſcriptoribus, Criticis, & iis qui de auctoribus libros componunt, tantam ad ſcribendum materiam hodie non ſuppetere, quanta olim apud veteres fuit. Nam cùm antiquitus tot eſſent Oratores, tot Hiſtorici, tot varij generis Poëtæ, tot diuerſarum ſectarum Philoſophi, iis quidem, qui de aliis ſcribere, quàm ex ſe aliquid componere magis eſſent idonei, ſcribendi ſeges nullomodo deeſſe poterat. non tamen argumento deficiuntur hodie, qui ἀπομνημονεύματα, & com-

Digitized by Google

mentarios de vita, & ſcriptis aliorum relinquere volunt. multos enim ex recentibus in omni literarum genere habemus, qui præclarè ſcripſerunt, noſtrâ etiam linguâ aliquot. Certè Poëtæ ſatis egregij nobis non defuerunt. de quibus, dumtaxat iis quorum aliquod opus extet, quòd ſcribere aggreſſus es, gratum omnino noſtris hominibus feciſti; quibus eorum ſtudia, mores, fortunam noſſe, quos aliqua cum delectatione legunt, erit iucundiſſimum. de eorum autem ſcriptis, tu qui egregia facis carmina, rectè iudicaturus es. nam eius quiſque rei bonus eſt iudex, cuius eſt artifex, & in qua frequenter verſatur: vt Horatius de Poëtis, ipſemet Poëta optimè ſententiam tulit. Latinorum quidem Poëtarum vitas Suetonius ſcripſerat: cuius etiam de claris Rhetoribus, & Grammaticis libellum habemus. ex his tantùm Horatij vita ſupereſt: niſi fortè quæ ſub nomine Donati vulgò edita eſt Terentij vita, à Suetonio, vt quidam opinantur, quoque ſcripta fuerit. In his vir minimè ineptus breuitati ſtuduit, & nihil ſuperfluum attulit. Hodierni verò βιογράφοι in contrarium labuntur. nam multa non neceſſaria, nec digna memoriâ congerunt. nempe ſi is de quo ſcribunt, peregrinatio-

Digitized by Google

nem aliquam ſuſceperit, omne illud iter ſingillatim deſcribunt, & quos quoque loco conuenerit, quóſve cum quoque ſermones habuerit, cum faſtidio legentium commemorant: cùm præcipua tantùm, quæ in vita contigerint, referre ſufficiat, & quales hominis fuerint mores, qualia ſtudia, & ſcripta. Cui vitio etiam maximè obnoxij ſunt plerique, qui vitas Ducum rebus geſtis illuſtrium hodie ſcribunt. nam tanquam non vitas, ſed hiſtoriam ſcribant, vberrimè exponunt omnia quæ Principum, ſub quibus illi vixerunt, tempore geſta ſunt: quoniam iis rebus gerendis fortaſſe interfuerint, aut aliqua ex parte præfuerint. verùm talia annalibus, & hiſtoriis ſeruare oportet, & ſumma tantùm rerum geſtarum eius de quo ſcribitur, breuiter contexenda eſt, & quæ illi inſigniora contigerint, adnotanda: maximè interior vita, vt quali fuerit ingenio, & moribus appareat. Tu verò, ſat ſcio, mediam viam inſiſtes inter veterum ſiccitatem, & recentium prolixitatem. nam ea de noſtris Poëtis referes, quæ illis non næuo aliquo, aut crepundiis, ſed corpore omni cognoſcendis ſufficiant; & ſolùm neceſſaria, atque ad rem pertinentia afferes. Ne differas igitur extremam operi

manum imponere: quod præſertim à te tra-ctatum, propter argumenti iucunditatem omnibus Gallis eſt eximiè placiturum. Vale.

ROL. MAR. IOANNI LAVNOIO DOCTORI THEOL. PARISIENSI S.

EPISTOLA XLVI.

De ſcholaſtica Theologia agit, quam quæſtionibus nimiùm ſubtilibus, & curioſis oneratam eſſe ait: Deinde Launoium laudat, quòd hac relicta ad Eccleſiaſticam hiſtoriam ſe applicarit, eámque ſcriptis illuſtrarit.

SÆPENVMERO miratus ſum, Dialecticam, quæ ad omnes ſcientias ex æquo pertinet, ab aliquot ſæculis Theologiæ quaſi propriam eſſe factam, itaut nullus, quantumuis in ea doctus, Theologus nuncupetur, niſi in ſophiſtica veterator, & in ea multos per annos apprime exercitatus: cùm Dialectica tamen nulli minùs conuenire videatur, & Paulus Apoſtolus à Philoſophia, quam elementa huius mundi vocat, tot locis nos abſterreat. Theologia enim diuinis teſtimoniis tota nititur, non commentis hominum, aut argumentatio-

nibus: quibus ſiquando vtitur, in ſubſidium tantùm vti debet, non iis præcipuè inniti. nunc verò illis ſic eſt obſepta, vt hinc tota pendere videatur, & Ariſtoteles in ea vtramque paginam faciat. Sed, vt id obiter dicam, ſi ad res Theologicas humana Philoſophia aduocanda erat, cur in ea non Platonem potiùs ſequimur, quàm Ariſtotelem? cùm Plato de Deo, de animis noſtris tam præclarè ſcripſerit, vt inde diuini nomen reportarit; alter nullibi ſupra naturam aſſurgat, de animorum immortalitate ſemper ambiguè loquatur, & ſummum bonum magna ex parte in rebus externis collocet. Plato igitur mihi potiùs aſſumendus videbatur, cuius doctrinâ Theologia muniretur. Verùm id non factum eſſe crediderim, maximè propterea quòd Ariſtoteles διδασκαλικῶς ſcripſit, licèt nimiùm preſſè, & ſubtiliter, & aliquando obſcurè, multáque eius opera in omni Philoſophiæ parte etiamnum ſuperſunt: Plato verò dialogos compoſuit; quo genere non eſt aliud ad docendum minùs appoſitum. Sed vt ad propoſitum reuertar, nunc in Theologia res huc recidit, vt omiſſis aliis magis neceſſariis, in eam inuectæ ſint quamplurimæ ſubtiles, & curioſæ quæſtiones, quas idem gentium

Digitized by Google

octor appoſitè λογομαχίας vocat, & παρα-διατριβὰς, & in quibus nos κενοφωνίας, ſeu καινοφωνίας vitare iubet. Verùm non in ſola eiuſmodi Theologia, quam Scholaſticam vocant, meliores iuuentæ annos, & ſtudiis magis idoneos collocare oportet. In ea enim multa, quæ iuuenes didicimus, ſenes perdenda fateri cogimur. Certè conſtat antiquos Theologos ſiue Græcos, ſiue Latinos, quos honoris cauſâ Patres appellamus, non ita θεολογούμενα tractaſſe. Nec verò hæc in medium afferrem, niſi graues viros de iiſdem conqueſtos ſcirem, & nuper inter eos ipſos quoſdam viderem eſſe exortos, qui hanc rationem, & methodum quodammodo improbare videantur: dum nimirum multa nimis ad viuum reſecantur, nimiúmque ſubtiliter diſputantur. Sed quorſum hæc tendunt, fortaſſe dices optime Launoi? nempe vt tibi gratuler, quòd cùm ex more apud Theologiæ candidatos recepto aliquot annos in Thoma, Scoto, Durando, & qui his multa adiecerunt Hiſpanis, conſumpſiſſes, ex his λογομαχιῶν labyrinthis feliciter pedem extuleris. nec vt plerique faciunt, in his conſeneſcere, vel etiam immori volueris: ſed talibus valere iuſſis, quæ magna ex parte dediſcenda ſunt,

Digitized by Google

ſi hominibus vti volumus, vt Euclidi aiebat Socrates, & in ſcholis tantùm vſui ſunt, ad partem vt amœniorem, ita etiam vtiliorem te tranſtuleris, nempe ad Patrum lectionem, & Eccleſiaſticam hiſtoriam. quæ eò potior eſt, quàm profana, quòd præter communem, quem ex omni hiſtoria fructum referimus, animos quoque noſtros rerum cæleſtium amore incendit, Deíque in nos ſingularia beneficia oſtendit, & hominum pietate, morúmque ſanctitate ſpectabilium exempla nobis ob oculos proponit. Neque verò ſacram hiſtoriam legendam tantùm, ſed etiam tractandam ſuſcepiſti: nec id leui brachio, aut more vulgari, verùm enucleatiùs, & exactiùs multò quàm ceteri. nihil enim inexcuſſum relinquis, ſed iugi, & attenta lectione, & ſedula variorum auctorum inter ſe collatione, ſi quid in ea ambiguum eſt, ſoluis, nec labori parcis, dum rariores codices, frequenter etiam manuſcriptos vndecunque colligis, & diligenter inſpicis. In quibus dum totus es, quædam piâ hominum credulitate recepta, & per manus tradita non ſatis firmis antiquitatis teſtimoniis niti animaduertiſti. quod modò ſobriè attentetur, licitum eſt. nec enim temerè conuellenda ſunt,

Relligione patrum multos ſeruata per annos.
Qua in re iudicio te valere oſtendiſti; dum modeſtè reiicis, quæ indubitatâ ſcriptorum auctoritate non confirmantur. Quædam enim ſunt, ſi verum volumus, quæ homines pij quidem, ſed nimiùm creduli non ſatis comperta religionis ſtudio ſcriptis prodidere. quæ tantum abeſt vt illam iuuent, vt etiam obſint, dum tanquam falſa & temerè credita, veris etiam apud profanos homines, & hæreticos fidem abrogant. Tu verò perge commentariis tuis hiſtoriam ſacram illuſtrare. eâ ſiquidem es pietate, & iudicio præditus, vt nihil hîc ſis temerè, aut cum religionis periculo facturus. Vale.

ROL. MAR. FRANCISCO OGERIO S.

EPISTOLA XLVII.

Quærit cauſas, cur nunc minimus ſit eloquentiæ locus, quæ nunc fere locum non habet, niſi in panegyricis: exinde de ſacris Ogerij panegyricis agit.

CVM eloquentia vnà cum reliquis liberalibus diſciplinis inundante orbem barbarie extincta fuerit, mirum videri poſſit, cur ſimul cum illis poſtea non reuixe-

Digitized by Google

rit, niſi in promptu cauſæ eſſent: primùm eius artis difficultas, quæ incredibile ſtudium, ſummam eruditionem, longam exercitationem requirit: quibus rebus per noſtram ignauiam iam pares non ſumus: deinde quòd pleraque pars orbis Chriſtiani ſub Principibus viuit, quorum ſub imperio minimus eſt eloquentiæ locus: itaut ex tribus cauſarum generibus, quæ vulgò à Rhetoribus aſſignantur, ſolum reſtet demonſtratiuum, quod nunc vſum aliquem habeat. Quantum enim ad deliberatiuum attinet: in regnis, vbi omnia ex vnius arbitrio pendent, Princeps, ſi quid in deliberationem veniat, proceres ſuos, aut conſiliarios ſententiam rogat, quam breuiter, & ſine ornatu vnuſquiſque dicit: & in illis magis prudentiam, quàm facultatem dicendi requirit. Quantum ad iudiciale: cùm criminum capitalium accuſationes, & defenſiones, in quibus olim eloquentia maximè vires exerebat ſuas, nunc per aduocatos non peragantur, & in ciuilibus controuerſiis affectus mouere compoſita oratione, longóque procemio, aut peroratione vti non concedatur, minimum quoque loci huic generi relinquitur. Solum igitur ſupereſt ἐπιδεικτικὸν, ſic dictum ab oſtentatione, quòd

etiamnum aliquando vſurpetur in panegyricis, qui ex variis occaſionibus dicuntur, vt legationis, inaugurationis, aut diei Sancto alicui conſecrati cauſâ, cùm Martyris generoſi, aut pij, doctíque Antiſtitis memoria in Eccleſia celebratur. quibus locis eloquentiæ vela laxare licet. In aliis quidem ſacris concionibus, in quibus ſublimia noſtræ religionis myſteria declarantur, aut populus à vitiis deterretur, & ad ſanctitatem morum ſectandam accenditur, neſcio quomodo ſubputidum videtur, & minùs conueniens eloquentiam affectare: cùm in iis ſimplex, & facilis oratio, modò ſit grauis, cum integritate concionantis coniuncta, magis ad animos hominum commouendos valeat, quàm vlla ars, aut facultas dicendi: vnde etiam apud Græcos ὁμιλιῶν nomen retinent, quòd ſint quaſi familiares cum populo collocutiones. In eiuſmodi orationibus è ſacro ſuggeſtu habendis, quid in dicendo valeres, diſerte Ogeri, oſtendiſti: ſed maximè in Panegyricis, quos, vt Sancti alicuius memoriam laudibus proſequereris, & ad eius imitationem populum, quantum fieri poſſet, adhortareris, dixiſti. Nam in iis antiquos Oratores æquiparare viſus es, qui ſuos heroas, & viros egregiis facinoribus illu-

ſtres præconiis ſuis in cælum extulerunt. Cùm enim ipſa per ſe materia ſatis eſſet ampla, & locuples, tu eam adhuc mirum in modum arte oratoria amplificaſti, & exornaſti. quamuis verò tuæ orationes, cùm ad populum ſunt habitæ, multum vtilitatis, & delectationis auditoribus attulerint, abſque dubio tamen, cùm ſcriptæ legentur, licèt geſtu, & pronuntiatione deſtitutæ, magis etiam iuuabunt, & delectabunt. nam quæ audientium animos aliquando præteruolant, legentium oculis identidem retractata, animis firmiùs inhærent. Sed eum, qui quas habueris orationes, audeat legendas proponere, profectò eloquentiæ ſuæ maximè confidere oportet, cùm Cicero ſcribat in Bruto *ſummos alioquin Oratores nihil ſcripſiſſe, cùm ſe ſatis magnam adeptos eſſe gloriam putarent, eámque etiam maiorem viſum iri, ſi in exiſtimantium arbitrium ſua ſcripta non venirent.* Tu verò eapropter panegyricos tuos edere ne verearis. tales enim ſunt, vt ex iis non pij ſolùm, & eruditi doctoris, ſed etiam eloquentis oratoris nomen reportaturus ſis, & tibi polliceri poſſis eiuſmodi tua ſcripta ad inflammandos Dei amore animos non parum momenti habitura. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. ISMAELI BVLLIALDO S.

EPISTOLA XLVIII.

De Mathematicarum ſcientiarum præſtantia agit, & inter nouos Mathematicos Bullialdum laudat.

STVDIA Mathematica, quæ commune aliis artibus μαθημάτων nomen propter certam demonſtrandi rationem propriè ſibi vindicarunt, adeo ſunt præſtantia, vt primis eorum inuentoribus, atque adeo iis, qui inuentis aliquid poſtea addiderunt, & etiamnum quotidie addunt, homines magnas gratias agere debeant. Et certè ſi ita loqui fas eſt, diis potiùs, quàm hominibus ſunt annumerandi, qui tam difficilia, támque ſublimia vi ſumma ingenij, & longa obſeruatione ad hominum delectationem ſimul & vtilitatem primi prodiderunt: quales fuerunt Thales, Anaximander, Anaximenes, Pythagoras, quibus addere licet Archyſam, Euclidem, Archimedem, tótque alios clari in Mathematicis nominis, qui rebus à priſcis illis heroibus inuentis multa, & egregia ſuperſtruxerunt. Mirum verò eſt, cùm optimæ artes paſſim frigerent, has

has tamen pæne ſolas tum etiam viguiſſe, apud Arabes maximè: qui cùm ex media eſſent barbarie, nihilominus in Matheſi, & in Philoſophia, ac Medicina diu regnum obtinuerunt, & eo tempore Latium ipſum barbariei condemnarunt. quod procul dubio Mathematicarum ſcientiarum pulchritudinem, & claritatem, addo etiam neceſſitatem arguit. Quamuis autem delectatio ſumma ex Matheſeως vſu, & effectu capiatur ob vtilitatem inde emanantem, tamen maior voluptas ex eiuſdem ſola contemplatione oritur, itaut Plato Archytam, & Eudoxum increpuerit tanquam Geometriæ corruptores, quòd dignitatis illius non ſatis memores eam manuario operi ſeruiliter addixiſſent, & à rebus incorporeis, & νοητοῖς ad αἰσθητὰ indignè traduxiſſent. Certè quæcunque in mechanica exhibuit, quæ omnibus miraculo fuerunt, vir in ea ſummus Archimedes, ea Geometriæ ludentis πάρεργα fuiſſe ſcripſit Plutarchus. Sed quamuis Matheſeως inuentores, & illorum ſucceſſores iure primas teneant, tamen ſua laude non ſunt fraudandi, qui in illo interregno iacentibus literis, ac poſtea etiam reſtitutis de ea ſcripſerunt. quorum multi rerum cæleſtium cognitione præcipuè ſpectabiles

fuerunt. Inter quos planè mirandum eſt Regiomontanum, Copernicum, Tychonem Braheum, homines Germanos, Cimbróſque ſub Septemtrione, cælo nubilo multa priſcis incognita in ſiderum ſcientia perſpexiſſe. noſtra etiam ætas tulit multos in his artibus egregios: inter quos, vir doctiſſime, propter Theonis quædam, quæ hactenus latuerunt, edita, & proprio etiam marte ſcripta opera non poſtremum locum tenes. Sed, quod minimè vulgare eſt, cum his ſublimioribus, & difficilioribus ſcientiis, humaniora etiam, & elegantiora ſtudia coniunxiſti. Noui enim Mathematici ſtudiorum amœnitates minimè conſectantur, & maximè Arabes, cùm eſſent inculti, talia neglexerunt. Tu verò in hoc antiquos ſequeris, qui nullis non bonis artibus ſimul exculti fuerunt. quod quò rarius eſt in aliis, hoc in te eſt præclarius. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. NICOLAO HEINSIO S.

EPISTOLA XLIX.

Huc vſque ſatis operæ in bonis auctoribus corrigendis inſumptum, alia nunc eruditis tractanda. Heinſium verò monet, vt ex ſe aliquid componat.

CRITICA olim ſatis magno in vſu fuit, cùm Grammatici, qui & Critici dicebantur, mendas, quæ libris librariorum incuriâ inoleuerant, tollerent. Sed eadem à duobus ſæculis longè maioris fuit adiumenti. Cùm enim æuum, & ſcribarum inſcitia propter diutinam barbariem ſacra veterum monumenta miſerè fœdaſſent, doctorum virorum opera omnino fuit neceſſaria, vt ea integritati ſuæ, quoad eius fieri poſſet, reſtituerentur. Sed iam omnibus fere optimis auctoribus tantum bonæ operæ impenſum eſt, vt in iis non admodum multa reſtent, quæ Criticorum manum adhuc expoſcant: & plerorumque claſſicorum ſcriptorum emendationes etiam faſtidioſo ſtomacho ſatisfacere poſſunt. aliquibus enim editionibus tandem acquieſcendum eſt, nec ſemper fluctuan-

dum. neque alioqui magna ſpes eſt, meliores codices, quorum ope veteres libri prorſus ſanentur, poſthac poſſe reperiri, omnibus fere bibliothecis antea excuſſis. Quocirca iam tempus eſt, eruditos viros in aliis operam collocare, & ex ſe aliquid proferre. Homines enim melioribus idoneos ſemper in Feſto, & Nonio conteri, nec aliud, quàm eiuſmodi critica tractare, ipſis profectò indignum eſt, & literis damnoſum. Certè tu, Heinſi, aliud potes quàm puluerulentas chartas euoluere, & in iis ſyllabas captare, vt antiquos ſcriptores emendes (quod quàm egregiè facias, teſtis eſt Claudianus à te recèns ex quamplurium exemplarium collatione editus.) epiſtolæ enim tuæ merè Latinæ, & elegantiâ plenæ probant, te non neceſſe habere ſemper in alienis operibus ſcribendi materiam quærere, & inde famam petere, ſed ex tuo etiam aliquid afferre poſſe. Nec verò eſt, quòd argumentorum ſterilitatem cauſeris. Nónne enim liberalia ſtudia tractare licet? nónne moralem Philoſophiam? nónne politica? quid de hiſtoria naturali dicam? quæ certè mater benigniſſima eſt. nónne etiam in vnaquaque diſciplina illuſtres viri infinitam ſcribendi, cùm de ipſorum vitis,

tum de ſcriptis materiam ſuppeditant. non enim adeo noſtrum, aut ſuperius ſæculum doctrinâ ſterile fuit, vt claros bonis artibus viros, qui ſcriptis prodi digni ſint, non extulerit. Vt mittam quòd de viris in rep. cum laude verſatis, & ſiue in bello, ſiue in toga ſpectatis ſcribere licet, & hanc ſaltem hiſtoriæ noſtri æui partem attingere, vel certè ſuperiora tempora memoriæ mandare, ſi minùs res noſtrâ ætate geſtas exponere liberum ſit. Sed fortaſſe tibi videbor minùs decorè facere, quòd quaſi præſcribam tibi quod ſcribas, cùm ipſe meliùs per te eligere poſſis, quæ genio tuo magis arrideant. Hiſtoriam quidem patriam I. Lipſius ſcribere in animo habuit, quam mallem ſcripſiſſet, quàm aliquot critica, in quibus bonam ætatis partem inſumpſit. vir enim ille vt magno ingenio, ita non minore iudicio fuit, niſi quòd ſcribendi χαρακτῆρα parum Latinum, & nimis conciſum affectauit. Ad idem quoque te argumentum voco, ſed maximè ad hiſtoriam, quæ narret bellum à veſtris cum Hiſpanis geſtum, cuius exitus tam glorioſus vtpote patriæ veſtræ libertas extitit. quamuis enim plures variâ linguâ in ea materia ſanè luculenta ſe exercuerint, tamen aliis de iiſdem

Digitized by Google

rebus adhuc ſcribendi facultatem non præripuerunt. Hæc autem latiùs proſecutus ſum, vt oſtenderem hominem doctrinâ, & ingenio præditum, inopiâ materiæ ad ſcribendum non laborare: quamcunque verò tractandam ſuſcepiſſes, vt dotes habes ſcriptori neceſſarias, eam te optimè executurum. Vale.

ROL. MAR. IACOBO LAMBINO IN SENATV PATRONO S.

EPISTOLA L.

Munus Patroni apud nos honeſtum, & vtile docet eſſe, apud Romanos tamen maiore in pretio fuiſſe.

CVM te conſpicio, diſertiſſime Lambine, ſubit mihi recordatio illius temporis, quo ambo adoleſcentuli curarum expertes ſub iiſdem præceptoribus in ſchola Nauarrica literis operam dabamus. Inde, vt variæ ſunt hominum voluntates, nec voto viuitur vno, vt ait Perſius, forum te excepit: in quo cùm ex familia eſſes literata, non degenerans à laude auita, labore peruigili, & ſtudio indefeſſo eos progreſſus feciſti, vt hoc tempore inter nobiliſſi-

mos Aduocatos connumereris, facilitate, & perſpicuitate ſermonis in cauſis orandis, *quam primam eloquentiæ virtutem eſſe*, ſcribit Quintilianus, inter alias dotes præcipuè commendatus. Ego verò philologiæ, & humanitati, quæ multum amœnitatis, & delectationis habent, à teneris annis deditus, ſtudiis ignobilis otij ſi non, vt Virgilius meritò de ſe gloriari potuit, florui, at certè animum oblectaui, in iiſque literis ætatem contriui, ab omni honorum, & diuitiarum cupiditate alienus. Sed, vt ad te redeam, inter diuerſa vitæ genera, quæ homines literati ſequuntur, cauſarum patroni munus maximè honorificum, & ad opes parandas ſatis accommodatum videtur. quamuis enim nunc apud nos per illud non ſit ad magiſtratus aditus; vt olim cùm celebres, notique aduocati virtutis tantùm ſuæ, & doctrinæ ſuffragio à Principe ad ſumma Curiæ munia aſſumerentur, quæ laborum merces erat ampliſſima: tamen etiamnum ciuium cauſas defenſitare egregium eſt, omnium fortunas, vitam etiam nonnunquam tuendam ſuſcipere, denique totius ciuitatis in litibus, ſed & in aliis, quæ ad rem familiarem pertinent, negotiis quaſi oraculum eſſe: & hic labor forenſis præ-

Digitized by Google

ter dignitatem, non minimam etiam vtilitatem affert, diuitiáſque interdum non contemnendas conciliat, ſed ſine inuidia partas. Non equidem neſcius ſum, antiquitus præſertim apud Romanos oratoris nomen longè maiori in pretio, & honore fuiſſe, & *non aliud ſtudium vel ad vtilitatem fructuoſius, vel ad dignitatem amplius extitiſſe*, vt ait auctor dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ: cùm nempe patroni, qui iidem erant principes in rep. viri, reos magno apparatu defenderent, vel cauſas apud Centumuiros orarent, quod certè mirandum non eſt. noſtræ enim leges non ſinunt, vt cauſæ capitales, in quibus illi oratores præcipuè omnes eloquentiæ opes explicabant, aduocatorum voce defendantur: (quod fortaſſe rectius eſt, nimirum cùm tantùm teſtibus, aut tabulis res agitur) nec quas vulgò ciuiles cauſas vocamus, nunc tanta cum pompa aguntur: nec qui eas agunt, ſunt reip. proceres, aut publica tractant negotia, vt oratores Romani. Sed tamen non leuem hodie honorem conſequuntur, qui in iudiciis, ſi quam in dicendo facultatem habent, exerunt. nam rem dilatare oratione, & exornare, exordiíſque interdum vti paulò longioribus, & perorationibus vehemen-

tioribus in cauſis grauioribus licet. Et vt Romæ Iuriſconſulti tranſuerſo foro ambulantes, vel domi in ſolio ſedentes conſilij ſui copiam conſulentibus præbebant; ſic apud nos videre eſt celebriorum aduocatorum domos concurſu omnis generis hominum, etiam ſplendidiſſimorum plenas ſemper & frequentes. Non eſt igitur, vt dixi, aſpernandum aduocati in foro munus, in quo ſi quis excellat, dignitatem parat, & opes non modicas, ſed minimè inuidioſas acquirit. Quod cùm, mi Lambine, pari cum fidei, facundiæque, & induſtriæ laude exerceas, meritò omnibus præconiis dignus es. Nam ſi, vt ait Horatius, actor cauſarum mediocris tamen in pretio eſt, quid, ſi minimùm abſit à virtute diſerti Meſſalæ, vel ſciat quantùm Caſellius Aulus? Ceterùm hoc vitæ genus vt glorioſum, & egregium, ita maximè laborioſum eſt, & exercitum, & forenſis opera verè togata militia à quodam Poëta nuncupata eſt. Contrà verò vita mea vt obſcura, ita tranquilla, & quieta fuit, in ſtudiis nempe, iiſque amœnioribus, & mira dulcedine animum demulcentibus tranſacta: quorum vt aliquod ſaltem leue monumentum extaret, ab aliquot annis cœpi epiſtolas ad amicos dare, quæ fere aliquod argu-

Digitized by Google

mentum literarium tractant: qualis eſt iſta quam ad te mitto, quæ tibi vetuſti, quod mihi tecum interceſſit, in ſtudiis ſodalitij memoriam renouaret: quæ quantùm mihi iucunda ſit, etiam publicè teſtatum eſſe volo. Vale.

ROLANDVS MARESIVS
I. BAPTISTÆ PERSIO MONCAMPIO
SORORIS GENERO
in Senatu Patrono S.

EPISTOLA LI.

Ingenio magis, & exercitatione, quàm Rhetorices præceptis eloquentiam comparari ait.

CVM nuper Demoſthenis Olynthiacas orationes legerem, verum eſſe comperi quod Quintilianus ſcripſit, *pectus eſſe quod diſertum facit, & vim mentis*. Ille enim oratorum omnium longè princeps, ac pæne lex orandi ab eodem Quintiliano dictus, tamen in illis orationibus non multam artem adhibuiſſe videtur: in quibus tantùm ſumma prudentia hominis πολιτικοῦ vbique enitet. nihil inſolens, aut ineptum ſed omnia ſana, & ſincera, (quæ Attico-

rum eſt virtus præcipua, vt ait Cicero,) & ex ingenio, ac iudicio magis, quàm ex arte oratoria prouenientia. nam de ſermone nihil dico, quod eſt ſolum, & quaſi fundamentum eloquentiæ, qui in eo eſt verè Atticus, & ita elaboratus, vt ſingulorum verborum pondera dictus ſit examinare. Quòd verò non arte, & ſcientiâ, ſed longè magis facultate, & meditatione eloquentia contineatur, ſummi etiam oratores in ea ſententia fuerunt Lyſias, & Æſchines, qui cùm Rhodi exularet, rogatus à Rhodiis, vt eos artem dicendi doceret, negauit ſe eam ſcire. Antonius etiam inter oratores Romanos præcipuus nullum eſſe artificium dicendi paſſim apud Ciceronem in libris de Oratore affirmat; præſertim cùm nemo artis ſcriptor ne mediocriter quidem diſertus fuerit, eloquentiſſimi autem innumerabiles extiterint, qui nec iſta didiciſſent, nec ſcire curaſſent. Tacitus fuit eloquens, & inter ſæculi ſui oratores habitus, quod vel Galgari oratio in Agricolæ vita abundè confirmat, quâ Lipſius cenſet nihil prudentius, diſertius, argutius in omni Romana lingua extare. Credibile verò eſt etiam quas ipſe habuit orationes, concionibus quæ in eius hiſtoriis ſparſæ ſunt, non multùm abſimiles

fuiſſe: crebræ ſunt ſententiæ viuidæ planè, & acres, vbique pectus illud apparet, vbique vehemens eſt, vbique perorare videtur; demum, qui finis eſt oratoris, perſuadet, & quod de Pericle dictum, pungit, & aculeos in animis hominum relinquit: verùm omnia ſunt abrupta, nec multum artis in eo compareat. Itaque vt quis diſertus euadat, non multùm meo iudicio in iſtis Rhetoricæ præceptis, quæ ſunt infinita, ſe torquebit: ſed cùm erit communi illa eruditione imbutus, quæ in artibus ingenuis conſiſtit, & Philoſophiam præcipuè moralem attigerit, quas Socraticas chartas appellat Horatius, tum demum frequenter ſe in dicendo, & ſcribendo exerceat. exercitatio enim, quod potentiſſimum diſcendi genus vocat Quintilianus, ſine multis præceptis aliquem eloquentiæ vſum afferet ei, modò indolem habeat, & naturam ad eam idoneam, quæ præcipuè hîc multùm valet. iudicium etiam, quod idem Horatius rectè ſcribendi principium, & fontem eſſe dixit, non parum corroborabit. Sed magno cum ſtudio priſcorum oratorum libri ſunt euoluendi, & præcipuè Philoſophorum commentarij legendi. prædictus enim Cicero fatetur ſe oratorem, ſi modò ſit, aut qui-

cunque ſit, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe. In quo quidem omnia ſunt admirabilia, ſed maximè ſuſpicio incredibilem illam vbertatem in rebus amplificandis, & ſingularem verborum elegantiam in exornandis, in diſponendis mirum ordinem, & in exponendis ſummam perſpicuitatem. quæ dotes, quantum ſentio, noſtris oratoribus maximè ſunt imitandæ, præcipuè diſpoſitio, & perſpicuitas, quæ iudicio, & vſu magis, quàm vlla arte comparantur. reliqua ad delectandum, & affectus permouendum inſtituta, quanquam in iis magnum momentum antiqui eſſe voluerunt, vt apud nos minùs neceſſaria omittamus, & ſummis illis oratoribus relinquamus. Ceterùm quæ ſuprà de exercitatione attuli, quæ magis, quàm ars à me in oratoribus requiritur, tu ipſe vera eſſe, mi Perſi, perſpicere potes. quotus enim quiſque etiam ex nobilibus fori aduocatis in Rhetorica multam operam poſuit? quotuſquiſque tot præceptiones magno ſtudio imbibit? maxima pars, ſi quam dicendi facultatem habent, eam vſu, & exercitatione, quæ eloquendi facilitatem peperit, & ingenio magis, ac vi mentis, quàm inſtitutione conſecuti ſunt. Quare tibi au-

Digitized by Google

ctor ſum, vt quam à natura vim dicendi habes, eam exercitatione, quod etiam facis, magis magíſque adaugeas. quod frequenter ſcribendo, ſtilus enim, vt ait Cicero, optimus eſt dicendi effector, ac magiſter, at dicendo, modò pręmeditatus ad cauſas certè grauiores accedas, conſequêris: verè enim dictum eſt, vt peruersè dicant, peruersè dicendo homines facillimè conſequi. Nam ſat multos aduocatos videre eſt, qui ius Romanum, qui noſtrum, qui fori vſum, & actionum formulas, quod certè præcipuum eſt, nouerint: qui verò aliquam eloquentiæ facultatem ex attenta rerum obſeruatione, & recto dicendi vſu ſibi compararint, fortaſſe non multos reperias. Vale.

ROL. MAR. MARIÆ PRATENSI VIRGINI SORORIS FILIÆ S.

EPISTOLA LII.

Feminas ad literarum ſtudia aptas, idoneáſque eſſe, & doctrinâ meliores fieri, exemplis, rationibúſque probat.

SVETONIVS refert Auguſtum de rebus grauioribus ſermones cum Liuia ſua, & liberis ex ſcripto habere ſolitum. Id erga te

Digitized by Google

vſurpare, cùm quædam tibi exponenda habeam, mea Maria, ſtatui. Nam licèt præſens ſis, & ſub eodem mecum tecto verſeris, tamen, quò diſtinctiùs, & enucleatiùs ea quæ volo, expromam, ſimúlque vt animo tuo fideliùs inhæreant, & penitiùs inculcentur, hancce epiſtolam tibi conſcripſi. Cùm te, ſuauiſſima Maria, iam tum à prima ætatula pupis maturè dimiſſis, à reliquis puellulis ſecretam, nec luſibus pueritiæ conuenientibus intentam, lectioni librorum incumbere viderem, piaculum fore exiſtimaui, ſi in legendis leuibus magna ex parte vernaculis ſcriptis φιλομάθειαν illam vaneſcere ſinerem, præſertim cùm præter ardorem illum legendi te ingenij docilitate, ac memoriâ, quæ præcipuè in diſcendo valent, non carere intelligerem. Tum igitur mihi viſum Latinis literis te inſtituere, ſine quibus nullus vnquam doctus euadere poteſt, ſtatímque te Grammaticæ elementis initiaui: quæ cùm celeriter percepiſſes, inter occupationes domeſticas licèt perfunctoriè ſtudens, tamen eò progreſſa es, vt iam Ciceronem, Ouidium, Curtium, Iuſtinum ſatis commodè intelligas. Quæ fundamenta cùm tibi iacta ſint, tuum erit ingenuarum artium,

Digitized by Google

quæ præter Grammaticam iam dictam Rhetoricâ, & Poëticâ maximè conſtant, ædificium his ſuperſtruere, & frequenter legere, ac ſcribere, vt Latinus ſermo tibi tam familiaris fiat, quàm Gallicus. mox cùm Philoſophiæ præcepta delibaris, non huius hodie in ſcholis receptæ, ſed paulò defæcatioris, & elegantioris, tum demum nare ſine cortice poteris, nec iam ampliùs in reliquis ſtudiis præceptoris adminiculo opus habebis. quamuis verò ſatis per te ſis inflammata amore diſcendi, & literarum ſtudia multò acriùs, quàm antea haurias, tamen ſtatui te currentem, quod dicitur, incitare, & reiectis quæ à quibuſdam ἀμούσοις, & præſertim mulierculis contra muliebria ſtudia diſputari ſolent, ad doctrinam capeſſendam magis magíſque impellere. Igitur ſi verum eſt, quod à Platone in libris de Rep. ſcriptum eſt, eandem virorum, & fœminarum eſſe virtutem, idem ingenium, eáſque pariter ad omnia eſſe idoneas, nec à bello gerendo, republicáque adminiſtranda remouendas, profectò non rectè literarum cognitione illis interdicimus: cùm non minimùm noſtra interſit bonas fieri, & ad virtutem informari, ad quam parandam artes liberales magno eſſe adiumento tradidit

didit Ariſtoteles. Annon verò poteſt inuidia videri feminas, quæ noſtræ conſortes ſunt, non ſinere in hoc nobis æquiparari, ſed ſcientia, ſicut ceteris rebus ſuperiores eſſe velle? At vulgò iactatur, (vt ſtatim iis, quæ obiiciuntur, occurram) feminas eruditas, quòd aliis in hoc ſe præſtare ſentiant, arrogantiores eſſe ſolere, viríſque ſuis intolerabiles, nec ſatis morigeras, reíque familiaris, & domeſticarum occupationum tanquam viliorum negligentes. Iuuenalíſque verſus ex ea ſatyra, quâ feminas tam acerbè exagitauit, afferuntur, in quibus Poëta ſatyricus doctas declamatorio ſtilo inſequitur. Sed ille tantùm Criticas, antiquarias, & quæ nimis doctæ, & facundæ videri cupiunt, inceſſit, vt quæ non teneant ex ſapientia modum, & ſtudiorum intemperantiâ laborent. Nam, vt ait ibidem,

Imponit finem ſapiens & rebus honeſtis.

Multùm verò abeſt, vt inde feminæ deteriores fiant, viríſque ſuis, & aliis importuniores. contrà, vt Naſonis verſiculos vſurpem,

——Ingenium placida mollitur ab arte,
Et ſtudio mores conuenienter eunt.

Tótque exempla mulierum in omni virtute

Ee

egregiarum ex Hiſtoricis, aliiſque ſcriptoribus feminæ literarum amantes poſſunt colligere, vt ſi aliqua inde magis commoda, & frugi non euadat, miraculo propius videri debeat. fuerint ſanè aliquot eruditæ minimè probæ, fuerit Sappho, excellens Poëtria, moribus infamis; fuerit Aſpaſia Periclis eadem amica, & in dicendo magiſtra, funeſtiſſimi belli Peloponneſiaci concitatrix. At

Parcite paucarum diffundere crimen in omnes.

Nam quòd hiſtoriæ peccare, vt ait Flaccus, docentes aliquando in libris occurrunt, fateor, id omnium vitium eſt, nec ferè vllus tam ſanctus ſcriptor, & ſalubris reperietur, qui alicubi non poſſit corrumpere animum, ſed iam peruerſum, & corruptum: nimirum, vt ait Comicus, hæc perinde ſunt, vt illius animus, qui ea poſſidet, ei qui vti ſcit, bona, illi qui non rectè vtitur, mala. alioqui ſi ſic in rebus humanis agatur, res etiam vitæ vtiliſſimæ abdicabuntur. At, vt ait Quintilianus, *non æquum eſt id haberi malum, quo bene vti licet.* Mileſiacis quidem Latinis, quæ nobis reſtant, Ouidij arte, elegiiſque aliquot laſciuioribus, Iuuenalis ſatyris pleriſque, Martialis pleriſque epigrammatis tibi interdico, & ipſe præmonet, quæ

à matronis, pueris, virginibúſque tutò legantur: quanquam ingenitus pudor, morúmque honeſtas ſatis hæc, ſcio, te vetabit attingere, quæ lecta ingenuos puellarum animos valent corrumpere, nec ſinunt nequitiæ ſuæ eſſe rudes, vt Propertij verbis vtar. nam

——— venerandáque, ſanctáque verba
A pueris debent, virginibúſque legi.

Sed neſcio quare à priſcis Hiſtoricis, & Poëtis tantum puellis impendere periculum ſeueri cenſores vociferantur, cùm permittant illis fabulas amatorias, verſiculóſque vernaculos, quorum ferè argumentum eſt amatorium, in manibus ſemper habere: quæ quàm innoxiè legantur, ipſi viderint. Ceterùm cùm Ariſtoteles in feminis φιλεργίαν non illiberalem requirat, quando non perpetuò operi affixæ eſſe poſſunt, quod honeſtius leuamentum eſſe poteſt, quo otium recreent, & tempus fallant, quàm librorum lectio moribus formandis vtilium, ſimúlque oblectantium? Sed iam tempus eſt vt apud Græcos, & Romanos feminas literis claruiſſe oſtendam, & te earum exemplo ad diſciplinas capeſſendas accendam: quarum tamen paucas maximè illuſtres enumerare contentus ero, nam om-

Digitized by Google

nes recenſere pæne infinitum foret. Inter antiquiſſimas Græcas Cleobulina, Cleobuli Sapientis filia, & Theano Pythagorea, quæ prima philoſophata eſt, numerantur. inter Platonis diſcipulos Laſthenia Mantinea, & Axiothea Phliaſia. Arete verò Ariſtippi filia omnes claritudine ſuperauit, quæ patri in ſchola ſucceſſit, & filium item nomine Ariſtippum docuit, ob id μητροδίδακτον appellatum. Quid tot Poëtrias præſertim lyricas dicam? quarum Corinna præſtantiſſimum Poëtam Pindarum quinquies vicit. Ad Romanas veniam, quæ pariter ſunt innumeræ, ſed paucas item ex numero excerpam. Corneliam Gracchorum matrem ſcribit Fabius filiorum eloquentiæ multum contuliſſe, & Læliam in dicendo paternam eloquentiam reddidiſſe. Polla Argentaria Lucani vxor in corrigenda Pharſalia virum adiuuit, & Sulpiciæ Martialis carminibus celebratæ ſatyram habemus de Domitiani temporibus compoſitam. Sed quid ab vltima memoria exempla repeto, cùm ſuperiore ſæculo, præſertim apud Italos, tot feminæ in literis præſtantes fuerint. apud nos etiam inter alias exſtiterit Margarita Nauarræ Regina, Regis literarum parentis ſoror, quæ non ſolùm

ipſa literatis fauerit, ſed etiam ſcriptis editis claruerit: & noſtra ætate Maria Gornacenſis floruerit, Lipſij præconio laudata, non tantùm libris editis celebris, ſed etiam maximè ſummi viri Michaëlis Montani iudicio, qui eam loco filiæ habuit. Hac etiam tempeſtate ſunt aliquot: inter quas præcipuè eminet in Batauia Anna Schurmanna virgo, varias ſcientias, & linguas animo complexa, & quæ more Hippiæ ſophiſtæ præter diſciplinas etiam artificia plurima mulieribus conuenientia nouit. In recenſione literatarum illuſtriſſimam Septemtrionis Reginam, maximum noſtræ ætatis ornamentum, ſilere capitale eſt; quæ literis intantum exculta eſt, vt inter dotes verè regias, quibus effulget, hac etiam laude cenſeri debeat, cùm inter regni curas ſtudiis vacet, & in eorum amore priuatis non cedat. Sed hæc ſufficiant ad te in literas impellendam, cùm ſatis tuâpte naturâ in illas propendeas. ad quas vt te in principio admouerem, fecit indoles tua ad virtutem, moréſque honeſtos propenſa probè mihi cognita, quæ mihi ſpem dedit, diſciplinas tibi vſui, & ornamento futuras; fecit etiam in re familiari curanda, muniiſque domeſticis obeundis ſedulitas ex matris feminæ

Digitized by Google

ſanctiſſimę præceptis, & exemplo, quæ nunc tibi paulò adultiori domus curam magna ex parte commiſit. Nam cùm hæc perſpexiſſem, auguratus ſum te propter ſcientiæ opinionem non vanam, & arrogantem, aut otioſam, & deſidem fore. Perge igitur quà cœpiſti: nam cùm ſalebras euaſeris, deinceps iter facile eſt, & apertum: cùm certa eſſe debeas ſtudia tibi præter vtilitatem, commendationem non leuem allatura, & dotibus minimè pœnitendis, quibus à natura ſatis liberaliter inſtructa es, etiam decoris, & ornamenti aliquid adiunctura. Vale.

ROL. MAR. PETRO COSTARDO S.

EPISTOLA LIII.

Coſtardum, ceteróſque doctos hortatur, vt exemplo ſuo epiſtolas Criticas ſcribant, & à quibus in eo ſcribendi genere adiutus ſit, aperit.

LEGI ſumma cum voluptate, doctiſſime Coſtarde, Apologeticum Vincentij Veturij ſcriptorum: (ſic enim Latinè appellari debere opinor, cùm alterum nomen ſit Latinum; alterum etiam Romanum) primùm quòd à te, quem plurimi fa-

Digitized by Google

cio, ſit doctè, & eleganter compoſitus: deinde quòd de eo viro, quicum mihi intercedebat amicitia, iam tum ab eo tempore contracta, quo ambo pueruli, vtpote vicini ad eumdem ludum literarium itaremus: poſtremò quòd in eo ſcribendi genere verſetur, quod maximè ſequor, nimirum in Critica potiſſima Grammaticæ parte, quæ in ſcriptores cenſuram exercet. Nam cùm mearum epiſtolarum id ſit argumentum, vt de ſtudiorum ratione agant, & de iis quæ ad literas pertinent, iis paſſim admiſta ſunt de ſcriptoribus præſertim antiquis iudicia: quo non aliud ſtudioſis vtilius eſſe poteſt. vt nuper ad Menagium noſtrum de Valerio Maximo quid ſentirem, per epiſtolam ſatis luculentè expoſui, ſimúlque vt in eo ſcribendi genere ſe exerceret, adhortatus ſum, quemadmodum eruditos viros ſæpe ſoleo, pro vtilitate publica non veritus eos in eodem argumento habere æmulos. Critica quidem olim ſumma erat in auctoritate, vt cui in quoſuis auctores, ſed in Poëtas præcipuè cenſoriâ virgulâ vti liceret: & docti illi Grammatici Ariſtophanes, Ariſtarchus, Crates iidem dicti Critici ius ſibi arrogabant veterum ſcripta cenſendi, & recenſendi. At hoc ſæculo, & ſuperiore

Critici tantùm verſati ſunt in emendandis libris, qui propter diutinam, quæ vniuerſum fere orbem occupauerat, barbariem magnum acceperant incommodum: quorum quidem opera adeò fuit vtilis, vt ſine illa res literaria reſtitui non potuerit. Sed vt antea morbis, ſic nunc remediis laboramus, & claſſici ſcriptores ex aſſidua medicarum manuum tractatione nouas nonnunquam plagas accipiunt, tantum abeſt vt ſanentur. Nunc igitur cùm eruditorum vigiliis ſatis emendati auctores circumferantur, doctos libenter adhortarer ad hoc Critices genus ſcriptis proſequendum, quale per epiſtolas tracto. Ad quod quidem exequendum ſanè non ita multos reperi, qui mihi alicui eſſent adiumento, aut viam præirent, ſaltem qui hoc argumentum ex profeſſo tractare aggreſſi eſſent. Ex antiquis certè Quintilianus pleriſque in locis huic rei facit, egregius iuuentutis ſtudioſæ inſtitutor. Huc etiam multùm conduceret Seneca pater in libris Controuerſiarum, ſi eos integriores haberemus. Græci quoque Critici Dionyſius Halicarnaſſeus, Hermogenes, Longinus huic negotio ſunt vtiles, quamquam toti in variis ſermonis ideis, ſiue characteribus ſubtiliter exponendis. Nec iti-
Digitized by Google

dem ex nouis ſcriptoribus quiſquam mihi valde auxilio fuit, quamuis multi præcipuè Germani, gens laborioſa, & πολυγράφος multa de ſcholarum & iuuentutis inſtitutione, multa de methodo ſtudendi ſcripſerint. Itaque in pleriſque mihi ipſe dux fui, & quæ ex longo librorum vſu, & diutina meditatione animo conceperam, in epiſtolas retuli. At tu, erudite Coſtarde, quando ſæpius experimentum dediſti, quid in Critica poſſes, perge, fungere officio Critici in Poëtas noſtros, & alios ſcriptores, quod ſummo cum fructu faciunt Itali: adnota præcipuorum ex his virtutes, aut vitia, ſi qua ſunt, veterúmque diligentiam imitare, apud quos nullus doctrinâ paulò clarior fuit, qui non vnum, aut plures nactus ſit, qui de eo ſcriberent: vnde tot βιογράφοι extiterunt. Nec verò metuendum eſt, ne ea res vituperio tibi, fraudíve ſit. Nam de vita functis iudicare non debet eſſe inuidioſum. De Italis etiam ſcribe, quando eius gentis linguam calles. Quin etiam cùm te iudicio, & eruditione pollere Apologia tua oſtendat, potes de veterum ſcriptis vel patriâ, vel Latinâ linguâ, cuius etiam habes vſum, ſcribere. At, ſcio, in eiuſmodi ſcriptis πολυμάθεια quidem oſtentatur, facultas ve-

rò dicendi minùs, quòd iſtius generis oratio frequentibus auctorum, & illis ipſis qui examinantur, locis allatis interrumpi ſoleat, nec liberè exſpatiari poſſit, vt riuuli curſus crebris intercurrentibus lapillis tardatur. Verùm id da literarum ſtudioſis, qui inde non minimam vtilitatem conſequentur, in aliis paulò iucundioribus, & ſolutioribus argumentis vim eloquendi tuam explicaturus. Vale.

ROL. MAR. PETRO COSTARDO S.

EPISTOLA LIV.

Monet, quos auctores ediſcendos putet.

QVÆDAM ſcripta adeo ſunt præſtantia, & omnibus partibus abſoluta, vt pæne memoriter addiſci mereantur. Sic Plinius in operis ſui præfatione Ciceronis libros de officiis ediſcendos, & in manibus ſemper habendos eſſe dicit. In eo numero fuit antiquitus Poëtarum princeps Homerus, qui tum adeo familiaris erat, vt in communi ſermone paſſim homines illius verſus prouerbialiter afferrent, in ſcriptis verò etiam frequentiùs vſurparent. quod Cicero in epiſtolis ad Atticum ſæpe facit. Peruulgatum eſt de Alexandro, qui eum ſemper

expeditionum ſuarum comitem, & puluino ſubditum habuit, & de Arceſilao, qui cùm iret cubitum, aut è lecto ſurgeret, aliquid ex eo legere ſolebat, ad amaſium ire ſe dicens: Ex eo etiam ordine fuit Heſiodus, quem pueri memoriter tenebant. quod eius filio eſſe faciendum Leptam monet Tullius: fuit & Phocylides, atque alij gnomologi. Sed quoniam hoc tempore lingua Græca non eſt vulgò omnibus familiaris, ſed tantùm doctis quibuſdam, ſatis nobis erit, ſi præſtantiſſimos ex Latinis ſcriptores memoriâ teneamus. Ex quibus Terentius meo iudicio totus ediſcendus eſt, cùm propter elegantiam, tum propter reliquas, quæ in eo præſtantiſſimo Comico effulgent veneres, quod ſummus vir Eraſmus ſe feciſſe in ſcriptis teſtatum reliquit. Poëtarum etiam præcipui Virgilius, & Horatius, & ij præſertim, ex quibus multa, quæ cum moribus noſtris conueniant, depromi poſſunt, vt eſt Iuuenalis. Ex Hiſtoricis verò Salluſtius grauis ſcriptor, ac preſſus, & Tacitus, in quo ſententiæ ferè verborum numerum adæquant. denique grauiſſimos in vnoquoque genere auctores, maximè ſi ſint breues, attentè legere, & quantum fieri poteſt, ediſcere conuenit: ſi quos verò Græcos memo-

riâ complecti placet, inter alios id facere ſuadeam in aureolo libello ex Epicteti dictis ab Arriano collecto ob excellentiam doctrinæ, & breuitatem, (vnde etiam Enchiridij nomen accepit) & in Ariſtotelis Rhetoricis, in quibus materia eſt denſiſſima, & doctrina incomparabilis. Poſt hos præſtantiſſimi quique diligenter euoluendi ſunt, & ex his præclariſſima adnotanda, & excerpenda. Nam ex reliquis plerique ſunt tantùm in tranſcurſu legendi, vt de illis, ſi quando inciderit mentio, loqui poſſis; & ſi quid inſit notabile, colligas: nullus eſt enim tam malus liber, vt aiebat ſuprà memoratus Plinius, qui non aliqua ex parte proſit. Ex iis autem auctoribus, qui poſt Latinæ linguæ nitorem, aut etiam vſum perditum ſcripſerunt, ſanè pauciſſimos habemus, qui ediſci mereantur, multos, qui legi, & euolui, ſed infinitos, qui, vt eorum tantùm guſtum capias, & quid, aut quomodo ſcripſerint, cognoſcere poſſis, inſpiciendi, & leuiter attingendi ſunt. Ad te verò de his ſcripſi, vt tuum ſuper eiuſmodi iudicio iudicium exquirerem, & elicerem. Cùm enim harum rerum ſis conſultiſſimus, earumdem es iudex idoneus, præſertim cùm innumerabiles libros in illo ſeceſſu, & alto, quo

Digitized by Google

frueris otio euolueris : ex quibus præclara quæque excerpſiſti exemplo eiuſdem Plinij Maioris, qui nullum librum legit, quem non excerperet, quique Electorum commentarios CLX. confecerat. quod omnino ei faciendum eſt, qui abſolutè doctus euadere cupiat. quamuis enim dictum ſit, nos tantùm ſcire, quantum memoriâ tenemus, nulla tamen eſt tam tenax memoria, quæ credita cum fide ſeruet, & reddat. ei verò qui ſcribere quid in animo habeat, eiuſmodi commentarij ſunt planè neceſſarij, qui deinde vtiliter in locos communes, quos vocant, digerantur: ex quibus tanquam ex penu, cùm opus erit, hauriat. Valde igitur comprobo, quem in adnotando, & excerpendo ſumpſiſti laborem, vt homini literarum ſtudioſo ſummè vtilem. Quantum verò ad ſuperiora, ſi eam, quam aſſignaui, auctorum in claſſes diſtributionem calculo tuo confirmaueris, pro certa, & indubitata habere non dubitabo. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. IOANNI FRATRI S.

EPISTOLA LV.

Præfationem epico carmini addi non oportere, exemplis veterum Poëtarum docet; ſed ab argumento operis, & inuocatione numinis incipiendum eſſe.

NESCIO, frater cariſſime, quos in conſilium adhibueris, cùm poëmatis tui exordium, quod bellè habebat, immutaſti, breuem præfationem addendo contra morem epicorum Poëtarum, cùm veterum, tum nouorum, qui ſtatim ab inuocatione numinis alicuius, & propoſitione operis exordiuntur. hoc nimirum eſt meo iudicio opus ſuum non corrigere, ſed deprauare. Cùm enim Chlodouei tui principium magnificum eſſet, & altiſonum, vt poëtico verbo vtar, quatuor illi verſus in fronte poſiti, poëmatis maieſtati non ſatis conuenientes, illud quodammodo languidum reddunt, & eneruet, contra Pindari præceptum, qui ἀρχομένου ἔργου τηλαυγὲς πρόσωπον eſſe iubet. At veteres Poëtæ, vt ab Homero, & Heſiodo incipiam, ſtatim à principio ſimul cum Muſarum inuocatione ar-

gumentum operis ſui expoſuerunt, & qui longo pòſt vixit tempore Apollonius Argonautica ſua non abſimiliter inchoauit. Et Virgilius, vt ad Latinos veniam, ſic quoque Æneidem exorſus erat. nam quæ nunc comparet præfatio, prorſus indigna tam egregio poëmate (quod vnicum fortaſſe exemplum habes) non ipſius eſt auctoris, ſed Varij, & Tuccæ, qui immortale opus, quod vt imperfectum Virgilius edi vetuerat, correxerunt. Id verò ex eo manifeſtum eſt, quòd Poëtæ, & alij ſcriptores Æneidem ſemper deſignarunt illis verbis, *Arma virúmque cano.* quibus cùm aliquid deeſſe putarent illi Grammatici, (& ſanè omnibus principium iſtud claudicare videtur) inſolitâ audaciâ, & profectò non ferendâ alieno operi de ſuo leues iſtos, & nugatorios verſus addiderunt. quâ tamen licentiâ in ſupplendis verſibus imperfectis non ſunt vſi. Sed, vt reliquos Poëtas perſequar, Ouidius Metamorphoſes, Statius Thebaidem, Silius Bellum Punicum, & his multò recentior Claudianus Proſerpinæ raptum ſimiliter exorſi ſunt. quos etiam ſecuti ſunt, qui patriâ linguâ poëmata compoſuerunt. apud Italos Arioſtus, & Taſſus, apud nos Ronſardus. Quare tibi auctor ſum, vt re-

Digitized by Google

ſectis quatuor illis verſibus, qui non ſatis decere tam egregium opus videntur, vt antea, exordiaris. Cùm enim tam graues adſtipulatores habeas, aliter ſentientium iudicia contemnere debes. quorum rationes contra ipſos facere iudico. Nempe id nimis vulgare eſſe dicunt, & omnibus tritum, ideóque nouum aliquid ſuſcipiendum, ne ſemper aliorum veſtigiis inſiſtamus. At ego nouitatem reiiciendam cenſeo, nec velim auctor eſſe rei, quam à nullo grauiorum auctorum attentatam eſſe videam: quos ſi quis ſequatur, ſecurus ſit: contrà verò ſi quid inuſitatum vſurpet, in multorum reprehenſiones fortaſſe incurrat. Vale.

ROL. MAR. IOANNI FRATRI S.

Epistola LVI.

Fratrem ſuum monet, vt quos libros intra duos menſes ſcripſit obſeſſus, per otium retractet, nec carminis ſui editionem feſtinet.

PRotogenes dictus eſt Ialyſum ſub gladio pinxiſſe: quòd Demetrio rege Rhodum obſidente, ipſe non interpellatus præliis inchoatum opus omnino intermiſerit. Idem de tuo Chlodoueo, frater cariſſime,

Digitized by Google

ſime, vſurpare licet, cuius magnam partem inter arma compoſuiſſe dicêris: nempe Lutetiæ cùm obſideretur, & in Santonici littoris oppido tuto quidem, ſed tamen hoſtilibus copiis vndique cincto. Quod planè mirandum eſt, cùm pacata tempora, & otium, & liberum curis animum maximè carmina expetant, ſcilicet te tui in tantum eſſe compotem, vt nullis moleſtis occupationibus auocatus, tanquam in ſumma tranquillitate rerum, inter bellicos tumultus verſus componas: maximè cùm in eo argumento verſeris, quod vt in poëſi præcipuum, & valde difficile, ſummam curam requirit, quæ nonniſi ab animo defæcato, & ſecurò adhiberi poteſt. Quòd verò duobus menſibus quatuor libros compoſueris, id non minùs mirum videri debet. Nam maximus Poëtarum (abſit inuidia comparationi) Æneidem, quam tamen inemendatam reliquit, vndecim annorum ſpatio confeciſſe dicitur; & Statius Thebaidis ſuæ duodecim libros totidem annis abſoluit. Idcirco quamuis te totas ingenij vires contendiſſe, & in eam ſcriptionem inſumpſiſſe dicas: tamen vereor, ne quæ in ipſo calore ſcribendi placuerunt, ea cùm refrigerato inuentionis amore diligentiùs repetita quaſi le-

Digitized by Google

ctor perpendes, vt ait Quintilianus, non tam abſoluta videantur, quàm primò viſa ſunt. Omnia enim noſtra nobis dum naſcuntur, placent. Verùm cùm operi finem impoſueris, non præcipitabis editionem, certò ſcio, ſed ex Horatij conſilio in aliquot annos premes: memor quanta cum cura, & diligentia veteres poëtæ in corrigendis ſuis operibus verſati ſint, & ſuperiore ſæculo Taſſus Italus Poëta, quàm exactus & diligens fuerit: qui complures tota Italia doctos viros de ſingulis poëmatis ſui partibus conſulebat, & in eo tam ſuperſtitioſus exſtitit, vt abſolutum cùm animo non ſatisfaceret, totum denuò reformarit. Sed de his tum erit agendi locus, cùm operi tuo ſumma manus demum erit imponenda. Licèt autem bellum in cauſa ſit, vt poëmati tuo manum admoueris, & ſi diutiùs duret, fortaſſe poſſis Chlodoueum ad calcem perducere: tamen id non eſt tanti, vt bellum optandum ſit; publicæque rationes, & priuatim tuæ expoſcunt, vt hæc diſcordia inteſtina, & internecina quamprimùm ſopiatur. Vale.

Digitized by Google

ROL. MAR. NICOLAO DOLEBELLO CANONICO LINGONENSI S.

EPISTOLA LVII.

Plurimos reperiri alienorum operum interpretes, ac enarratores; qui inuentis ſuis nitantur, ac per ſe noui aliquid audeant, pauciſſimos.

CVM tu, mi Dolebelle, ſis in Ariſtotelica Philoſophia non indiligenter verſatus, in euoluendo illius vnici ſcholarum magiſtri codice, non dubito quin incideris in eorum iudicem, qui in illum paraphraſes, metaphraſes, commentarios, quæſtiones compoſuerint, aut ſub quouis alio titulo eius ſcripta illuſtrarint, cùm antiquorum, tum nouorum, ſed horum longè plurium: quorum omnium tanta eſt multitudo, vt trecentorum numerum excedat. Verùm neſcio, cùm tantam interpretum copiam videres, an idem quod mihi, in mentem tibi quoque venerit, nempe non temerè reperiri, ſed ſemper rariſſima fuiſſe ingenia, quæ aliquid inuenire, & ex ſe componere queant, nec neceſſe habeant aliis inniti, aut aliena interpretari, & explicare, cùm aliquid ſcribere velint. Non enim vulgò

Digitized by Google

naſcuntur homines Homero ſimiles, qui poëma tam egregium ante inuentas artes, nullo præeunte quem ſequeretur, ſuo marte compoſuit: non Platoni, qui multa præclara in Philoſophia inuenit. At in ambos innumerabiles ſcripſerunt, ſatis habentes, ſi eorum præſtantiam aliis oſtenderent, & quæ minùs dilucida, aut intellectu facilia eſſent, fuſiùs explanarent. nec alij fere ſcriptores nunc prodeunt, quàm qui priores interpretantur, illorum tantùm veſtigiis inſiſtere contenti: ſed nullus ex antiquis auctoribus plures interpretes habuit, quàm Ariſtoteles, vir, vti iudicat Cicero, longè omnibus præſtans (Platone ſemper excepto) & ingenio, & diligentiâ, eo quòd ſenſus ſuos in multis obſcurâ caligine inuoluit, & de difficillimis quæſtionibus quid ſentiret, incertum reliquit, vt ſi illâ vrgeretur, hac elabi poſſet, & ſermonem tanta breuitate conſtrinxit, vt in pleriſque Delio natatore, hoc eſt, interpretis operâ indigeat: qui ſi dilucidiùs ſcripſiſſet, nihil iſti fortaſſe quod ſcriberent, habuiſſent. Is cùm ſolus vnà cum Platone ex tanta Philoſophorum turba nobis ſuperſit, quòd vtriuſque, credo, opiniones aliis tolerabiliores in phyſicis, & moralibus, magíſque communes ac vitæ

accommodatæ viderentur, & ſocium iamdiu ex regno ſcholarum eiecerit, quòd eo μεθοδικώτερον ſcripſiſſet: non mirum ſi tot interpretes nactus ſit, præſertim cùm multos per annos nullæ aliæ artes præter Philoſophiam colerentur. Eſt & alius ſcriptor preſſis veſtigiis Ariſtotelem ſequens, illíque tanquam fundamento innitens, qui non pauciores, opinor, enarratores habuit, Petrus Lombardus, ob hoc nobilitatus, quòd primus Theologiam antea inordinatam & indigeſtam, in methodum redegit, & ad certa capita reuocauit. In eum infiniti Theologi, ex iis qui Scholaſtici vocantur, gens otio magis quàm ſtudio abundans, cùm in pleriſque hominibus ſit ingens ſcribendi cacoëthes, quæſtiones compoſuerunt, & libros ediderunt, in quibus fere nihil nouum, ſed omnia protrita & ab aliis inculcata afferunt, mutatis tantùm quibuſdam & interpolatis, vt nouus liber videatur. Hæc igitur liquidò oſtendunt paucos ſemper fuiſſe primarios auctores, qui inueniendo, & ex ſe aliquid componendo aliis præiuerint, tanquam agminis duces, viros nimirum,

——— *queis arte benigna,*
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Digitized by Google

Reliquos verò velut vmbras volitare, qui ſcilicet ſcriptis nomen ſuum famæ inſerere volentes, ad aliena opera recurrunt, in quibus, ſi quod ingenium, doctrinámve habeant, oſtentent. Cuius rei non alia eſt cauſa, quàm quòd ſcientias multo quidem labore & ſtudio comparare poſſumus: ingenium verò & iudicium, quæ partes præcipuè in ſcribendo valent, natura fingit, quamquam cura, & ars aliqua ex parte excolit. Vt enim hoc addam, magnorum virorum, qui in Philoſophia, & in Mathematicis varia adinuenerunt, nomina omnes tenemus, quoniam non adeò multi ſunt: at qui eorum veſtigia ſecuti aliquid inuentis addiderunt, aut interpretum functi ſunt officio, fama obſcura recondit, vt ait Virgilius. Principes item in vnoquoque genere, in poëſi Homerus, & idem Virgilius: in eloquentia Demoſthenes, & Cicero: in hiſtoria Thucydides, & Liuius, & his proximi nulli non noti ſunt: at qui in eos, & de iis ſcripſerunt, quoniam ſunt innumeri, vulgus ignorat, & doctorum dumtaxat ſunt in notitia. Et etiamnum videre eſt multos, qui varias ſcientias calleant, doctos aliorum interpretes: at quotumquemque reperias in Philoſophia inſignem, qui aliquid aliis in-

dictum inuenerit? quotumquemque diſertum Oratorem, aut Hiſtoricum? His quæ hîc tractaui, te vtique aſſenſurum, quo es ingenio, ac doctrinâ, mi Dolebelle, non dubito, adſtipulatore etiam fratre meo, qui tecum apud eximium illum iuuenem Ducem Richelium agit: quem poſteritas fortaſſe etiam inter eos repoſitura eſt, qui ingenio excelluerint, nec aliorum inuentis incumbere, quod ſæpius miſerum eſt, vt nomen ſuum memoriæ proderent, neceſſe habuerint. Sed hæc ſatis ſint. Vale.

ROL. MAR. IOANNI VERIVSIO THEOLOGO S.

Epistola LVIII.

Theologis Græci, Latiníque ſermonis, & liberalium artium notitiam conuenire.

CVm te video, mi Veriuſi, humaniores literas cum arduis Theologiæ ſtudiis coniunxiſſe, & illius ſcientiarum reginæ auſteritatem Muſarum ſuauitate condiiſſe, non poſſum noſtrorum temporum felicitati non gratulari: quibus cernere in Theologis contingit, quod vix fieri poſſe renaſcentibus paſſim liberalibus artibus

ſperabant ſummi viri Eraſmus, Viues, Budæus, & alij literarum inſtauratores. exoriente enim illa amœniorum ſtudiorum luce, in retinenda tamen barbarie tantam in pleriſque Theologis ineruditis, & ſuperſtitioſis pertinaciam cernebant, vt nunquam huc deſcenſuros putarent: cùm repertis frugibus glande adhuc veſci miſeri ſuſtinerent, & ex linguarum, ac politioris literaturæ cognitione magnum religioni impendere periculum prædicarent. At nihil tale veriti ſunt ab humanitate, & philologia priſci illi Antiſtites, iidem in omni literarum genere conſummatiſſimi, & vitæ ſanctitate conſpicui, inter Græcos Origenes, Baſilius, Gregorius, Chryſoſtomus: inter Latinos Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Hi tantum abeſt, vt artes ingenuas ſacris literis obeſſe putarent, vt contrà qui his adminiculis, & velut anſis careret, ei ad Theologiam aditum præcluderent: Deus bone, quantùm ineptis illis è ſchola Theologis abſimiles! qui putabant germanum Philoſophum, & Theologum ἐγκυκλίοις diſciplinis opus non habere, ſed omni alia cognitione vacuum eſſe debere. Ingens profectò fuit, & exitiabilis Italiæ, reliquiſque Europæ partibus à Gothis illata

clades, quæ non ſolùm tam florens, támque amplum imperium euerterit, ſed etiam incenſis bibliothecis tam atrox literis bellum intulerit, vt poſt Boëthium, qui vltimus eruditorum dictus eſt, per mille annos vix vnus, aut alter certè apud Latinos commemoretur, qui aliquod in liberali doctrina nomen habuerit. In quo interregno, ac velut literarum deliquio ſcientiæ imperium penes barbaros Arabes per ampliùs ſexcentos annos fuit: quorum beneficio ſcientiarum principes habuimus qualitercunque conuerſos, donec vir amœni ingenij, & pluſquam illa tempora ferebant, doctus Franciſcus Petrarcha abſterſo diutino ex bibliothecis puluere reditûs literarum ſpem aliquam faceret. quas aliquantò pòſt Græci Othomanicam tyrannidem fugientes, in Italiam, & mox in reliquam Europam reduxerunt. His enim magna ex parte accepta ferri debet liberalium artium inſtauratio. nam ſine Græcis literis Latinæ etiamnum iacerent, nec reſurgendi impetum cepiſſent. Nunc igitur quoniam temporum conditio eſt immutata, nec iam Theologo crimen eſt, ſed laus potiùs liberalibus ſtudiis imbui, philologiámque Philoſophiæ, & Theologiæ conciliare, perge

ſublimes illas ſcientias cum amœnioribus literis coniungere. vt enim peritus es artifex, profana, &c, vt vocant, ſæcularia ſummi Dei gloriæ, cui omnia ancillari debent, vt inſeruiant, facies. Vale.

ROLANDI MARESII
IN
GABRIELEM NAVDÆVM
EPICEDION.

NAVDÆVS *patriæ tangebat limina caræ*
Pæne redux, miſerũ cùm fera Parca rapit:
Plurima poſt exhauſta maris, terræque pericla,
Securus portum cùm tetigiſſe putat.
Grandibus Arctoo ditatus ab axe redibat
Chriſtinæ donis, quæ referebat ouans.
Qui ſibi doctrinâ deuinxerat antè, fidéque
Purpureos Proceres, officiíſque ſuis.
O nimiùm fœlix! Nymphæ placuiſſe potenti,
Et potuit tantis qui placuiſſe viris.
Magnum heroinæ tantum meruiſſe fauorem,
Magnum eſt iudicium promeruiſſe graue:
Tam procul à patria magnum tellure vocari,
Reginæ aſpectu, colloquióque frui.

Digitized by Google

Sed quæ vir ſtudiis celebris non dignus habere
Præmia, vel quo non dignus honore fuit?
Nemo illo meliùs digeſta volumina ſciuit
Ordine per claſſes quæque locare ſuas.
At labor haud paruus librorum nomina noſſe,
Nec digeſta honor eſt bibliotheca leuis.
Cæſar Varroni munus mandauerat iſtud,
Vel doctum potuit quod decuiſſe virum.
Suſcipit hanc etiam curam mandante Meliſſus
Auguſto, nec ſe dedecuiſſe putat.
Ille quoque eloquio pollens, qui pulſus Athenis,
Digeſsit libros ô Ptolemæe tuos.
At Naudæus ſcriptores non in cute tantùm
Nouerat, aut titulis, indicibúſque ſuis.
Gloria namque leuis ſolet hæc, ſi eſt ſola, videri,
Quam iure attribuat bibliopola ſibi.
Aſt aliorum noſcendis clareſcere libris,
Aut diſponendis non putat eſſe ſatis.
Sed propriis etiam ſcriptis innotuit orbi,
Quæ quiſque in manibus doctus habere cupit.
Prô dolor! heu! ſed obit caris defletus amicis,
Quos operâ iuuit, conſilióque bono.
Qui, ſi fortè libros, ſeu aliud quodcunq; rogares,
Promptus, & in cunctos officioſus erat.
Mors poſt luſtra decem, tamen immatura videtur,
Funere quæ indigno merſit acerba virum.
Nam qui, dum vixit, ſtudiis fuit vtilis, ætas
Cui diuturna foret, dignior ille fuit.

Digitized by Google

Sed quid ceſſatis, vos qui coluiſtis amici?
Cur non defuncto carmina mœſta datis?
Laudibus hunc meritis ſublimem ad ſidera ferte,
Et ſertis tumulum cingite perpetuis.
Illi ego deſuetos impendo in funera verſus
Vltimus ingenio, primus amore pio.
Inferias etiam tenues, & munera libo,
Inſcribóque breues has ſuper oſſa notas.
Hîc ſitus eſt dura Naudæus morte peremptus,
Dum redit ad patrios auctus honore lares.

Digitized by Google

AMICORVM AD ROL. MARESIVM EPISTOLÆ.

V. C. ROLANDO MARESIO NICOLAVS HEINSIVS S.

MIRVM quàm accepta mihi fuerit nupera illa compellatio tua, Vir clariſſime. Ex ea enim deprehendi affectum tuum vltrò mihi conciliatum, quem ſperare fruſtra votis ambitioſis videbar. Amplector igitur libens atque exoſculor tam obuiam humanitatem. quòd præueniſti tamen me in hoc officio moleſtè, vt par eſt, fero. Cæterùm cùm eo ſis candore, vt inutiles etiam nec profuturas amicitias acquiras, vir omnium amore digniſſimus, magnum iſtis virtutibus tuis pretium à me poni volo intelligas. Non com-

Digitized by Google

mittam certè, vt vllum in me deſideres obſequium, quo propiùs coniungi tibi queam. Si nitore atque elegantiâ epiſtolarum certare tecum non licet (quis enim certet?) at conſtantiſſimo affectui licebit. In cæteris herbam porrigemus: hîc aſpirabimus ad palmam. Bene verò ſit Menagio noſtro: cui hoc μέγα τεκμήριον acceptum refero. Nihil illo mei amantius eſt: quod non nunc primùm deprehendo. Vide tamen ne imponat tibi; vt nimius eſt in amicis æſtimandis. Quæ de peregrinationis fructu ac vtilitate grauiter ornatéque à te differuntur, ipſâ peregrinatione iucundiora mihi viſa ſunt. Quid expectas tamen vt reſpondeam? ſubduco me certamini, nec extemporaneæ confabulationis terminos excedo. Tuum ac Balzacij noſtri hoc regnum eſt, qui poſteritati, non amicis, ſcribitis. Ego verò, Vir clariſſime, ex nupera peregrinatione id potiſſimùm vtilitatis conſecutus videor; quòd amicos conciliarim mihi in externis oris & multos, & præſtantiſſimos. quos inter principem ſi tibi locum deferam, in alios nequaquam ſim iniurius. Rectè profectò arbitramur nos Bataui neceſſarias nobis peregrinationes, quorum mores plerumque multùm trahunt à

craſſo illo cælo, in quo naſcimur: vobis hæc ſuperflua, qui cultam indolem & elegantiam domeſticam in patrimonio numeratis. Si quid hîc proficimus, id ab inuitâ Naturâ quodammodo extorquemus: vobis ſponte domi naſcitur. Nam Academiam noſtram viris eruditis non malè inſtructam vt fateamur, ita negare non poſſumus, vobis plurimùm hinc deberi, qui præcipuam illi famam in Scaligero contuliſtis. Sed cùm publicè etiam grati hæc agnoſcamus, priuatim repetita faſtidium haud dubiè paritura tibi ſint. Finem igitur facio. Ea tamen lege, vt Poëtæ ſummo fratri tuo me commendes. Vale. Lugd. Batauorum, CIƆIƆCXLIX. A. D. IV. Kal. Ian.

NICOLAVS HEINSIVS
ROLANDO MARESIO V. CL. S. P. D.

POTISSIMA æſtatis huius pars foris exacta mihi, Vir clariſſime. Domum reuerſus, poſt Flandriam, vicináſque perluſtratas prouincias, epiſtolam tuam offendi, gratam ſanè illam & acceptam, ſic vt nihil magis. In ea quòd antiquarios noſtros, & obſoleta paſſim verba captantes reprehendis, placet miris modis argumentum. Afflauit

iampridem labes illa, ceu peſtilenti ſidere, non ſolùm eruditorum vulgus, ſed plurimos etiam præcipuóſque rei literariæ antiſtites. Quorum numero Iuſtus Lipſius rectè à te accenſetur: vir, vt ſubacti limatique in cæteris iudicij & verè magnus, ita indulgens hîc nimium ſibi, ac exiſtimationis ſuæ plus æquo ſecurus. Nec defuerunt tamen illi ſuæ veneres. Habet neſcio quid, quo lectorem trahat, & quod prorſus improbare non poſſis. vt non tam illi ſuccenſeam, quàm ineptiſſimis mortalibus, qui imitandum ſibi illum proponunt, ídque tam præpoſterè, vt vitia eius exprimant plerumque, virtutes non aſſequantur. Imitatus neminem Lipſius, ac proinde nemini imitandus. Hanc ipſe legem ſeruis iſtis animalibus poſuiſſe videtur. Sequuntur tamen inuitum, & quodammodo obluctantem exprimunt. quaſi deſint inter antiquos, quos ſequaris, & quidem longè tutiùs. Ita exiſtimo, Mareſi politiſſime, Genium eſſe quendam, ſiue bonum illum, ſiue malum, ſine quo victura non ſcribantur. Multos æternitati nugæ nequitiæque conſecrarunt, cùm ex ſeriis ſcriptoribus plurimi nobis erepti ſint: multos etiam peruerſum dicendi genus, & quod ſani nemo iudicij ve-

lit

lit imitari. Quàm multi interciderunt temporis iniuriâ, qui ſupereſſe merebantur! quàm multi ſuperſunt, quos intercidiſſe præſtaret! Preſſit, premétque ſemper hoc fatum miſeros ſcriptores, vt cum lectorum captu confligentur. quid quòd iudicia illa ne conſtant quidem ſibi, (vt in humanis rebus diuturni nihil eſt) & cum hoc vniuerſo quaſi circumuoluuntur. Floret quandoque orationis nitor & in pretio eſt, quandoque iacet ac contemnitur. Iulij & Auguſti æuo laxum flaccidúmque dictionis probatum genus. pòſt abrupta argutáque ſcriptione capi cœperunt. & ſi dicendum quod ſentio, primi Declamatores eloquentiam Romanam, maſculam illam viuidámque, perdiderunt, dum non tam bene quiduis, quàm ſuccinctè, acutéque proferre conantur. Cogor igitur hîc à te diſſentire, mi Mareſi, qui ad Traiani Imperatoris vſque tempora Latini eloquij limites protendas: tam paucos poſt Auguſti mortem inuenire eſt, qui tersè nitidéque ſcripſerint, ſi Iuniorem Plinium excipias. Sed ne tam altè hæc repetantur, ſæculo ſuperiori apud Italos flagitium habebatur, Ciceronem non ſequi. qui nullos nunc aut pauciſſimos imitatores inuenit.

Apuleium peſſimum Latinitatis auctorem quis legebat? at omnium nunc in manibus eſt. erit, cùm rurſus negligetur. Cæterùm, vt illos non ferendos exiſtimo, qui malos imitantur ſcriptores, cùm bonos poſſint: ita præter ordinem etiam fieri nonnunquam contendo, vt bonis quantumuis auctoribus ſeruilem prorſus in modum quidam adhæreant, in illorum verba iurent, nihil auſint promere, quod ab illis antè dictum non ſit, illorum denique ore loqui malint, quàm ſuo. Formandus quidem mihi videtur dictionis character ex tribus quatuórve æui optimi ſcriptoribus, quos vbi in ſuccum ſanguinémque conuertiſti, naturæ tuæ non alienæ inſtinctum ſequaris neceſſe eſt: ita tamen, vt neque nimiùm luxurieris, nec abruptæ iſti breuitati plus æquo ſtudeas, ſed eum conſiſtas intra terminum, quem ex optimis omnes, non vnus, ſibi præſcripſerunt. Quis tam abiectæ indolis eſt, vt ſeruire velit, cùm libertate frui poſſit? Cùm eæ tamen facultates domi non ſint, vt iuris tui poſſis viuere, rectiùs omnino feceris, ſi generoſum optimóque loco natum quæras herum, quàm ſi plebeio homini operam addicas. Vilis mediocrium ſcriptorum imitatio eſt,

cùm ſupra illum non poſſis emergere, quem imitandum propoſuiſti. Sic ab ingeniis quibuſdam non contemnendis ſui deſperatio expreſſit, vt Claudianum quàm Virgilium æmulari mallent. Habes hîc ſententiam meam, vir præſtantiſſime, non quam ſecutus ipſe ſum, ſed quam ſequerer, ſi eloquentiæ ſtuderem, & cuius tute leges omnes feliciſſimè expreſſiſti in eleganti, cui nunc reſpondeo, epiſtola. A Lipſio quòd diſſentis, nihil periculi eſt. modeſtè enim id facis, vt offendi non poſſet ipſe, ſi viueret. Memoriam ego tanti viri ſanctè veneror. nec negarim tamen, magna illi ex parte labem eam deberi, quam tu Belgis noſtris non immeritò adſcribis. Quod niſi ὁ θαυμάσιος Scaliger iuuentuti noſtræ peſſum eunti ſalubribus ſuccurriſſet monitis, in Lipſij locum à Curatoribus huius Academiæ opportunè ſubrogatus, futurum vix erat, vt tantam tot præclarorum ingeniorum, quæ annis quinquaginta proximis in Batauia noſtra eluxerunt, meſſem mirarentur exteri. Nec labes tamen illa ſolos Belgas & Germanos, ſed Gallos etiam veſtros infeciſſe videri poſſit. Noui virum doctum, popularem veſtrum, quem nonnulli ex vobis Solem Galliæ ſuæ

Digitized by Google

appellatis, tam impolitè, ſordidè, negligenter ſcribentem, vt voces non modò Accianas ac Pacuuianas, pro vnionibus & gemmis paſſim oſtentet, ſed Tertulliani, Arnobij, ceteráſque infimi æui fæces cum iis tam frequenter confundat commiſceátque, vt dictio eius chaos quoddam omnium ſæculorum appellari iure poſſit. Accedunt huc verboſa illa & non ferenda loquacitas, continuæque illorum, quæ abundè iam dicta erant, repetitiones, quæ lectorem obtundunt potiùs enecántque, quàm fatigant, vt Echo ſui ipſius mera videatur. Atque hunc tandem toties iteratæ πολυλογίας fructum fert, dum nimis anxime cupit intelligi, vt ne intelligatur, dúmque omnia exactè feciſſe ſibi viſus eſt, mera faciat mapalia. Hoc felicior certè Lipſius, quòd Æternitatis Genium propitium expertus eſt, etiam cùm malè ſcriberet. alterum totâ curâ id credas agere, vt vix nata pereant, quæ ſcribat. tam negligens eſt omnis elegantiæ. Sed nimius iam ſum, & alienæ garrulitatis notam mihi inuro. ferendum tamen hoc tibi, quia prouocaſti. Satis ſupérque, puto, hac epiſtola expertus es, quàm non impunè ad literas ſcribendas inuiter. Vale, clariſſime Mareſi, cum fratre tuo, illibato

illo flore Gallicæ poëſios, méque, vt hactenus, affectu tuo complecti perge. Lugduni Batauor. A. D. XIV. Kal. Septembr. An. nati Chriſti CIↃIↃCXLIX. Gregor. Lituris, pro comitate tua ignoſces. Vrgebat enim tabellarius, vt non vacaret epiſtolam deſcribere: & metuebam, ne mihi ſuccenſeres, ſi reſponſionem diutiùs protraherem. Iterum vale.

CL. V. ROLANDO MARESIO DIONYSIVS PETAVIVS S. I.

ITA prorſus eſt, vt ſcribis, erudite Mareſi, neque valde mirari attinet; perpaucos ætatis huius homines in vtroque doctrinæ genere eſſe præſtantes, tum eo, quod elegantibus ac politis artibus conſtat; velut Grammaticâ; quam Criticem Polybius appellat, & variarum linguarum ſcientiâ: tum nobiliore altero, cuius regnum Philoſophia, & Theologia inter ſe partitum obtinent. Atqui ſumma eſt, inquis, amborum conſenſio, & vſu ſecum, ac conſuetudine copulantur; vt à ſe mutuò diuelli, ac diſſociari neutrius interſit. Verè id quidem à te commemoratum arbitror. Sed cur mirum videri non debeat, cauſæ ſunt

admodum multæ. è quibus vulgares, & obuiæ ſunt iſtæ; amplitudo ſingularum, ac propemodum infinitas; breue ſpatium ætatis; neceſſarij ad otium ſubſidij, reíque familiaris anguſtia; corporis imbecillitas; turbulenta tempora, & ſtudiis inimica pacis; complura id genus alia, quæ ingenij retundunt, & hebetant aciem, ardorémque reſtinguunt. Sed eſt vna reconditior adhuc, & ſolis alumnis nota Chriſtianæ ſapientiæ; quæ ex ſummi, & hominum amantiſſimi creatoris prouidentiâ petitur. quæ quidem, ſimiliter ac terrarum per diuerſas regiones indolem, & vbertatem; ſic animorum procliuitatem, captúmque mirabili varietate diſpenſat, vt non promiſcuam omnibus omnium copiam indulgeat. De huiuſmodi diſſimilitudine locorum præclarè hoc alicubi Chryſoſtomus; Deum certarum rerum prouentum quibuſdam dediſſe terris, negaſſe ceterarum: ac viciſſim quod his detraxit, aliis attribuiſſe: ne contenta ſuis opibus, & nullius egens aliqua, exterorum contemptum incolis ſuis afferret: atque vt alterna illa copiarum egeſtas, & compenſatio omnes inter ſe conciliatos, & pacatos haberet: ex quo longinquæ peregrinationes, commeationéſque gentium,

& commercia terra maríque negotiantium: quibus mutua generis humani caritas, & ſocietas alitur.

Licet iſtud ipſum ad ingenuo dignas homine diſciplinas transferre. Nam alios præſtare aliis artibus, & inuentis voluit Deus; nec ab vno, tanquam communi fonte, quæ ſcire cuperent, haurire ſingulos: ne ſe ille arrogantiùs efferret, atque inter homines cuiuſdam principatum diuinitatis aſſumeret. Vide, amabo te, quàm multi ſint in vna quapiam etiam inferiorum artium, qui, quòd multis anteferri ſe vident, infra ſe poſitos omnes deſpiciunt, próque nihilo ducunt. Eſt in hiſtoriis fuiſſe Medicum neſcio quem: Menecratem, opinor, vocabant; qui cùm ex profeſſione hac aliquantùm & ad quæſtum, & ad nominis gloriam profeciſſet, amore, opinionéque ſui miſerè perditus, Deum ſe appellauit ipſe, & appellari ab omnibus voluit. credo quòd vitæ necíſque, itidem vt Deus eſt, arbiter haberi cuperet. Quid in reliquis ſtudiis? Duo epiſtola tua commemorauit, vnum Grammaticorum, ſiue Criticorum: alterum Philoſophorum. Nam de Theologis εὔφημά μοι κείσθω. Ergo vt vtroſque paucis perſtringam; ſcis priorum po-

ſtremis his ſæculis duobus quanta vilitas fuerit: in pleriſque verò quæ animorum feritas, & immanitas: quanta in eorum libris libido rixandi; quanta ſtili petulantia; quàm ſæpe paruis de rebus, de litterulis, ac voculis internecina orta ſint odia, & certamina: tanquam de ſalute patriæ, déque capite ſuo, & ciuium omnium agatur.

De Philoſophis nihil ad hoc teſtimonium addi poteſt, quod in eâ, quæ eſt ad Romanos epiſtolâ grauiſſimum, ac veriſſimum dixit Apoſtolus. vbi poſtquam illos in omni doctrinarum genere perfectos extitiſſe docuit, eóque perueniſſe, vt ex intima rerum creatarum contemplatione ad creatoris ſe cognitionem attollerent; tandem ipſis refert ſuam fuiſſe fraudi excellentem, & propè diuinam ſcientiam: quâ elati & inflati in horrendam cæcitatem prolapſi ſunt. *Quoniam cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Verùm ne longiùs in iſtis eruditorum perſequendis ruinis ſermonem protraham, & vt eò me reuocem, vnde ſum ad illa delapſus; non alia mihi viſa cauſa veriſimi-

lior eſt, propter quam Deus, cuius vnius nutu infima quæque, præſertim humana, gubernantur, terminis quibuſdam definiri voluit ingeniorum modulum, atque captum: vt aliorum egentes operâ, viciſſim & ipſi de ſuâ libenter accommodent: nec ſe ſolos αὐταρ́κεις, & fortunatos exiſtiment.

Atque hæc bene perſpecta, & conſiderata ratio id quidem poteſt, ac debet efficere, vt literarum cupidi in omnibus diſciplinis excellere ſe poſſe diffidant; nec huius rei gratiâ nimiùm doleant: non autem vt certo delecto genere, in quo habitent, & præſtare ſtudeant, non ex ceteris illius, quam arripuerint, adiumenta vel ornamenta conquirant. Scitum illud eſt apud Xenophontem Socratis; non omnes omnibus perfectè diſcendas & exhauriendas eſſe artes: ſed tantùm de ſingulis capiendum, quantum neceſſe videbitur. Quod ſi fieret, plus eſſet eruditionis in pleriſque, ac perturbationis, & moleſtiæ minus. Hoc igitur ſequantur qui bene docti eſſe cupiunt, & vnam de cunctis amplectantur ſcientiam, in qua ſedulam & præcipuam operam collocent: ex aliis verò, &, quoad fieri poteſt, vniuerſis, tantum deriuent, ac deguſtent, quantum ſa-

tis ſit ad excolendam, illuſtrandámque primariam. Ita fieri poterit vti compos omnium ſit vnus: qui quidem ſobriè, tanquam vino, ſic illarum cognitione vti velit ad ſalubritatem, non ad ingenij oſtentationem, & iactantiam. Tum illa verò epiſtolæ tuæ querela præcidetur; quæ arctiſſimo inter ſe nexu colligatas, & fœderatas artes diſtrahi non æquo fert animo; & ad priſtinum orbem reuocari iubet; vti mutuo ſibi emolumento, & ſplendori eſſe pergant. Tunc & boni Philoſophi, non mali Grammatici; & hi viciſſim, ſi id curent, Philoſophi probabiles eſſe poterunt: quales & olim fuiſſe, tibi aſſentior; & hoc tempore ſi me audierint, non deſpero fore. Nec de Philoſophiâ duntaxat ita ſentio; ſed etiam de peruagatâ in ſcholis diuinarum rerum ſcientiâ: cui & ipſi plurimum ex humanitatis ſtudiorum commercio adiumenti comparare licet; præſertim ex Grammaticâ: ſaltem vt in rebus ſuis explicandis deterſâ barbarie, condîtam nitore aliquo ſermonis orationem afferat. Quanquam non is ego ſum, qui inconcinnè, ac ſubruſticè loquentem Theologiam, deridendam, vel damnandam omnino cenſeam: quod nonnulli faſtidioſi, ac delicati ſtomachi faciunt:

Digitized by Google

Et quoniam meum tractandæ illius inſtitutum commendabat epiſtola tua, idque placere ſibi ſignificabat, quòd in Theologicis exponendis dogmatibus ſermonis offenſionem vitare ſtuduiſſem, paululùm hîc immorari volo, ac tibi illos excuſare munditiæ in loquendo negligentes, & eorum apud te cauſam agere.

Ac Latinitatis quidem in ſcribendo puræ, elegantíſque copia quàm non paratu facilis ſit, nemo te meliùs exiſtimare poteſt: qui & in eo multùm elaboraſti, & laboris fructum hac ætate ſingularem es aſſecutus. Illud verò cùm per ſeſe, & in omni genere argumenti ſpiſſum operoſúmque ſit, tum multò difficilius eſt, cùm obſcuris, nec politæ antiquitati cognitis in rebus diſputandis adhibetur. Quod equidem duabus de cauſis euenire arbitror. Altera eſt, quòd eodem tempore in duo, & quidem genere diſſimilia, ſcribentis animum diuidi neceſſe eſt: cùm & rerum ſubtiliſſimarum intricatas notiones euoluere; & quibus eas verbis ornet, ac veſtiat, cogitare interim oporteat. Altera eſt cauſa inferioris ætatis, & noſtræ propria: quòd ſpinoſæ, ac perplexæ commentationes illæ, in quibus enodandis defuiſſe noſtris Lati-

Digitized by Google

næ cultum dictionis docti homines queruntur, nouæ ſunt, & priſcis illis Romanæ concinnitatis auctoribus inuſitatæ, ac propterea nullo ab iis ornatu ſermonis expolitæ. Ita fit vt cùm viuere iamdudum Quiritium lingua deſierit: nec aliunde, quàm ex illorum monimentis exquiſitarum vocum, & locutionum copia ſuppetat, hoc deſtituta præſidio noſtrorum induſtria nihil dignum vetere opulentia poſſit expromere. Quo minus iraſci conuenit acutis illis, & ſollertibus viris; qui cùm philoſophicas, & theologicas quæſtiones enucleare inſtituiſſent, ita ſe penitus in earum contemplationem infixerunt, vt omni cura elocutionis abiecta parum Latinè ſint locuti. Quos enim in talibus ediſſerendis adhibere magiſtros ex eruditâ antiquitate potuerunt? aut quibus tandem vocibus illa declararent, quorum nullum iſtorum in libris veſtigium relictum cernerent? Itaque neceſſitatem verterunt in legem, & inuenta, cogitatáque ſua rudi, & incompoſito ſtilò ſic inſueuêre proloqui, vt iam Philoſophorum, & Scholaſticorum more ſermocinari, ſit idem quod barbarè, opicéque dicere. Atqui fuit aliquando tempus, cùm Scholaſtici nomen, &, quod ab eo deſte-

Digitized by Google

xum eſt, Scholaſticè loqui, in præcipua docti & elegantis ſermonis laude poneretur. Nam & Scholaſticum appellare mos fuit eruditum, & in bonarum artium diſciplinis exercitatum hominem: & Scholaſticè dicere, vel ſcribere idipſum erat quod ex arte, præceptíſque Rhetorum affabrè factam orationem contexere. Nunc mutata ſunt tempora, cúmque his vſus, & conſuetudo loquendi. Quod arbitror moderatè ferendum vobis eſſe lepôris, & vrbanitatis amatoribus, ac cum Latinæ facultatis inopia compenſandam tot acutè inuentorum ſollertiam. Quanquam non ad omnes generis iſtius, & ſectæ Theologos querela veſtra pertinet. Nam aliqui inter eos extiterunt, ſi minùs, quàm vos, facundi, & ornati, non tamen putidi, ac ſatis commodè, boníſque verbis diuinis de rebus explicantes. Quis autem amplius aliquid ab illis requirat? Niſi fortè dicendi veneres, & oratorios calamiſtros diſciplinæ vtriuſque natura deſiderat.

Verùm de hoc argumento non eſt propoſitum hîc agere: quod in Prolegomenis tomi primi theologicorum dogmatum cumulatè præſtiti: vbi illud expoſui, quodnam ſit theologicis quæſtionibus tradendis

accommodatum dictionis genus; & cuiuſmodi in illis conſcribendis ſim ipſe perſecutus. Cuius ad extremum ſumma hæc eſt confecta: neque turpiter, ac non Latinè loquentem decere eſſe Theologum; vt de Philoſopho modò taceam: neque tamen oratorio illo fuco, & pigmentis pueriliter excultum. Quod decôri, & ad vſum congruentis ſermonis temperamentum cùm eſſem meis illis in dogmatibus exprimere conatus, inuentus eſt tamen ex illa fæce Armacanorum Theologorum, cui noſtra hæc in Latinè ſcribendo cautio ingenua, vt opinor, & neceſſaria diſpliceret; ac mihi quòd nimis diſertus, &, vt interpretabatur, Ciceronianus eſſe mallem, quàm trito, inueteratóque more inamœnus, & incomptus, probro verteret. Adeò difficile eſt ſatisfacere omnibus, & infectum, inolitúmque non minùs animis, immò multò his magis, quàm corporibus, morbum, & vitium eluere. Ego verò aſpernari leuiſſimos homines, & eorum conuiciis nihil moueri quotidie condiſco: præſertim in illis, quæ tu cùm tanti facias, & ab ea, quam moroſus iſte vituperauit, parte commendes, ineptus ſim, ſi priori illi meo ſubſcriptione corroborato tuâ obſcuri, & igno-

ti theriacopolæ iudicium anteponam. Vale, méque, vti facere inſtituiſti, amare perge.

A MONSIEVR DES MARES.

MONSIEVR,

Ie me flaterois du iugement que vous faites de moy par la lettre Latine dont il vous a pleu m'honorer, ſçachant de quel poids ſont parmy les ſçauans les auis que vous ſuiuez, & les faueurs qui partent de voſtre main, à cauſe de la parfaite connoiſſance que vous poſſedeZ des bonnes choſes & des belles lettres, & de la rigueur que vous gardez en vos iugemens; ſi ie ne conſiderois que la bonté d'vn riche naturel ſe laiſſe ſurprendre, lors qu'elle veut faire vne nouuelle amitié. Ie n'ay pas l'honneur de vous eſtre conneu en perſonne, quoy que mon nom ſoit venu iuſqu'à vous : de ſorte qu'il vous a eſté loiſible de former ſur le bruit commun, vne idée, qui ait pû vous ſatisfaire. Ie prendray pour vn modele de ce que ie dois ſuiure, les regles qu'il vous a pleu me marquer par voſtre lettre : & profiteray des autres qui ſont éparſes dans ce corps que vous m'aueZ enuoyé : où i'admire également la netteté de la penſée, &

celle de l'expreſſion, auec le charme ſecret qui accompagne chacune de vos lettres. Il attire vers vous l'amour de tous, & le mien particulierement, qui ſuis,

MONSIEVR,

Voſtre tres-humble & obeïſſant ſeruiteur MARCA E. de Conſerans.

A S. Hierome de la Murte prés Barcelone, ce 27. de Mars 1651.

IOHAN. FREDERICVS GRONOVIVS ROLANDO MARESIO S. P. D.

QVAS nonis Octobribus dederas, eruditiſſime Mareſi, a. d. pridie nonas Martias huius anni demum accepi: quas autem ante complures annos dediſſe ſcribis, earum ne odos quidem ad me peruenit: vt rectè colligis ex eo, quòd non reſponderim. Ego à quoquam, non dico literis dedito, ſed probo tantùm & frugi homine de amore mutuo appellatus vt cunctarer? vt ſupinus reticerem? Nunquam eâ ſuperbiâ fui; quin potiùs, ſi quando id accidit, occupatum me piget, & quaſi peccarim pigritiâ, contendere ſoleo, vt, quantum tempore

pore vincor, tantum reddendo affectu obſequióque exſuperem, reſarciámque quod ceſſatum eſt. Id quod rebus & experiundo te percipere, quàm verborum meorum lenocinio credere malo. Libellum tuum gratiſſimum habeo munus, & ſumma cum voluptate percurri. Atque vtinam ſint multi, qui tam ſanis conſiliis obtemperare in animum inducant. Nam cùm tot ſint Academiæ, ſcholæ, collegia, tot millia iuuentutis partim à parentibus, partim publicè, ſumptu liberaliter præbito, in hoc alantur; quòd tamen tam cara eſt annona doctorum hominum, quid eſt aliud cauſæ, niſi quòd literæ, vnicum omnium ſcientiarum inſtrumentum, ignorantur, & ſedibus ſuis exſulant? At tu rectè ac ſapienter ad veteres nos reuocas: qua in re adeo me ſubſcriptorem habes, vt qui me rogant, quid ſit ſtudere, immo, quid primum, medium, vltimum ſit in ſtudendo, vt ille princeps oratorum de officio interrogatus oratoris ter idem reſpondit, nihil aliud audiant, quàm cognoſcere veteres, eorúmque probatiſſimos cùm vitâ, tum ingenio æmulari. Cui rei, vt planiorem & expeditiorem viam facerem, ſanè multùm laboraui: ſi profligaui parum, non animus

Hh

Digitized by Google

mihi, ſed facultas defuit. Exſulto autem quotieſcumque alios, & ſua eodem auxilia conſiliáque conferentes video, ídque argumentum duco, minus minúſque fidei manere præſagiis illorum, qui literarum interitum ominantur. Sed de hac materia ſi tecum agere vellem, pro copia illorum, quæ partim mihi ſunt meditata, partim vſu deprehenſa, dum has hiſtoriæ & facundiæ Romanæ ſcholas habeo, ſi ediſſerere, quid in ordine ſtudiorum, in magiſtris ac doctoribus, etiam illis, qui ad veteres vocant, deſiderem, quam ipſe viam inſiſtam (& vellem ſanè, ſi vacaret) libellum, non epiſtolam conficerem. Tu pro ſingulari eruditione tua ſatis hoc argumentum ſine optione implebis, dum me antiquo ludo Liuius (minantur enim deſcribere typis iterum Elzeuirij) continet, grauitérque exercet. Tantum negotij eſt, quaſi nihil antea in illum molitus eſſem. Atque en guſtum. Lib. I. cap. LV. *Eo magis Fabio, præterquam quòd antiquior eſt crediderim, quadringenta ea ſola talenta fuiſſe; quam Piſoni, qui quadraginta millia pondo argenti ſepoſita in eam rem ſcribit:* QVAM *ſummam pecuniæ neque ex vnius tam vrbis præda ſperandam, & nullius ne horum quidem magni-*

Digitized by Google

ficentiæ operum fundamenta non exſuperaturam. Poſtremum membrum eſt refutatio eius, quod tradidit Piſo: itaque malè cohæret præcedentibus: neque enim ſubaudire poſſis τὸ *crediderim*, & quia remotius eſt, & quia τὸ *horum* Liuij tempora, non Fabij, reſpicit: & multò minùs *ſcribit*, niſi eundem Piſonem ſibi faciat aduerſarium. Viderunt hoc Rhenanus & Sigonius, quorum ille corrigit: *quia ſummam pecuniæ*: hic, *quia ſumma pecuniæ*, & cætera in recto caſu. Nos delemus pronomen, *quam*, ab aſino librario adiectum, & cenſemus Liuium per epexegeſin, quam appoſitionem vulgò Grammatici vocant, quadraginta illa millia pondo argenti appellaſſe ſummam, quæ neque tum poſſet ſperari ex præda vnius vrbis, &c. Lib. II. cap. XXXI. *Equitatu immiſſo mediam turbauerat hoſtium aciem*, QVA *dum ſe cornua latiùs pandunt, parum aptè introrſum ordinibus* ACIEM *firmauerant*. Quæ battologia? *aciem, qua aciem firmarant*. Lego: *aciem, quam, dum ſe cornua latiùs pandunt, parum aptè introrſum ordinibus firmauerant*. Et eodem capite, *auerſas valles*, quippe ab tergo, non *aduerſas*. Lib. IV. cap. XIII. *Tela in domum Mælij conferri, eúmque conciones domi habere, ac non du-*

Digitized by Google

bia regni conſilia eſſe. Veteres ignorant conciones domeſticas. legendum, *coïtiones*, id eſt, cœtus, concilia priuata legibus interdicta. Et ſequitur mox: *quòd eas largitiones cœtúſque plebis in priuata domo paſſi eſſent fieri.* Lib. v. cap. XXVI. *Videbatúrque æquè diuturnus futurus labor ac Veiis fuiſſet, nî fortuna Imperatori Romano, ſimul & cognitæ rebus bellicis virtutis ſpecimen, & maturam victoriam dediſſet.* Nemo veterum tanto in honore poſuit fortunam, vt eam magnis viris dediſſe diceret ſpecimina virtutis. Ipſi nonnunquam per modeſtiam res virtute geſtas ad fortunam referebant. Cæterùm occaſiones, locum, tempus, ſpatium virtuti dediſſe fortunam ſæpe dicunt ſcriptores: virtutem ipſam aut eius ſpecimina, à fortuna dari nefas habent dicere. Sed nec bellica virtus Camillo victoriam de Faliſcis dedit, ſed iuſtitia & fides. Ergo ſcribendum: *ni fortuna Imperatoris Romani ſimul, & cognitæ re non bellica virtutis ſpecimen, ei maturam victoriam dediſſet.* Duas res ait Camillo proſperaſſe victoriam, fortunam ſuam & ſpecimen virtutis demonſtratæ re non bellica, ſeu iuſtitia & fide: bellicæ namque res, quibus victoria paratur, ſunt obſidio, opera, oppugnatio, cuniculi, in-

Digitized by Google

ſidiæ, acies: hæ omnes non coëgerunt ad deditionem Falerios, ſed admiratio iuſtitiæ eius. Talia habemus complura in ſingulis libris. Pudet etiam errorum, quos in nominibus Romanis ex ſuperioribus editionibus in noſtram neſcio quæ mea ſecuritas tranſfudit: illos accuratè vt corrigã, laboro. Sed heu! vnde mihi Aualciæ alterum Comitem Memmium, cui hæc probem? O luctum Galliæ, pacis immo Chriſtianæ (quam, ſi conſilia illius valuiſſent, glorioſiſſimam haberetis Galli) denique literarum, & priuatim meum ſempiternum! Sed moror te iam cupientem ſcire, quid horridi, confragoſi, aſperi munuſculi, ex Latio quantùm religione emendato tantùm ſermone degeneri deprompti, reddam tibi pro tuo culto, nitido, expolito. Qualecumque eſt, habe velut vadem obſidémque mei animi, beneuolentiæ, obſeruantiæ erga te inſignémque tuam doctrinam & mei amorem: & vbi vacat, perge mecum hoc literarum commercium exercere, méque doce interdum, quid iſtic Muſæ proficiant, quid gerant literarum principes viri, quæ ſeges illis ſuccreſcat. Ego me vobis emortuum dudum putabam: adeo longo tempore nihil inde accepi. At hercle Nota-

Digitized by Google

rum mearum in Senecam exemplaria ad Sarrauium, Valeſium, Naudæum, Balſacium miſi per diuerſos hinc proficiſcentes: nemo ad me verbum. Omniáne igitur illa perierunt? Certè reſpondit vnus humaniſſimè, vt ſolebat ſemper, diuinus ille ac beatiſſimus Memmius, quas quidem literas poſt annunciatum eius exceſſum decies cum lacrimis relegi, nec vnquam apud me deſiderio illius herois erit pudor aut modus. Nunc quoque plura huius libelli exemplaria mitterem, & mittam, ſi ſciero eſſe, qui accipere velit. Me perſæpe admonet dulcis ante omnes terras Lutetia, niſi quòd illic te non cognoui: atque vtinam menſem agendi vobiſcum, & veteres illos membranaceos Liuios iterum terendi mihi copia eſſet. Sed aliter viſum ſuperis. igitur quod præſens ſors dedit, feramus. Habes pro diſerta loquacem epiſtolam. quam, vt oſtendas te amare me, boni conſule, & vale, Vir præſtantiſſime. Dauentriæ v. Eid. Mart. Iul. CIↃIↃCLI.

Addidi exemplar alterum, quod dabis, ex tuis meiſque amicis, qui maximè illo delectabitur.

Digitized by Google

FRANCISCVS OGERIVS ROLANDO MARESIO S. D.

QVÆSITVM eſt ab antiquis de cauſis corruptæ eloquentiæ; quam nimirum puram atque integram habuerant, eius degenerantis cauſas æquum erat conquirere; nobis verò apud quos nunquam bene adoleuit, aut ſeneſcentis aut iam intermorituræ fatum conqueri, quod nonnulli faciunt, non modò ſuperuacaneum, ſed & ridiculum foret. Quinimò id vnum inueſtigandum erat quî factum ſit, vt cæteris artibus è diuturno veterno ante annos centum quinquaginta experrectis, ſola eloquentia ſeriò non euigilauerit. Id tu in illa quam ad me dediſti epiſtolã, quâ es ingenij ſollertiâ, paucis, ſed accuratiſſimè perſecutus es. Omnino ita ſe res habet, eruditiſſime Mareſi, duæ potiſſimùm res in cauſa fuere, cur quæ apud Græcos & Romanos altiùs caput extulit eloquentia, ac omnes vires ſuas exerere viſa eſt, apud nos minimùm conata ſit. Ipſius videlicet artis difficultas, quæ tot artes ſuo ambitu complectitur, ac ſtatus ille rerum noſtrarum, in quo ſub Principatu maxima quæ-

que negotia à prudentibus adminiſtrantur, longùm valere iuſſis eloquentibus : Quorum alterum nos à conatu bene dicendi deterret ; alterum facit, vt ne quidem conari velimus, in eo maximè cuius nullum, vel leue admodum operæ pretium futurum ſit. Attamen, quod ingenuè mihi fatendum eſt, ſemper iſtius flexanimæ incredibili amore exarſi, neque aut vllis laboribus deterritus ſum, aut præmiorum deſperatione adigi potui, quò minùs gratiam eius exambirem. Quum verò & vitæ totius inſtituto & ingenij propenſione à litibus & foro abhorrerem, reliquum fuit, vt in ſacro ſuggeſtu operam meam venditarem. In quo profectò mirum eſt, hominem imparatiſſimum ab his rebus, quæ maximè ad publicam dictionem neceſſariæ ſunt, aliquem plauſum meruiſſe. Enimuerò vt conceſſerim me ex frequenti Rhetorum & Oratorum melioris æui tractatione nonnullam veteris eloquentiæ imaginem animo concepiſſe, ab his deſtituebar, ſine quibus nemo ſanus, me iudice, ambonem conſcenderit; confidentiam dico & memoriam. Meticuloſum me adeo ab infantia, ſeu corporis temperamento, ſeu animi vitio, memini, vt quæ etiam optimè callerem, non-

niſi ſummâ trepidatione atque oris confuſione eloquerer; ad conſpectum verò ſuperioris loci, vnde recitandum, vel declamandum erat, totus cohorreſcerem. Supererat adhuc ante paucos annos bonus Senecio ex ſodalibus ſancti Benedicti, Canonicos vocant; ſub quo tirocinium Grammatices poſueram. Is quum me in iſta æde iam iam dicturo, in funere Ludouici XIII. magno omnium ordinum concurſu & expectatione ſederet, ac togam componeret, iactabat ad circumſtantes; nullum ex tot auditoribus maiore vel gaudio, vel miraculo auditurum, quàm ſe, qui Concionatorem erudiiſſet, quíque de puero meticuloſiſſimo ac publicæ lucis impatientiſſimo, ſæpius pronuntiaſſet; nunquam hominem aut in ſummum Imperatorem, aut in ſummum Oratorem euaſurum. Memoria verò labilis ac ſupra modum infida, cui nec minimum vnquam crediderim, quod bona fide in tempore repræſentarit. Nihil eſt tritius homini Theologo verbis ſacræ Scripturæ, ipſa ſe vltrò ingerunt, quæ millies legimus, audiuimus, cecinimus; attamen ne integram quidem vnam periodum citare poſſum, quin Latinitatem meam inferciam, eò ſanè putidiorem, quò for-

taſſe melior eſt. Habet enim editio noſtra quæ Vulgata dicitur, in horrida illa ſimplicitate, dignitatem quandam, quæ nullis Rhetorum pigmentis aut verborum lenociniis ſarciri poteſt. Tantùm abeſt, vt vllam ex concionibus meis quæ bene longæ ſunt, quantauis contentione adhibita potuerim memoriter recitare. Atqui noui quantùm illa, quæ ad monendum, præcipiendum ac inſtituendum mores dicuntur, altiùs in animum deſcendant, ſi ſimplici, natiuo, ac velut extemporaneo genere orationis proferantur, quámque parum ad catecheſim conferant pompaticæ illæ figuræ, & ſcrupuloſus verborum delectus. Verumenimuerò fateberis in panegyricis longè aliter rem ſe habere, quod genus ferme totum ad pompam & ſpeciem comparatum eſt, nihilque tritum, vulgare, hiulcum patitur, omnia ad vnguem perfecta ſint oportet, vtpote ad voluptatem compoſita. In his porro habendis, ſi te mater illa Muſarum deſerat, ruit prorſus magnifica illa rerum & verborum ſtructura; ruit omnis ille concentus tot vigiliis ſuperbiſſimo aurium iudicio elaboratus; vix eſt verò, vt quis vel in dicendo exercitatiſſimus poſſit ea ex tempore ſufficere, quæ ciuili turbæ, nedum

Digitized by Google

vobis doctis imponere queant. Quot autem mihi inter dicendum eiuſmodi μνημονικὰ ἁμαρτήματα acciderint, non poſſum ſine dolore meminiſſe, cùm toties in medio orationis curſu, quaſi curru, excuſſus memoriâ, perturbatis rerum imaginibus, per ſalebroſa loca iter pedibus ingredi coactus ſum; atque inſtar Euripidei Telephi ad metam ſaltitando & claudicando, tandem peruenire. Quo fit, vt ſatis mirari non poſſim, vllam ex meis orationibus tibi probatam fuiſſe, cùm eæ omnes plus minus eiuſmodi, vt ita dicam, obliuionis maculis defœdatæ in publicum prodierint. Sed quis non boni conſulat errorem, an fauorem veſtrum? Ego certè nouis ad editionem quam adorno, ſtimulis, tuo ſuffragio vrgeri me ſentio. Quanquam enim ſatis perpendo quantùm interſit auditorem, an lectorem habeas; alterius auribus & oculis mirum quantum imponi, vôce, geſtu, pronuntiatione; alterius iudicium moroſum & quodammodo ſtatarium neminem impunè ſubiiſſe; perſto tamen in edendi ſententiâ, certus ſi quid oratione τῆς ὑποκρίσεως illecebris deſtitutæ, deceſſerit, abundè ex his, quæ in dicendo effluxerant, & chartæ illita remanſerant, ſuperfuturum. Vale. Eidib. Sextil. M. DC. LI.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis intra nouem proximos annos, librum qui ſic inſcribitur:* ROLANDI MARESII Epiſtolarum Philologicarum libri duo, &c. *abſque Ioann. Bapt. de Percy de Monchamps permiſſu imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secùs fecerit, mulctâ indictâ, prout ampliùs in diplomate regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis die* 30. *Octobris* 1655.

Sic ſignatum, IVLIARD.

Ioannes Baptiſta de Percy de Monchamps iure ſuo ceſſit in gratiam Edmundi Martini Pariſienſis Typographi.

Prima editio abſoluta fuit die 6. *Nouembris* 1655.

Digitized by Google

Digitized by Google

30